240.50

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/theologiadogmati0004vale_v7v7

Holy Cross Province
U.S.A.

THEOLOGIA DOGMATICO-SCHOLASTICA

Beatissimae Virgini Mariae
de Monte Carmelo dicatum.

THEOLOGIA

DOGMATICO-SCHOLASTICA

AD

MENTEM S. THOMAE AQUINATIS

AUCTORE

VALENTINO ZUBIZARRETA

EX ORDINE CAR. EXC. ARCHIEPISCOPO S. JACOBI DE CUBA

Vol. IV

DE SACRAMENTIS IN COMMUNI ET IN PARTICULARI AC DE NOVISSIMIS

WITHDRAWN

FACULTAS THEOLOGICA
J. X. P.
PROVINCIA SS. CRUCIS

STUDIO ADDICTUS
HOLY CROSS PROVINCE

BILBAO
Edit. Eléxpuru Hnos. Typographi S. Rituum Congr.
1928

Nihil obstat.
S. Jacobi de Cuba, 11 Aprilis 1927.
Dr. Felix Moreno
Censor.

Imprimatur.
Victoriae 5 Maii 1927.
Fr. Zacharias Martinez Nuñez
Episcopus Victoriensis.

Quae juris sunt auctor sibi reservat.

507
ZUB

TRACTATUS DE SACRAMENTIS

SECTIO I

DE SACRAMENTIS IN COMMUNI

QUAESTIO I

DE ESSENTIA ET PARTIBUS SACRAMENTORUM

ARTICULUS I

NOTIONES PRAEVIAE TRADUNTUR

1. I. **Ratio ordinis.** Immediate post tractatum de Verbo incarnato consulto agimus de sacramentis tum in communi tum in particulari, quia ut apposite ait *Angelicus*, sacramenta ab ipso Verbo incarnato efficaciam habent [1], et sunt «quaedam divinae incarnationis reliquiae» [2].

II. **Hujus tractatus momentum.** Sacramenta, utpote intime connexa cum Verbo incarnato, maximum habent in Ecclesia momentum, quia, ut ex dicendis patebit, ex latere Christi fluxerunt, ut essent veluti canales, quibus gratia sanctificans communicaretur hominibus. Unde a SS. Patribus merito dicuntur fontes Salvatoris, e quibus haurire licet aquas salutis juxta illud Isaiae: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* [3].

III. **Sacramenta sanctificant homines.** Poterat quidem Deus per quodlibet, sive visibile sive invisibile, medium perducere homines ad vitam, sed voluit externa signa mediis internis adjungere, ut homo conformius ad suam naturam sibi quaereret spirituale remedium. Haec signa externa sunt sacramenta, quibus merita et satisfactiones Christi applicantur hominibus. Unde praecipua pars vitae christianae in hoc consistit, quod sacramentis homo munitus ad spiritualia adsurgat. Per sacramenta enim «omnis vera justitia, vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur» [4].

---

1 *III.p.*, q. 60.
2 *In IV Sent.*, ad Annibaldum, prol.
3 *Is.*, 12, 3.
4 Concilium tridentinum, *sess.* 7, prooem.

IV. **Sacramenta gloriam Deo deferunt.** Sunt enim praecipue a Deo instituta, ut mysterium incarnationis Verbi perenniter exhiberetur in terris, et fructus redemptionis applicaretur hominibus. Sicut igitur opus incarnationis Verbi fuit oculis Dei gloriosum, ita sacramenta perpetuo laudes Deo deferunt.

V. **Conspectus dicendorum.** Doctrina sacramentorum partim est *speculativa*, quae veritatem eorum contra haereticos defendit vel quaestiones scholasticas inter catholicos agitatas solvit, partim *practica*, quae de sacramentis rite administrandis atque recipiendis regulas tradit.

Instituti nostri ratio postulat, ut speculativa tantum, id est, veritatem dogmaticam et quaestiones scholasticas meditemur atque tractemus; sed animadvertendum est doctrinam speculativam sacramentorum nonnisi per statuta practica crebro probari. Quare doctrinam speculativam sacramentorum Ecclesiae ita trademus, ut, ubi opus fuerit, solutiones practicas brevissime adhibeamus.

ARTICULUS II

DE SACRAMENTI NOMINE ET ACCEPTIONIBUS

2. I. Nomen *sacramentum* a re sacra praesertim occulta derivari est concors auctorum sententia, adeo ut sacramentum significet aliquam rem sacram et occultam.

II. A sacris profanisque scriptoribus multipliciter usurpari consuevit.

1) Apud veteres latinos sacramentum saepe dicebatur pecunia, quam litigantes in templo deponebant, ut qui litem perderet, illam relinqueret aerario publico, et vocabatur *sacra* a loco sacro, in quo deposita fuerat [1].

2) Apud plures SS. Patres et scriptores tum ecclesiasticos tum profanos sacramentum aliquando dicitur *juramentum*, maxime militare, quo militiae adscripti tenebantur fideliter rempublicam defendere [2].

3) Interdum usurpatur pro re occulta seu mysterio. Unde dicitur Tobiae: *Sacramentum regis abscondere bonum est* [3]. Et Apostolus incarnationem vocat *sacramentum* dicens: *Magnum est pietatis sacramentum* (μυστηριον) *quod manifestatum est in carne* [4].

4) Sacramentum praecipue est in Ecclesia signum aliquod sensibile a Christo institutum ad significandam gratiam, quae sanctificat homines. De sacramentis sic acceptis agere intendimus in hoc tractatu.

III. *Novatores* saeculi XVI non solum rem sacramenti plerumque inficiati sunt, verum et nomen aliquando reprobarunt. Sic *Lutherus* ad-

[1] «Ea pecunia, ait **Varro,** quae in judicium venit in litibus, sacramentum a sacro. Qui petebat, et qui inficiabatur de aliis rebus, uterque quingentos aeris ad pontificem deponebat: qui judicio vicerat, suum sacramentum a sacro auferebat; victi ad aerarium redibat.» *De lingua latina,* lib. 4 circa finem.

[2] Cfr. **Tertullianus,** *De corona,* c. 11; ML **2,** 111; et **S. Hieronymus,** *ep. ad Heliodorum,* n. 2; ML **22,** 348.

[3] *Tob.,* 12, 7.

[4] *I Tim.,* 3, 16.

serit sacramentum pro signo in Ecclesia nonnisi humano arbitrio fuisse introductum [1], et dispensatores sacramentorum vult esse praedicatores [2]. *Melanchthon* non parum abutitur de nomine et significatione sacramenti [3]. *Calvinus* quoque nomen ac naturam sacramentorum argutiis tergiversatur [4].

IV. In lingua latina sacramentum idem valet ac in graeca μυστήριον. Hinc, quando in textu graeco occurrit μυστήριον, a latinis plerumque versum est *sacramentum*, ita ut in sacra Scriptura et SS. Patribus sacramentum promiscue usurpetur pro quolibet mysterio sacro. A Tertulliano tamen et deinceps paulatim mos invaluit in Ecclesia, ut sacramenti nomine designarentur signa visibilia rei sacrae sanctificantis homines.

ARTICULUS III

QUOMODO DEFINIENDUM SIT SACRAMENTUM

3. I. **Status quaestionis.** Definitio, si vera sit, explicat naturam rei. Unde, ut nobis innotescat natura sacramentorum, quaerenda est eorum vera definitio.

Aliqui veteres theologi, ut *Argentina, Richardus et Ockam* [5], putantes sacramenta esse aggregata quaedam et entia rationis, dixerunt sacramenta definiri non posse.

4. II. **Erroneae defnitiones sacramenti.**

1) *Lutherus* ait: «Diximus in omni sacramento haberi verbum promissionis divinae, cui credi oportet ab eo, qui signum suscipit, nec solum signum posse sacramentum esse» [6].

2) *Melanchthon:* «Sacramentum... vocatur caeremonia in Evangelio instituta, ut sit testimonium promissionis, quae est Evangelii propria, videlicet promissae reconciliationis seu gratiae» [7].

3) *Calvinus* sacramentum definit dicens: «Divinae in nos gratiae testimonium externo signo confirmatum, cum mutua nostrae erga ipsum pietatis testificatione» [8].

Erroneae sunt, ut diximus, hae novatorum definitiones, quia sacramenta non in genere signi sed in testimonio gratiae et divinae promissionis constituunt. Falluntur praeterea haeretici, cum adserunt sacramenta semper connecti cum hominis justificatione.

5. III. **Definitiones catholicorum minus propriae.**

1) *Scotus* definit sacramentum: «Signum sensibile gratiam Dei vel *effectum Dei gratuitum* ex institutione divina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris» [9].

Haec definitio in hoc saltem peccare videtur, quod sacramentum juxta Scotum est signum gratiae vel *effectus Dei gratuiti*. Has particulas Doctor

---

1 *De capt. babylonica Ecclesiae*, cap. De matrimonio, «Sic I Timoth.».
2 Ibidem, § «Igitur sacramentum».
3 *Loci theologici*, § «De sacramentis», et «De numero sacramentorum».
4 *Institut.*, lib. 4, c. 14, n. 13 sqq.; et c. 19.
5 **Argentina,** *In IV Sent.*, dist. 1, q. 2, a. 1, concl. 2; **Richardus,** *In IV Sent.*, dist. 1, a. 1, q. 2; **Ockam,** *In IV Sent.*, q. 1.
6 *De capt. babyl.*, «De matrimonio» sub initio.
7 *Loci theol.*, c. «De sacramentis».
8 *Institut.*, lib. 4, c. 14, n. 1.
9 *In IV Sent.*, dist. 1, q. 2, «De tertio principali».

subtilis addidisse videtur propter Eucharistiae sacramentum, quod putat non significare gratiam: sed ex concilio tridentino habemus sanctissimam eucharistiam non secus ac caetera sacramenta *symbolum esse rei sacrae* [1].

2) *Suarez* ait «Sacramentum est sacra et sensibilis caeremonia, homines aliquo modo sanctificans et veram animae sanctitatem ex institutione significans» [2].

Contendit eximius Doctor hanc definitionem facile posse contrahi ad sacramenta veteris legis, «addendo fuisse instituta ad conferendam legalem sanctitatem». Sed plures erant in veteri lege caeremoniae sensibiles, ut serpens aeneus et plura sacrificia, quae sanctitatem legalem significabant et sacramentis non accensebantur.

6. IV. **Vera sacramenti definitio.** Sacramentum recte definitur a S. Thoma: *Signum rei sacrae ut sanctificantis homines* [3].

Hanc definitionem a S. Augustino mutuatam [4] *Vazques* vocat «bonam, completam et integram» [5]; *Philippus a SS. Trinitate* «optimam et meliorem quacumque alia» [6]; et *Waldensis* «descriptionem Patrum» [7].

Quaelibet definitio, ut bona sit, debet constare genere et differentia. Genus est id, quo res habet gradum communem seu convenit cum aliis; differentia vero id, quo res ab aliis distinguitur. In allata sacramenti definitione *signum* dicitur esse genus, quia sacramentum formaliter constituitur in genere signi, et quantum ad hoc convenit cum caeteris signis sive naturalibus sive arbitrariis; differentia vero exprimitur particulis *rei sacrae ut sanctificantis homines*, quibus manifestatur sacramenti specialis ratio, habitudo scilicet significationis ad rem sacram.

Hanc sacramenti definitionem esse exactam et quidditativam probat *Joannes a S. Thoma* [8], eo quod constet genere proximo et ultima differentia.

Hinc, dialecticorum regula, juxta quam definitio et definitum convertuntur, applicabilis est huic definitioni, quia omne signum rei sacrae ut sanctificantis homines est sacramentum, et omne sacramentum est signum rei sacrae sanctificantis homines.

ARTICULUS IV

DE SIGNO QUOD REPONITUR UT GENUS DEFINITIONIS SACRAMENTI

7. Ut germana sacramenti notio habeatur, operae pretium est ea, quae diximus, paulo latius explicare.

---

1 *Sess.* 13, c. 3; **Denz-Bannw.,** 876.
2 *De sacramentis,* disp. 1, sect. 4, n. 3.
3 *III p.,* q. 60, a. 2.
4 *De civitate Dei,* lib. 10, c. 5 sub initio; ML **41,** 282.
5 *In III p.,* disp. 128, c. 3, n. 26.
6 *De sacramentis,* disp. 1, dub. 7. **Suarez** tamen eam appellat *subobscuram: De sacramentis,* disp. 1, sect. 4, n. 3.
7 *Doctrinale fidei,* «De sacramento eucharistiae», c. 20, n. 2.
8 *De sacramentis in genere,* disp. 22, a. 2, dub. 1.

§ 1

Utrum Sacramentum formaliter sumptum constituatur essentialiter in solo genere signi.

8. Status quaestionis. 1) Sacramentum, licet objective sumptum, materia, forma, ritu sacro, aliisque constet, formaliter tamen est unum ens, sicut domus, quae lateribus, calce, arena, etc., exstruitur, est unum aedificium, et, quatenus est unum ens, sub uno genere constituitur. Unde discutiendum hic venit, an sacramentum, quatenus est formaliter unum ens, constituatur essentialiter in solo genere signi, vel an simul pertineat ad genus testimonii, causae, etc.

2) *Signum* juxta S. Augustinum est: «Res, praeter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud ex se faciens in cognitionem venire» [1]. Causa vero dicitur id, quod aliquid producit. Signum aliquid significat, causa aliquid efficit. Magis igitur ad causam quam ad signum requiritur.

9. Error. *Novatores* plerumque renuunt sacramenta reponere in genere signi, sed dicunt ea esse ritus et caeremonias religiosas, quibus adnectitur aliqua Dei promissio, seu testimonium promissae reconciliationis.

Placita theologorum. 1) Plures theologi docent sacramenta formaliter sumpta esse essentialiter non solum in genere signi sed etiam in genere causae, ac proinde de ratione essentiali sacramentorum esse non solum significare, verum etiam aliquo modo efficere rem sacram, quae sanctificat homines. Ita *Hugo a S. Victore, Petrus Lombardus, Guillermus Parisiensis, Suarez, Pesch,* et alii [2].

S. Thomas in libris Sententiarum [3] hanc opinionem ut commentator expresse tenuerat, sed in III parte mutavit sententiam.

2) Communius et verius defendunt theologi sacramenta formaliter sumpta constitui essentialiter in solo genere signi, propriumque sacramentorum esse significare rem sacram sanctificantem homines. Ita *S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, Sotus, Vazquez, Sylvius, Philippus a SS. Trinitate, Gabriel a S. Vincentio, Salmanticenses, Paquet,* et alii [4].

10. THESIS. **Sacramentum est in solo genere signi.**

Arg. 1) Oportet genus definitionis esse commune sacramentis tum veteris tum nevae legis. Sacramenta autem veteris legis non causabant sed tantum significabant gratiam. Ergo.

---

[1] *De doctrina christiana,* lib. 2, c. 1; ML **34,** 35.

[2] **Hugo a S. Victore,** *Summa Sent.,* tr. 4, c. 1; ML **176,** 117; et *De sacramentis,* lib. 1, p. 9, c. 2; ML **176,** 317 sq.; **Guillermus Parisiensis,** *De sacramento in generali,* circa med. (fol. 2, col. 3, ed. Paris, 1516) sacramenta vocat *sacrantia signa;* **Suarez,** *De sacramentis,* disp. 1, sect. 4, n. 3; **Pesch,** *De sacramentis,* n. 17.

[3] *In IV Sent.,* dist. 1, q. 1, a. 1, quaest. 3 ad 5.

[4] **S. Thomas,** *III p.,* q. 60, a. 1; **S. Bonaventura,** *In IV Sent.,* dist. 1, q. 2; **Scotus,** *In IV Sent.,* dist. 1, q. 2, § «De tertio principaliori»; **Sotus,** *In IV Sent.,* dist. 1, q. 1, § «Ex his ergo»; **Vazquez,** *In III p.,* disp. 128, c. 5; **Sylvius,** *In III p.,* q. 60, a. 1; et a. 2, q. 1, § «Sexto loco»; **Philippus a SS. Trinitate,** *De sacramentis,* disp. 1, dub. 1; **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramentis in genere,* disp. 1, q. 1; **Salmanticenses,** *De sacramentis in communi,* disp. 1, n. 5 sqq.; **Paquet,** *De sacramentis in genere,* q. 1, a. 1.

2) Dominus praecepit Abrahae: *Circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit in signum foederis inter me et vos* [1]. Hanc autem circumcisionem, quae fuit unum ex sacramentis veteris legis, signum appellat Apostolus dicens: *Signum accepit circumcisionis signaculum justitiae fidei* [2]. Quod exponens ait Angelicus: «Circumcisio, sicut et alia sacramenta veteris legis, erat solum signum fidei justificantis» [3]. Et iterum: «Non oportet, quod sacramentum semper importet causalitatem» [4].

3) Cum sacramenta constituantur in suo genere per unam formam, nequeunt essentialiter ad duo genera pertinere, sicut homo habens unam formam nequit simul constitui in genere animalis et plantae. Constat autem ex SS. Patribus sacramenta constitui in genere signi. Unde S. Augustinus vocat ea *signa sacra* [5]. Hinc sequitur sacramenta constitui essentialiter in solo genere signi et non in genere causae, imo repugnare ea in utroque genere simul essentialiter constitui. Plura sunt signa, quae non habent rationem causae; et similiter dantur aliquae causae, quae non sunt signa effectuum, quos producunt.

11. Scholion. Sacramenta novae legis ex vi suae institutionis producunt quidem gratiam, et essentialiter dicuntur causa gratiae, sed hoc non habent ex parte formae seu ex hoc quod formaliter dicunt, sed ex parte materiae et ordinationis divinae. Unde non formaliter sed aliunde, quamvis essentialiter, sunt causa gratiae. Sicut annulus est essentialiter aureus non ex parte formae sed ex parte materiae, quia, quatenus annulus praescindit ab auro vel argento, et quatenus ex auro conficitur, est essentialiter aureus. Ita pariter sacramenta novae legis quantum ad suam formalitatem et peculiarem rationem sacramentorum non sunt causae sed signa gratiae, et quantum ad ordinationem divinam, quae se habet ex parte materiae, sunt revera causae. Res autem ponuntur in genere per id, quod importat formalitatem, non per hoc, quod habet ex parte materiae; et ideo sacramenta, quae formaliter significant gratiam, quamvis aliquando causent gratiam, formaliter constituuntur in solo genere signi, et non in genere causae.

§ 2

Utrum sacramenta sint signa ad placitum.

12. I. Signum dividi solet a dialecticis in *naturale* et *arbitrarium* seu *ad placitum*, prout ex natura sua vel ad placitum instituentis aliquid significat.

II. Aliqui veteres theologi insinuare videntur sacramenta esse signa naturalia rei sacrae, sed non sunt audiendi, nisi in bono sensu explicentur.

III. **Sacramenta sunt signa arbitraria seu ad placitum.**

1) *S. Thomas* hoc certe tradit dicens: «Res sensibiles... ad sanctifi-

---

[1] *Gen.*, 17, 11.
[2] *Rom.*, 3, 11.
[3] *III p.*, q. 60, a. 6 ad 3.
[4] *III p.*, q. 60, a. 1 ad 1.
[5] *De civ. Dei*, lib. 10, c. 5; ML **41**, 282

cationem non ordinantur ex aliqua virtute sibi naturaliter indita, sed solum ex institutione divina. Et ideo oportuit divinitus determinari, quibus rebus sensibilibus sit in sacramentis utendum» [1]. Nihilominus «res sensibiles aptitudinem quamdam habent ad significandum spirituales effectus in sui natura. Sed ista aptitudo determinatur ad specialem significationem ex institutione divina. Et hoc est quod Hugo de S. Victore (*De sacramentis*, lib. 1, p. 9, c. 11 ante medium) dicit, quod sacramentum ex institutione significat. Praelegit tamen Deus quasdam res prae aliis ad significationes sacramentales; non quia ad eas contrahatur ejus effectus, sed ut sit convenientior significatio» [2].

2) Res sane sensibiles, quae sunt ordinis naturalis, nequeunt ex natura sua et, ut decet, practice significare gratiam sanctificantem, quae est ordinis supernaturalis. Unde repugnat sacramentum esse signum naturale rei sacrae sanctificantis homines [3].

Corollarium. Ne tamen dixeris sacramenta esse entia rationis, sicut sunt quaedam signa ad placitum; quia concreta accidentalia, quamvis aliquando constituantur per formas accidentales, supponunt pro subjecto reali, ut annulus constituitur per figuram accidentalem, at non est figura, sed subjectum habens figuram. Sacramenta autem constituuntur significatione arbitraria, at non sunt significationes, sed habentia significationem.

§ 3

Utrum sacramenta sint signa sensibilia.

13. *Signum* in genere potest dici *id, quod potentiae cognoscitivae aliud a se repraesentat* [4].

Potest esse *spirituale* vel *sensibile*, prout spiritu vel sensibus percipitur. Sic idea et locutio interna, quae solo intellectu percipiuntur, sunt signa spiritualia; hedera vero, quae in porta affigitur et sensibus percipitur, est signum sensibile, et significat vinum vendibile.

Ut definitio sacramenti penitius explicetur, dilucidandum est, an sacramenta ex sua ratione sint signa sensibilia.

Consensus theologorum. Omnes theologi docent sacramenta tum veteris tum novae legis, quantum ad praesentem providentiam, esse signa sensibilia.

14. THESIS. **Omnia sacramenta sunt signa sensibilia.**

Arg. 1) *S. Augustinus* ait: «In nullum autem nomen religionis seu verae seu falsae coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur, quorum sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum» [5].

---

[1] *III p.*, q. 60, a. 5 ad 2.
[2] *III p.*, q. 64, a. 2 ad 2.
[3] Cfr. *Catechismus romanus*, p. 2, c. 1, n. 8 sqq.
[4] Cfr. **P. Marcellus a Puero Jesu,** *Logica*, n. 55.
[5] *Contra Faustum*, lib. 19, c. 11; ML **42,** 355.

2) *Ex congruentiis.* a) Sacramenta sunt signa pro hominibus instituta, ut scilicet homines ex ipsis ut ex notioribus ducerentur ad cognitionem gratiae et sanctitatis. Sed signa pro hominibus instituta ad cognitionem gratiae oportet esse sensibilia, quia «effectus intelligibiles non habent, quod possint ducere in cognitionem alterius, nisi in quantum sunt per aliud manifestati, id est, per aliqua sensibilia» [1].

b) Conveniens est, ut sacramenta, quibus in vita spirituali gignimur, reficimus ac confortamur, analogiam habeant cum humana natura. Natura autem hominis constat materia sensibili et forma spirituali. Ergo convenienter per sensibilia ducimur ad spiritualia.

c) Societas fidelium est visibilis, et oportet, ut homines in ea sensibilibus signis ad spiritualia ducantur.

d) Sacramenta constant materia et forma sensibilibus. Ergo et ipsa sunt signa sensibilia.

15. Scholion. Quantum ad possibilitatem, an scilicet sacramenta potuerint esse spiritualia, lis est inter theologos nondum finita.

1) Affirmant *Ockam, Gabriel a S. Vincentio, Philippus a SS. Trinitate, Gonet,* et alii [2].

2) Negant *Joannes a S. Thoma, Hugon* et alii [3].

Non est quaestio tanti momenti, ut in ea explananda diutius immoremur.

§ 4

Utrum sacramenta sint signa practica.

16. I. Signum ex parte rei significatae dividitur in *speculativum*, quod aliud a se pure contemplandum non efficiendum significat; et *practicum*, quod aliud a se in ipsius usu et praesentia efficiendum repraesentat.

II. Plures theologi confundunt signum practicum cum causa saltem morali, et ex eo, quod sacramenta dicantur signa practica gratiae, deducunt ea esse in genere causae.

Sed verius *Salmanticenses* ajunt: «De ratione signi practici non est efficere illud quod significat, vel ex ipso conceptu signi habere virtutem causandi; ut patet in horologio, quod practice signat tempus et horam, quae non efficit» [4]. Sufficit ad signum practicum, ut repraesentet aliquid ordinatum ad opus, dum signum speculativum praescindit ab opere vel executione.

III. **Sacramenta sunt signa practica gratiae, quamvis non omnia eam efficiant.**

Omnia siquidem sacramenta significant gratiam efficiendam in eorum

---

[1] **S. Thomas,** *III p.*, q. 60, a. 4 ad 1.

[2] **Ockam,** *In IV Sent.*, q. 1; **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramentis in genere*, disp. 1, q. 2; **Philippus a SS. Trinitate,** *De sacramentis*, disp. 1, dub. 4; **Gonet,** *De sacramentis in communi*, disp. 1, a. 4, § «Dico secundo».

[3] **Joannes a S. Thoma,** *In III p.*, disp. 22, a. 4, dub. unic.; **Hugon,** *De sacramentis in communi*, q. 1, a. 3, III-IV.

[4] *De sacramentis*, disp. 1, n. 26, «Ad argumentum».

usu et applicatione, sive eam efficiant virtute sibi appropriata, ut sacramenta novae legis, sive solum significent illam effici virtute Dei, ut sacramenta veteris legis. Eodem fere sensu scientia dicitur practica, non ex eo, quod efficiat suum objectum, sed ex eo, quod attingat res ordinatas ad praxim.

ARTICULUS V

DE RE SACRA, QUAE EST DIFFERENTIA IN DEFINITIONE SACRAMENTI

17. Definitio constat genere et differentia. In compositis genus contrahitur per differentiam et determinatur ad constituendam speciem.

Hinc *signum*, quod ponitur ut genus in definitione sacramenti et convenit cum omnibus aliis signis, distinguitur ab aliis, et constituitur in ratione propria sacramenti per differentiam, quam exprimunt illae particulae: *Rei sacrae ut sanctificantis homines.*

Explicandum est quid hic veniat nomine *rei sacrae.*

§ 1

Quid significet nomen rei sacrae sanctificantis homines.

18. Placita theologorum. 1) Aliqui volunt rationem formalem rei sacrae, qua signum, quod est sacramentum, contrahitur, distinguitur ab omnibus aliis signis, et constituitur in essse sacramenti, esse sanctitatem in genere, quatenus abstrahitur a sanctitate perfecta per gratiam et a sanctitate imperfecta per purificationem legalem. Ita *Cano*, *Bellarminus* et alii [1].

2) Alii contendunt *rem sacram* sanctificantem homines in definitione sacramenti esse gratiam sanctificantem, sive productam in applicatione sacramenti, sive producendam in futuro, quin necesse sit eam significari ut productam de praesenti. Putant enim sacramenta veteris legis significasse quidem sanctitatem legalem ut praesentem, sanctitatem vero perfectam non ut praesentem sed ut producendam in futuro per passionem Christi. Ita *Sotus*, *Suarez*, *Lugo*, et alii [2].

3) Alii multo melius docent rem sacram, qua sacramentum distinguitur ab omnibus aliis signis, ac constituitur in propria ratione sacramenti, esse gratiam sanctificantem praesentem, sive productam virtute ipsius sacramenti, ut contingit in sacramentis novae legis, sive in praesentia et applicatione sacramenti a Deo collatam, ut contingebat in sacramentis veteris legis. Ita *Cajetanus*, *Joannes a S. Thoma*, *Salmanticenses*, *Billuart*, *Hugon*, et alii [3].

19. THESIS. **De ratione sacramenti est significare gratiam sanctificantem praesentem, sive virtute ipsius sacramenti productam, sive a Deo in ejus applicatione collatam.**

Arg. 1) *S. Thomas* hoc expresse docuisse videtur, cum ait: «Proprie dicitur sacramentum, quod est signum alicujus rei sacrae ad homi-

[1] **Cano,** *Relectio de sacramentis*, p. 1, ad 4; **Bellarminus,** *De sacramentis*, lib. 1, c. 2, prop. 2.

[2] **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 1, q. 1, a. 2, «Satis ergo»; **Suarez,** *De sacramentis*, disp. 1, sect. 2, n. 12; **Lugo,** *De sacramentis in genere*, disp. 1, sect. 2.

[3] **Cajetanus,** *In III p.*, q. 60, a. 2; **Joannes a S. Thoma,** *In III p.*, disp. 22, a. 2-3; **Salmanticenses,** *De sacramentis in communi*, disp. 1, n. 36 sqq.; **Billuart,** *De sacramentis in communi*, diss. 1, a. 2; **Hugon,** *De sacramentis in communi*, q. 1, a. 2, n. XVI.

nes pertinentis, ut scilicet proprie dicatur sacramentum, secundum quod nunc de sacramentis loquimur, quod est signum rei sacrae, in quantum est sanctificans homines» [1]. Res autem sacra sanctificans homines et ad homines pertinens non potest esse nisi gratia sanctificans praesens. Unde *Cajetanus* adjunxit: «Sacramentum est signum rei sacrae, ut actualiter exercet sanctificationem hominis, quia ad hoc adhibetur ut signum, ut sanctificetur homo per illius significatum» [2].

2) Differentia essentialis cujuslibet sacramenti debet esse talis ratio, ut omnibus sacramentis conveniat, et nulli alteri rei competat. Significare autem gratiam sanctificantem praesentem, sive virtute ipsius signi productam, sive in ejus praesentia et applicatione a Deo collatam, omnibus sacramentis tum veteris tum novae legis convenit, et nulli alteri rei competit. Ergo. Sacramenta siquidem veteris legis, in quibus potest esse difficultas, significabant gratiam sanctificantem, quam Deus in eorum praesentia subjecto conferebat. Unde *S. Thomas:* «Circumcisio, sicut et alia sacramenta veteris legis, erat solum signum fidei justificantis... et ideo in circumcisione *conferebatur gratia*, in quantum erat signum passionis Christi futurae» [3]. E contra, nulla alia caeremonia sacra hanc gratiam praesentem significat, ut patet singulas consideranti.

3) Sacramentum est signum practicum gratiae, quae sanctificat homines. Nihil autem potest esse signum practicum gratiae, nisi gratia ipsa sit praesens, sive ab ipso signo sive a Deo collata. Ergo.

§ 2

Utrum Sacramentum sit signum unius rei tantum.

20. Cum sacramenta ordinentur ad hominum sanctificationem, et sanctificatio pluribus perficiatur, dubitatio pulsat animum, an sacramenta sint unius tantum rei signum.

Potuit sane Deus instituere sacramenta, quae unam tantummodo rem significarent, quia potuit, absolute loquendo, homines solis sacramentis sanctificare, quin eos per passionem Christi redimeret, sed in praesenti oeconomia instituit sacramenta, ut homines sanctificaret per applicationem passionis Christi et duceret ad vitam aeternam. Unde plura possunt significare.

21. THESIS. **Sacramenta significant passionem Christi, gratiam praesentem, et gloriam futuram.**

Arg. Cum sacramenta sint nostrae sanctitatis signa, ea significare debent, quae sunt causae sanctificationis hominis. Sanctitatem autem hominis efficiunt *passio Christi* ut causa efficiens meritoria, *gratia sanctificans* ut causa formalis, et *gloria futura* ut causa finalis. Hinc sacra-

---

[1] *III p.*, q. 60, a. 2.
[2] *In III p.*, q. 60, a. 2.
[3] *III p.*, q. 62, a. 6 ad 3.

menta significant passionem Christi (futuram vel praeteritam), gratiam sanctificantem praesentem, et gloriam in caelo futuram. «Sacramentum est, ait *Angelicus*, et signum rememorativum ejus, quod praecessit, scilicet passionis Christi, et demonstrativum ejus, quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratiae; et pronosticum, id est, praenuntiativum futurae gloriae» [1].

Principaliter tamen et primario sacramenta significant gratiam sanctificantem, quae est causa formalis nostrae sanctificationis, quia praecipue instituta sunt, ut homo sanctificaretur et Deo conjungeretur in hac vita.

ARTICULUS VI

UTRUM SACRAMENTA VETERIS ET NOVAE LEGIS CONVENIANT UNIVOCE IN RATIONE SACRAMENTI

22. Status quaestionis. 1) Sacramentum, sicut diximus superius, est quoddam concretum, cujus essentia potest considerari ex parte formae, qua formaliter constituitur in esse sacramenti, et ex parte materiae, qua perficitur essentialiter extra rationem formalem. Sicut annulus formaliter constituitur per suam formam circularem, et ex parte materiae essentialiter perficitur auro, vel argento, vel alia materia, adeo ut annulus formaliter sit supellex, qua digitum ornamus, et materialiter essentialiter possit esse aureus vel argenteus, ita etiam sacramentum formaliter est signum gratiae sanctificantis homines, licet materialiter possit esse causa, actio, etc.

2) Compertum est sacramenta novae legis per rationes essentiales, quas importat ex parte materiae, non convenire univoce cum sacramentis veteris legis. Nostra enim sacramenta ex institutione divina, quae se habet ex parte materiae, sunt antiquis multo perfectiora et efficiunt gratiam, quam continent, dum antiqua significabant gratiam a Deo conferendam. Unde *S. Augustinus:* «Alia sunt (sacramenta) instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora» [2].

3) Loquimur hic de sacramentis formaliter, et quaerimus, an sacramenta veteris et novae legis ex eo, quod important ex parte formae, conveniant univoce.

23. Placita theologorum. 1) *Petrus Lombardus, Albertus Magnus, S. Bonaventura* et alii pauci [3] dixerunt sacramenta veteris et novae legis non convenire univoce in genere sacramenti.

2) Alii multo communius et verius affirmant. Ita *S. Thomas, Soto, Bellarminus, Philippus a SS. Trinitate, Salmanticenses, Hurter, Pesch*, et alii [4].

---

[1] **S. Thomas,** *III p.*, q. 60, a. 3.

[2] *Contra Faustum*, lib. 19, c. 13; ML **42,** 355.

[3] **Petrus Lombardus,** *IV Sent.*, dist. 1; **Albertus M.,** *In IV Sent.*, dist. 1, a. 7; **S. Bonaventura,** *In IV Sent.*, dist. 1, p. 1, a. un., q. 2 et 5.

[4] **S. Thomas,** *III p.*, q. 61, a. 1-3; **Soto,** *In IV Sent.*, dist. 1, q. 1, a. 1, «Animadvertendum»; **Bellarminus,** *De sacramentis in genere*, lib. 1, c. 12, prop. 3; **Philippus a SS. Trinitate,** *De sacramentis in genere*, disp. 1, dub. 6; **Salmanticenses,** *De sacramentis in communi*, disp. 1, n. 67; **Hurter,** *De sacramentis*, n. 278; **Pesch,** *De sacramentis in genere*, n. 20.

24. THESIS. **Omnia sacramenta tum veteris tum novae legis formaliter sumpta conveniunt univoce in ratione sacramenti.**

1) Auctoritas imprimis theologorum, qui hanc opinionem tenent, satis nos movet ad eam amplectendam.

2) Ratio fundamentalis, cui haec doctrina innititur, enascitur ex ipsa formalitate sacramenti, et transcendit totum tractatum de sacramentis. Sacramentum enim formaliter et primario est in genere signi, et significat gratiam sanctificantem homines. Efficere hanc gratiam virtute propria non est de ratione formali sacramenti, sed provenit ex parte materiae. Ad rationem formalem sacramenti sufficit, ut significet de praesenti gratiam sanctificantem homines. Sacramenta autem tum veteris tum novae legis significant de praesenti gratiam sanctificantem, sive producendam per ipsa sacramenta, sive a Deo in eorum applicatione conferendam. Unde in ratione formali et in genere sacramenti omnia illa tum antiqua tum nova conveniunt univoce.

Corollarium. Theologi, qui sacramenta reponunt in genere causae, difficulter possunt hanc univocationem sacramentorum defendere, quidquid dicat in contrarium clarissimus *Pesch* [1]. Sacramenta siquidem veteris legis nonnisi sanctitatem legalem efficiunt, dum sacramenta novae legis producunt gratiam sanctificantem. Haec autem toto caelo differunt. Efficere enim sanctitatem legalem non est proprie causare aliquid in homine, quia hujusmodi sanctitas legalis fit per externam hominis rehabilitationem, quin aliquid in eo producatur, dum sanctitas perfecta fit per productionem gratiae sanctificantis. Unde efficere sanctitatem legalem et producere sanctitatem perfectam non sunt univoca in genere causae [2].

QUAESTIO II

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTORUM

ARTICULUS I

UTRUM OMNIA SACRAMENTA CONSTENT REBUS ET VERBIS

25. Status quaestionis. 1) Sacramenta, utpote signa sensibilia, quibusdam partibus constare perspicuum est. Hujusmodi partes dicuntur esse res et verba. An hoc vere dicatur, investigandum est.

---

[1] *De sacramentis in genere*, n. 20.

[2] Cl. **Hurter** putat sacramenta antiqua et nova posse vocari univoca, quamvis ea reponantur in genere causae. «Etsi sanctitas, ait, analogice tantum dicitur de sanctitate legali, possumus tamen a sacramentorum utriusque testamenti effectu abstrahere conceptum univocum et communem sanctitatis, qui significari potest nomine consecrationis aut dedicationis et conjunctionis peculiaris cum Deo. Atqui sacramentis utriusque testamenti ejusmodi consecratio respondet. Utrique ergo ritus univoce dici possunt sacramenta, si sacramenti nomine intelligitur ritus sanctitatem significans et suo usu consecrans homines». *De sacramentis*, n. 278. Sed objiciendum foret ipsi non eamdem sanctitatem nec eamdem consecrationem produci a sacramentis utriusque foederis.

2) Cum alia sint sacramenta veteris legis alia novi testamenti, diversimode de illis loquendum est.

26. THESIS I. **Sacramenta veteris legis constabant essentialiter rebus non vero verbis.**

Arg. 1) *Ex auctoritate theologorum.* Hanc sententiam docuit *Alensis*, et post ipsum tradiderunt *S. Thomas, Cano, Bellarminus* et alii [1].

Alensis ait: «Est commune in sacramentis secundum omne tempus quantum ad materiam, scilicet, quod fiant in rebus et factis, non autem commune est, quod fiant in dictis» [2].

S. Thomas: «Est commune in omnibus sacramentis, quod consistant in rebus sensibilibus gratiam invisibilem significantibus. Sed hoc est speciale in sacramentis novae legis, quod rebus verba addantur» [3].

Cano: «Sacramenta quippe sine verbis fuere quaedam in lege, tum naturali, tum scripta, sine rebus autem nulla fuere sacramenta» [4].

2) *Ex ratione.* Sacramenta sunt signa sensibilia significantia gratiam spiritualem animae. Haec significatio fiebat imperfecte et obscure per antiqua sacramenta, quae erant umbrae et figurae juxta expressionem Apostoli [5]. Ad imperfectam autem et obscuram gratiae significationem non requirebantur verba, quae rerum significationem perfecte determinant, sed sufficiebant ipsae res sensibiles, quibus adumbrantur spiritualia. Unde concilium florentinum satis aperte innuit proprium sacramentorum novae legis esse, quod rebus constent et verbis [6].

27. THESIS II. **Omnia sacramenta novae legis constant rebus et verbis.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus vocat baptismum *lavacrum aquae in verbo vitae* [7]. Christus Dominus panem et vinum consecravit verbis prolatis, et jussit apostolis, ut eumdem ritum servarent [8]. Apostoli imponentes manus et orantes ordinem conferebant [9]. Ita de caeteris.

2) *Ex SS. Patribus. S. Gregorius Nyssenus:* «Panis item, panis est initio communis, sed ubi eum mysterium sacrificaverit, corpus Christi fit et dicitur» [10].

S. Augustinus: «In aqua verbum mundat. Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum... Unde ista tanta virtus aquae,

---

1 **Alensis,** *IV p.*, q. 1, m. 4; **S. Thomas,** *In IV Sent.*, dist. 1, q. 1, a. 3; et *III p.*, q. 60, a. 6 ad 3; **Cano,** *Relectio de sacramentis*, p. 1; **Bellarminus,** *De sacramentis*, lib. 1, c. 18.

2 *IV p.*, q. 1, m. 4.

3 *In IV Sent.*, dist. 1, q. 1, a. 3.

4 *Relectio de sacramentis*, p. 1, «Praeterea interpres».

5 *Hebr.*, 10, 1.

6 *Decretum pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 695.

7 *Ephes.*, 5, 26.

8 *Luc.*, 22, 19.

9 *Act.*, 8, 15 sqq.

10 *Or. in bapt. Christi;* MG **46,** 582.

ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo...? Mundatio igitur nequaquam fluxo et labili tribueretur elemento, nisi adderetur in verbo»[1].

3) *Ex auctoritate theologorum. Petrus Lombardus:* «Duo sunt in quibus sacramentum consistit, scilicet verba et res; verba, ut invocatio Trinitatis; res, ut aqua, oleum et hujusmodi»[2]. Exinde omnes theologi hanc veritatem unanimi consensu tenuerunt.

Si rationem hujus veritatis quaeras, nulla potest adduci nisi voluntas Christi sacramenta instituentis.

28. Scholion. *Quo sensu res et verba accipiantur in sacramentis.* Res, si stricte accipiantur, sunt substantiae materiales, quae in primo praedicamento ponuntur; et verba sunt voces ore prolatae.

Non tamen sic accipias velim res et verba in hoc articulo, quia sacramenta aliquando confici possunt sine rebus, quae sint substantiae, et sine sono vocis.

Res et verba non semel accipiuntur latius, prout res significant omne id, quod non est in ultima significatione determinatum, sed indiget ab alio determinari, ut actio transiens; et verborum nomine venit non solum sonus exterior vocis sed etiam omne id, quod rerum significationem determinat, ut nutus, scriptura, etc.

Communis theologorum sententia fert contra Durandum[3] res et verba, quibus constant sacramenta, non stricto sensu sed latius esse accipienda, prout res significant quidquid gerit vices rerum ab alio determinandarum, ut sunt actus poenitentis in poenitentia; et verba sumuntur pro eo quod gerit vices verborum determinantium significationem, ut in matrimonio rationem verborum possunt habere nutus et scriptura.

Quamvis igitur, ordinarie loquendo, sacramenta constituantur rebus proprie dictis et verbis formaliter sumptis, prout res et verba a se invicem distinguuntur, aliquando tamen potest contingere, et non raro contingit, ut nomine rerum in sacramentorum constitutione designetur elementum incompletum et determinabile, imperfecte significans effectum sacramenti; et nomine verborum accipiatur omne determinans rerum significationem, licet verba non proferantur. Et sic ipsa verba, imperfecte et dependenter ab ulteriori determinatione aliquid significantia, habent aliquando rationem rerum in sacramentis; et vice versa actiones, nutus et scriptura, quae perfecte significant et determinant rerum valorem, licet verba non sint formaliter, computantur pro verbis[4].

Nota. Quando Doctores distinguunt inter sacramentum et rem sacramenti, per rem sacramenti designant, non elementum physicum constituens sacramentum, prout in hac quaestione accipitur, sed effectum sacramenti. Sed de hoc suo loco.

---

[1] *In Joan.*, tr. 80, n. 3; ML **35,** 1840.
[2] *IV Sent.*, dist. 1, n. 4; ML **192,** 840.
[3] *In IV Sent.*, dist. 1, q. 3, n. 8.
[4] Cfr. **S. Thomas,** *In IV Sent.*, dist. 27, q. 1, a. 2, sol. 2 ad 2. Compertum tamen est in omnibus sacramentis, excepto matrimonio, verba formalia requiri. Cfr. **Van Noort,** *De sacramentis*, n. 31.

ARTICULUS II

UTRUM SACRAMENTA NOVAE LEGIS PERFICIANTUR REBUS TANQUAM MATERIA ET VERBIS TANQUAM FORMA UT PARTIBUS ESSENTIALIBUS

29. Status quaestionis. 1) Docemur in philosophia materiam in rebus physicis se habere per modum subjecti et potentiae indeterminatae, formam vero per modum actus determinantis.

2) Cum res sacramentorum habeant rationem potentiae indeterminatae et significationis incompletae, verba vero accedant per modum elementi determinantis et perficientis significationem, *Guillelmus Altissiodorensis* primus adseruit sacramenta novae legis constare rebus et verbis tanquam materia et forma [1].

3) Cum autem materia et forma intrinsece et essentialiter constituant res physicas, duplex in hoc articulo exoritur difficultas: a) an sacramenta novae legis recte componantur ex rebus et verbis tanquam ex materia et forma; b) an materia et forma sint in ipsis sicut in rebus physicis partes intrinsecae et essentiales.

30. Auctorum placita.. 1) *Quoad primum* communiter auctores post Altissiodorensem docent res et verba in sacramentis novae legis habere rationem materiae et formae.

2) *Quoad secundum*, varii varie opinantur:

a) Aliqui negant sacramenta novae legis componi «ex rebus ut materia et verbis ut forma tanquam ex partibus essentialibus, intrinsece componentibus essentiam sacramenti», sed volunt ea solis rebus tanquam materia essentialiter constitui, connotando verba tanquam formas. Ita *Cabrera* [2] et alii pauci.

b) Alii concedunt sacramenta novae legis constitui materia et forma tanquam ex partibus intrinsecis et essentialibus, sed excipiunt eucharistiam quia, videntes hoc sacramentum esse permanens, verba autem consecrationis transire, defendunt eucharistiam «perfici quidem materia et forma, sed non constare illis, ut partibus essentialibus» *(Vazquez)*. Ita *Scotus, Vazquez, Suarez*, et alii [3].

c) Alii multo communius tenent omnia sacramenta novae legis componi ex materia et forma tanquam ex partibus intrinsecis et essentialibus. Ita *S. Thomas, Sylvius, Salmanticenses morales, Antonius a Spiritu Sancto, Salmanticenses*, et alii [4].

31. THESIS I. **Omnia sacramenta novae legis constant rebus et verbis tanquam materia et forma.**

Nota. Cum compositio sacramentorum non sit physica sed moralis, ut dicemus inferius, vocabula materiae et formae a philosophia scholastica mu-

---

[1] *Summa*, lib. 4, tr. 7, q. 1, De sacramento extremae-unctionis, «Ad hoc dicimus».

[2] *In III p.*, q. 60, a. 2, disp. 2, n. 7.

[3] **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 8, q. 1 ad 3; **Vazquez,** *De sacramentis*, disp. 129, c. 3, n. 39; **Suarez,** *De sacramentis*, disp. 42, sect. 2.

[4] **S. Thomas,** *In IV Sent.*, dist. 1, q. 1, a. 3 ad 1; **Sylvius,** *In III p.*, q. 60, a. 6, «Ex his colligitur»; **Salmanticenses morales,** *De sacramentis*, tr. 1, c. 4, dub. 2, n. 23; **Antonius a Sp. S.,** *De sacramentis*, disp. 2, sect. 1; **Salmanticenses,** *De sacramentis in communi*, disp. 2, n. 19.

tuata, non eodem sensu ac in rebus physicis sumuntur, sed *sensu quodam analogo*, prout res et verba in sacramentis concurrunt ad totum morale seu unum signum constituendum, sicut materia et forma concurrunt ad unum physicum efficiendum.

Arg. 1) Concilium florentinum haec habet: «Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur, *rebus tanquam materia, verbis tanquam forma*, et persona ministri conficientis sacramentum cumin tentione faciendi, quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum» [1].

2) Angelicus Doctor ait: «Ex verbis et rebus fit quodammodo unum in sacramentis, sicut forma et materia, in quantum scilicet per verba perficitur significatio rerum» [2].

3) Duo elementa compositi, quorum unum est determinabile et potentiale, et aliud determinans per modum actus, habent rationem materiae et formae. Sed sacramenta novae legis sunt composita, in quibus res concurrunt ut quid determinabile et potentiale, verba autem ut quid determinans per modum actus. Ergo sacramenta novae legis constant rebus et verbis tanquam materia et forma. Hoc satis bene solet explicari ex ratione materiae primae et formae substantialis. Sicut materia prima, quae est pura potentia indeterminata, determinatur per formam substantialem, quae est actus; ita res in sacramentis sunt indeterminatae et habent rationem materiae, et determinantur per verba, ac dicuntur forma sacramentorum.

32. Thesis II. **Sacramenta novae legis constituuntur rebus et verbis tanquam partibus intrinsecis et essentialibus.**

Arg. 1) *Ex auctoritate S. Thomae.* «Duplex est pars, ut dicitur in V Metaphysicorum, (text. 33 et 34), scilicet pars essentiae et pars quantitatis. Partes essentiae sunt naturaliter quidem forma et materia, logice autem est genus et differentia. Hoc autem modo quodlibet sacramentum distinguitur in materiam et formam, sicut in partes essentiae. Unde et supra dictum est, quod sacramenta consistunt in rebus et verbis» [3].

2) *Ex auctoritate catechismi romani.* «Haec igitur (materia et forma) sunt partes, quae ad naturam et substantiam sacramentorum pertinent, et ex quibus unumquodque sacramentum necessario constituitur» [4].

3) Sacramenta novae legis sunt signa rei sacrae sanctificantis homines. Non autem partes, quae concurrunt ad constituendum sacramenta, sed composita, quae ex partibus constituuntur, sunt signa rei sacrae. Unde «verba et res, ut bene ait *S. Thomas*, sunt unum in causando et significando, et per consequens efficiunt unum sacramentum» [5].

---

[1] Decreto pro armenis; **Mansi,** 31, 1054 B sqq.; et **Denz-Bannw.,** 695. De valore hujus documenti multum disputatur, ut videbimus infra, dum de materia sacramenti ordinis.

[2] *III p.*, q. 60, a. 6 ad 2.

[3] *III p.*, q. 90, a. 2. Cfr. **S. Thomas,** *In IV Sent.*, dist. 1, q. 1, a. 3 ad 1.

[4] *Part.* 2, c. 1, n. 17.

[5] *In IV Sent.*, dist. 1, q. 1, a. 3 ad 1.

Partes autem, quae per modum materiae et formae seu potentiae et actus concurrunt ad constituendum unum signum, sunt essentiales ipsi signo. Ergo res et verba sunt partes intrinsecae et essentiales sacramentorum novae legis.

33. Scholion I. *An in sacramentis novae legis sit vera ac realis compositio ex rebus et verbis.*

1) Aliqui negant in sacramentis novae legis semper fieri veram ac propriam compositionem ex rebus et verbis.

Ita *Bellarminus*, *Lugo*, et alii [1].

2) Alii tenent in sacramentis esse compositionem veram, propriam ac physicam ad modum compositionis ex materia et forma. Ita *Nugnus* [2].

3) Alii multo communius docent sacramenta novae legis constitui rebus et verbis reali ac propria, non tamen physica, sed morali compositione. Ita *Soto*, *Philippus a SS. Trinitate*, *Salmanticenses morales et scholastici*, et alii [3].

Haec tertia sententia magis mihi probatur.

Ad cujus probationem notandum est compositum posse esse reale physicum vel reale morale, et exinde alias esse compositiones reales physicas, alias compositiones reales morales. Ad compositionem realem physicam requiritur, ut partes componentes realiter naturaliter ex se ipsis, et non ad hominis beneplacitum, uniantur, simulque tempore, loco et supposito exsistant. Ad compositionem realem moralem, quae dependet ex libero hominis arbitrio, sufficit, ut actus et potentia sint reales et uniantur ex hominis institutione, et efficiant unum morale eo modo, quo placuerit instituenti, quin necesse sit, ut actu physico se contingant.

Est compositio realis. Omne sacramentum novae legis, utpote signum alicujus rei, est unum totum constitutum ex rebus et verbis arbitrio instituentis. Compositum autem ex rebus et verbis non est unum quousque extrema realiter uniantur. Unde necesse est, ut res et verba realiter uniantur, prout a Christo Domino determinatum est.

Non est compositio realis physica. Res etenim et verba, quae sunt extrema hujus compositionis, non ex natura sua, neque semper simul tempore uniuntur, ut patet ex sacramento poenitentiae, in quo actus poenitentis, qui sunt materia proxima sacramenti, non naturaliter neque simul tempore conjunguntur verbis sacerdotis.

Est compositio realis moralis. Partes siquidem sacramentorum, quae sunt res et verba per modum materiae et formae, inter se debent uniri et uniuntur ea saltem praesentia, quae secundum aestimationem hominum requiritur ad unum morale constituendum. Unde datur in sacramentis compositio realis moralis.

Non tamen requiritur eadem unio in omnibus sacramentis, quia, cum diversa sit conditio sacramentorum, diversa etiam requiritur in ipsis unio materiae et formae. Si quis, ex. gr., applicaret hodie materiam

---

[1] **Bellarminus,** *De sacramentis*, lib. 1, c. 18; **Lugo,** *De sacramentis in genere*, disp. 2, sect. 2, n. 50; **Suarez,** *De sacramentis*, disp. 2, sect. 2, n. 3.

[2] *In III p.*, q. 60, a. 6, diff. 2.

[3] **Soto,** *In IV Sent.*, dist. 1, q. 1, a. 2, «Contra hanc»; **Philippus a SS. Trinitate,** *De sacramentis in genere*, disp. 2, dub. 2; **Salm. morales,** *De sacramentis in genere*, c. 4, dub. 2 ad 4; **Salmanticenses scholastici,** *De sacramentis in communi*, disp. 2, n. 26.

baptismi et cras pronuntiaret verba, nihil efficeret; sed e contra, si quis hodie eliceret actus contritionis et propositi in ordine ad confessionem, et cras absolveretur a sacerdote, nulla interveniente retractatione, verum sacramentum reciperet.

34. Scholion II. *An singulae partes constituentes unum sacramentum habeant suam partialem significationem, quibus constituatur una significatio sacramentalis composita.*

Affirmant *Bellarminus* et *Suarez* [1]; negant alii communius et verius [2].

Dominus Jesus, qui instituit sacramenta et libere ac supernaturaliter contulit eis rationem signi rei sacrae, elegit quidem res et verba, quae ex se aliquid significabant, et congruentiam ac similitudinem praeseferebant cum signo sacramentali, sed illa partialis ac congruens significatio extremorum non fuit a Christo adsumpta ad constituendam significationem totalem sacramenti. Sic aqua et verba *Ego te baptizo*, quae sunt materia et forma baptismi, habent singillatim analogiam cum significatione sacramentali baptismi, quia Christus plerumque excogitavit materias et formas habentes aliquam congruentiam cum sacramentis, sed baptismus habet significationem sacramentalem non conflatam ex signis partialibus materiae et formae, sed ex institutione divina. Ex institutione autem divina sacramenta significant, non in quantum habent duas partes, sed in quantum sunt unum. Unde significatio hujus compositi, quod dicitur sacramentum, non coalescit ex variis significationibus partialibus.

ARTICULUS III

UTRUM MATERIA SACRAMENTORUM FUERIT A DEO DETERMINATA

35. Status quaestionis. 1) Probavimus jam ad quaelibet sacramenta conficienda necessario requiri materiam seu rem sensibilem. Nunc quaerendum est, a quo debeat haec materia sensibilis determinari.

2) Loquimur de determinatione materiae sacramentorum tum veteris tum novae legis.

3) Determinatio materiae est addictio elementi sensibilis ad sacramenta conficienda.

4) Deus potest determinare materiam sacramentorum immediate per se vel mediate per alium, quatenus ipse per se eligit rem sensibilem, vel alteri confert facultatem eam eligendi.

5) Determinatio materiae sacramentorum potest a Deo fieri *in genere*, *in specie*, vel *in individuo*. Determinatio materiae in genere est ordinatio, ut materia quaedam sensibilis apta ad effectum significandum adhibeatur, quin adsignetur species rei sensibilis; determinatio *specifica* est electio materiae in specie, ex. gr. aquae, panis triticei, etc. Determinatio materiae *in individuo* est adsignatio materiae singularis v. gr. hujus aquae, hujus panis.

---

[1] **Bellarminus,** *De sacramentis*, lib. 1, c. 18, prop. 3; **Suarez,** *De sacramentis in genere*, disp. 2, sect. 2, n. 3.

[2] Cfr. **Joannes a S. Thoma,** *De sacramentis in genere*, disp. 22, a. 6, dub. 1, «Nihilominus».

36. THESIS I. **Pro sacramentis tum veteris tum novi testamenti oportuit materiam a Deo designari.**

Arg. Nemo potest materiam sacramentorum determinare, nisi habeat facultatem instituendi sacramenta, quia designatio materiae est de essentia institutionis eorum. Sed solus Deus, qui potest rebus sensibilibus alligare vim significandi gratiam sanctificantem, habet facultatem instituendi sacramenta. Ergo solus Deus potest determinare materiam sacramentorum.

37. THESIS II. **In sacramentis legis naturae Deus, mediantibus hominibus, determinabat materiam sacramentorum.**

Expresse hoc docet *Angelicus* dicens: «Sicut in statu legis naturae homines nulla lege exterius data, sed solo interiori instinctu movebantur ad Deum colendum, ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur» [1].

Hoc dictum est de sacramentis in communi seu saltem de plerisque sacramentis, quod non obstat, quominus aliqua sacramenta fuerint a Deo immediate instituta eorumque materia pariter immediate determinata, cujusmodi est circumcisio, quae fuit in lege naturae a Deo instituta.

38. THESIS III. **Materiae sacramentorum legis mosaicae fuerunt a Deo immediate determinatae.**

Arg. 1) Singulae materiae, quibus sacramenta legis mosaicae conficiebantur, a Deo designatae sunt per longum in Exodo et Levitico.

2) Rationem congruam affert *S. Thomas* his verbis: «Postmodum vero necesse fuit etiam exterius legem dari, tum propter obscurationem legis naturae ex peccatis hominum, tum etiam ad expressiorem significationem gratiae Christi, per quam humanum genus sanctificatur. Et ideo etiam necesse fuit res determinari, quibus homines uterentur in sacramentis» [2].

39. THESIS IV. **Christus immediate determinavit materias omnium sacramentorum novae legis.**

Nota. 1) *Ernestus Renan* petulanter ajebat gratuitis hypothesibus nos pervenire ad probandam institutionem et determinationem materiae et formae sacramentorum [3].

2) *Modernistae*, duce Loisy [4], hanc doctrinam mordicus negant, sed eorum propositio jure damnata est ab Ecclesia [5].

3) Juxta Petrum Lombardum materia confirmationis, et juxta Alensem et S. Bonaventuram materia confirmationis et extremae-unctionis non a Christo immediate sed mediate per alios determinata fuit, sed hodie

---

1 *III p.*, q. 60, a. 5 ad 3.
2 *III p.*, q. 60, a. 5 ad 3.
3 *Souvenirs d'enfance et de jeunesse.*
4 *Autour d'un petit livre*, p. 220 sqq.; et *L'Evangile et l'Eglise*, ch. 5, n. 2.
5 Decreto *Lamentabili*, prop. 39-40; **Denz-Bannw.**, 2039, 2040.

inter theologos catholicos communiter tenetur materias omnium sacramentorum novae legis fuisse a Christo immediate determinatas.

Arg. Christus immediate instituit omnia sacramenta novae legis, ut dicemus inferius, et videtur innuere concilium tridentinum. Ergo immediate determinavit sacramentorum materias, quae ad eorum essentiam spectant.

40. THESIS V. 1) **Nulla materia sacramentorum fuit a Christo in individuo determinata;** 2) **Materia autem baptismi, eucharistiae, poenitentiae, extremae unctionis et matrimonii in specie; et** 3) **materia confirmationis ac ordinis probabilius in genere fuit a Christo designata.**

1) *Nulla materia fuit a Christo in individuo determinata,* quia nunquam Christus pro sacramentis elegit materiam singularem, v. gr. aquam Jordanis, vel panem Esdrelon.

2) *Materia baptismi, eucharistiae, poenitentiae, extremae-unctionis, et matrimonii fuit a Christo in specie determinata.* Hoc probabilius colligitur ex S. Scriptura. Nam Christus determinavit:

a) *Aquam* pro baptismate, ut patet ex sermone Christi apud Joannem [1].

b) *Panem* et *vinum* pro eucharistia, cum panem et vinum in coena consecravit [2].

c) *Actus poenitentis* pro poenitentia, cum per modum judicii hoc sacramentum instituit [3].

d) *Oleum* et *unctionem* pro extrema-unctione, ut insinuatur apud Marcum [4], et declaratur apud Jacobum [5].

e) *Contrahentium corpora* et *contractum legitimum circa illa* pro matrimonio, quando voluit, ut hoc sacramentum institueretur per modum contractus.

3) *Materia confirmationis et ordinis fuit probabilius in genere a Christo determinata.*

Nota. a) Non pauci theologi defendunt materiam horum sacramentorum fuisse a Christo in specie determinatam. Ita *S. Alphonsus M. de Ligorio, De Augustinis* et alii [6]. Hanc sententiam probare contendunt ex concilio tridentino, quod expresse docet Ecclesiam posse statuere vel mutare, quidquid magis expedire judicet «in sacramentorum dispensatione, *salva illorum substantia*» [7]. Substantia autem sacramentorum, ut alibi dicit concilium, «materia et forma... perficitur» [8]. Unde Ecclesia non valet horum sacramentorum materiam mutare.

b) Alii multo communius tenent Christum nonnisi in genere determinasse materiam horum sacramentorum, designando aliquod signum sensi-

---

1 *Joan.*, 3, 5.
2 *Matth.*, 26, 26-28; *Marc.*, 14, 22-24; *Luc.*, 22, 19-20.
3 *Joan.*, 20, 22-23.
4 *Marc.*, 6, 13.
5 *Jac.*, 5, 14-15.
6 **S. Alphonsus M. de Ligorio,** *De sacramentis in genere,* n. 12; **De Augustinis,** *De sacramentis in genere,* th. 13.
7 *Sess.* 21, c. 2; **Denz-Bannw.,** 931.
8 *Sess.* 14, c. 2; **Denz-Bannw.,** 895.

bile aptum ad significandum eorum effectum, et Ecclesiae auctoritati reliquisse electionem materiae et formae in specie. Ita *S. Bonaventura, Bellarminus, Lugo, Salmanticenses morales* et *scholastici, Philippus a SS. Trinitate, Gabriel a S. Vincentio, Billuart, Billot, Fei* et alii plures [1].

Cum agemus de sacramentis in particulari, constabit materia singulorum. Pro munere nostro sufficiat hic demonstrare materiam horum sacramentorum non fuisse a Christo in specie determinatam.

Arg. Plures probabiliter defendunt materiam ordinis in Ecclesia latina esse traditionem instrumentorum, dum in Ecclesia graeca est manuum impositio. Materia confirmationis probabilius in Ecclesia latina est unctio ex oleo olivarum et manuum impositio, cum tamen probabile est apostolos eam administrasse per solam manuum impositionem [2]. Haec autem mutatio explicari non posset, si supponeretur Christum in specie determinasse materiam horum sacramentorum.

Ex hoc sequi videtur Christum Dominum in genere tantum determinasse materiam confirmationis et ordinis, id est, designasse aliquod signum sensibile aptum ad significandum donationem gratiae per modum roboris pro confirmatione, et collationem potestatis pro ordine, relicta Ecclesiae facultate ad specificandum signum, quod adhiberi oporteret [3].

Ad rationem oppositae sententiae dicendum est Ecclesiam, cum specificat materiam a Christo in genere determinatam, incolumem servare substantiam sacramentorum, quia substantia sacramentorum in nostro casu consisteret in signo sensibili apto ad significandum effectum sacramenti.

ARTICULUS IV

UTRUM ET QUOMODO CHRISTUS DETERMINAVERIT FORMAM SEU VERBA SACRAMENTORUM NOVAE LEGIS

41. Status quaestionis. 1) Quaestio est de verbis, quibus constat forma sacramentorum novae legis, quia sacramenta veteris testamenti non semper constabant verbis.

2) Verba possunt determinari *materialiter* vel *formaliter*. Determinantur *materialiter*, quando eliguntur syllabae, litterae, sonusque sermonis in uno idiomate, ut si quis praescriberet haec verba *Ego te abluo* cum iisdemet syllabis esse formam baptismi. Certum est Christum non determinasse materialiter formam sacramentorum novae legis, quia nunquam ordinavit, ut in sacramentis conferendis adhiberentur formulae determi-

---

[1] **S. Bonaventura,** *In IV Sent.*, dist. 24, p. 2, a. 1, q. 4 ad 5; **Bellarminus,** *De sacramento ordinis*, c. 9; **Lugo,** *De sacramentis in genere*, disp. 2, sect. 5, n. 86 sqq.; **Salmanticenses morales,** *De sacramentis in genere*, c. 4, n. 48; **Salmanticenses scholastici,** *De sacramentis in communi*, q. 60, a. 5 comment.; **Philippus a SS. Trinitate,** *De sacramentis in genere*, disp. 2, dub. 3, ad 3 et 5; **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramentis in genere*, disp. 2, q. 3; **Billuart,** *De sacramentis in communi*, diss. 1, a. 5, obj. 3 et consect. 1; **Billot,** *De sacramentis*, ed. 4, th. 2 ad 1; **Fei,** *De sacramentis in genere*, n. 8.

[2] *Act.* 8, 17.

[3] Cfr. **Hugon,** *De sacramentis in communi*, q. 1, a. 4, n. 7 sqq.

natis verbis compositae. Determinantur *formaliter*, quando eligitur seu praescribitur sensus dictionis, et verba, sive exprimantur in uno vel altero idiomate, sive constent his vel aliis vocibus, dummodo exhibeant eumdem sensum, eadem esse dicuntur; sicut in baptismo verba *baptizo*, *abluo*, *lavo*, idem significant.

3) Quaeritur, an Christus determinaverit saltem formaliter verba, quibus constant formae sacramentorum.

42. Error. Lutherus, quem deinceps sequuti sunt plures reformatores, otiosam esse dicebat contentionem, qua de forma baptismi aliqui litigabant. «Quocumque modo, ait (in nomine Jesu, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti), tradatur baptismus, modo non in nomine hominis, sed in nomine Domini tradatur, vere salvum facit» [1].

43. THESIS. **Christus certe determinavit formaliter, verba, quibus constant formae sacramentorum novae legis.**

Arg. 1) *Tertullianus* diserte docuit materiam et formam baptismi determinatam fuisse dicens: «Lex enim tingendi imposita est et forma praescripta» [2]. Et *S. Basilius* adserit e vita et gratia excidere, «qui aliquid addit vel detrahit praescriptae formae baptismatis» [3].

2) Christus Dominus, instituens sacramenta, ea omnia determinavit, quae ad eorum substantiam spectabant. Verba autem, quae constituunt formam, spectant saltem quoad sensum ad substantiam sacramentorum. Ergo Christus determinavit quoad sensum verba sacramentorum novae legis.

3) In rebus tum physice tum moraliter compositis forma, quae habet rationem actus, solet esse magis determinata quam materia. Sed in sacramentis oportet, ut diximus, materiam esse a Christo determinatam. Ergo a fortiori oportet formam esse a Christo determinatam [4].

ARTICULUS V

UTRUM VERBA IN FORMIS SACRAMENTORUM NOVAE LEGIS SINT CONCIONATORIA TANTUM, VEL POTIUS EFFECTIVA

44. Errores. 1) Reformatores generatim dixerunt verba, quibus constant formae sacramentorum novae legis esse concionatoria tantum vel ad summum doctrinalia et instructiva. Ita *Calvinus*, *Melanchthon*, et alii [5].

2) Juxta modernistas «sacramenta eo tantum spectant, ut in mentem hominis revocent praesentiam Creatoris semper beneficam [6].

Doctrina catholica. Catholici communiter tenent verba, quibus conficimus nostra sacramenta, non esse mere concionatoria, sed esse vere effectiva [7].

---

[1] *De captiv. babyl. Ecclesiae*, c. «De sacramento baptismi», «Hanc sententiam».
[2] *De baptismo*, c. 13; ML **1**, 1323.
[3] *De Spiritu Sancto*, c. 12; MG **32**, 118.
[4] Cfr. **Joannes a S. Thoma**, disp. 12, a. 7.
[5] **Calvinus**, *Inst.*, lib. 4, c. 14; **Melanchthon**, *Catechesis*, c. «De sacramentis», et *Loci theologici*, c. «De baptismo infantium».
[6] Decreto lamentabili, prop. 41; **Denz-Bannw.**, 2041.
[7] Cfr. **Philippus a SS. Trinitate**, *De sacr. in genere*, disp. 2, dub. 5.

45. THESIS. **Verba, quae constituunt formas sacramentorum novae legis, non sunt mere concionatoria et pure instructiva, sed sunt vere effectiva.**

Arg. 1) Apostolus probe distinguit munus baptizandi a munere evangelizandi dicens: *Non enim misit me Christus baptizare sed evangelizare* [1], id est, misit me potius evangelizare quam baptizare, ut explicat *Cornely* [2]. Si autem verba sacramentorum forent solum concionatoria, nullus daretur huic distinctioni locus, sed tam administratio baptismi quam praedicatio essent evangelizare.

2) Sancti Patres diserte docuerunt verba sacramentorum esse effectiva. *S. Cyrillus Hieros:* «Aqua simplex, Spiritus Sancti, et Christi et Patris invocationem percipiens, vim sanctitatis acquirit» [3]. *S. Augustinus:* «Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum etiam ipsum tanquam visibile verbum... Unde ista tanta virtus aquae, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur... Hoc est verbum fidei, quod praedicamus, quo sine dubio, ut mundare possit, consecratur et baptismus... Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, etiam tantillum mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam, et ore confiteri ad salutem» [4].

3) Verba, quibus constant formae sacramentorum novae legis, vel non audiuntur a fidelibus, ut saepe contingit in eucharistia et poenitentia, vel non intelliguntur a subjecto, ut accidit in baptismo infantibus collato, et nihilominus accedunt ad elementum et faciunt sacramentum. Ad quid proferantur ad modum concionis et persuassionis? Quomodo in his casibus possunt excitare fidem promissionum?

Ad hoc respondet *Melanchthon:* «Spiritus Sanctus per baptismum eis datur, qui efficit in eis (in infantibus) novos motus, novas inclinationes ad Deum pro ipsorum modo» [5].

Sed *S. Augustinus* huic anticipate responsum dedit dicens: «Unde autem in ipso tanto salutis praesidio, quando eis christiana gratia subvenitur, quod vocibus, quibus possunt, et motibus reluctantur, non eis imputatur, atque omnis renixus ipsorum nihil penditur, donec in eis sacramenta peragantur, quibus id, quod de originali damnatione tractum est, expietur, nisi quia in tantum nesciunt quid faciunt, ut nec facere judicentur? Porro, si jam uterentur rationis et voluntatis arbitrio, quo illi sanctificationi adhiberi deberet assensus, quantum mali esset resistere tantae gratiae, quamque non solum nihil prodesset, quod fieret, verum etiam inde reatus accresceret, quis christianus ignoret?» [6].

Injuste igitur *Calvinus* in opprobrium vertit, quod sacerdotes catholici consecrationis formulam demurmurent vel omnia in sacramentorum

---

[1] *I Cor.*, 1, 17.
[2] *Comment. ad I Cor.*, 1, 17.
[3] *Catechesis III*, n. 3; MG **33,** 429.
[4] *In Joann.*, tr. 80, n. 3; ML **35,** 1840. Cfr. **Van Noort,** *De sacr.*, n. 29 nota.
[5] *Loci theologici*, c. «De baptismo infantium».
[6] *Ep.* 187 (al. 57), n. 25; ML **33,** 841.

administratione latine apud homines illiteratos pronuntient [1]. Essentia enim et effectus sacramentorum non pendent necessario ab intelligentia subjecti vel circumstantium, sed ab intentione ministri materiam applicantis et formam.

ARTICULUS VI

UTRUM MATERIA ET FORMA SACRAMENTORUM MUTARI QUEANT

46. Status quaestionis. 1) Mutatio tum materiae tum formae sacramentorum potest esse *substantialis* vel *accidentalis*.

a) Mutatio *substantialis materiae* est substitutio rei sensibilis essentialiter (physice vel moraliter) diversae ab ea, quam Christus designavit, ut substitutio vini loco aquae in baptismo. Mutatio *accidentalis* materiae est corruptio materiae legitimae quoad conditiones accidentales, ut si aqua naturalis calefiat, vel panis adhibeatur azymus aut fermentatus.

b) Mutatio *substantialis formae* est corruptio essentialis sensus verborum, adeo ut verba non referant eumdem essentialem sensum vel sententiam a Christo in institutione sacramentorum intentam; ut si quis in consecratione diceret: *Hoc est enim caput meum*. Mutatio *accidentalis formae* est variatio aliqua verborum, eodem sensu vel sententia retento; ut si quis loco *baptizo* dicat *abluo* in baptismo.

2) Quaestio de mutatione materiae et formae sacramentorum sub duplici adspectu potest exponi: a) an Ecclesia habeat facultatem mutandi essentialiter materiam et formam sacramentorum; b) an minister particularis possit ad libitum quocumque modo eas mutare.

47. Placita theologorum. 1) Plures veteres theologi voluerunt non omnia sacramenta fuisse a Christo instituta, sed confirmationem et extremam-unctionem ab apostolis vel conciliis fuisse Christi ordinatione introductas. Hoc admisso principio, dixerunt horum saltem sacramentorum materiam et formam essentialiter ab Ecclesia mutari posse. Ita *Hugo Victorinus* et *Petrus Lombardus*, quoad extremam-unctionem; *Alensis* et *S. Bonaventura*, quoad confirmationem [2].

De hoc agendum erit inferius, dum de auctore sacramentorum. Pro praesenti instituto dicere sufficiat hanc sententiam sustineri non posse post concilium tridentinum, in quo definitum est Christum esse auctorem sacramentorum novae legis, et omnia in Ecclesia circa sacramenta providenda esse, *salva illorum substantia* [3].

2) Alii defenderunt Christum instituisse materias et formas quorumdam sacramentorum in genere tantum et auctoritati Ecclesiae determinandas reliquisse. Ita *Bellarminus*, *Lugo* et alii [4].

---

[1] *Institut.*, lib. 4, c. 14, n. 4.

[2] **Hugo Victorinus,** *De sacram.*, tom. 3, lib. 2, p. 15, c. 2; ML **176,** 577; **Petrus Lombardus,** *IV Sent.*, dist. 23, c. 2; **Alensis,** *IV p.*, q. 9, m. 2; **S. Bonaventura,** *In IV Sent.*, dist. 7, a. 1, q. 1.

[3] *Sess.* 21, c. 2; **Denz-Bannw.,** 931.

[4] **Bellarminus,** *De sacramento ordinis*, c. 9; **Lugo,** *De sacramentis in genere*, disp. 2, sect. 5.

48. THESIS I. 1) **Ecclesia non habet potestatem mutandi essentialiter materiam et formam sacramentorum novae legis;** 2) **sed habet facultatem inducendi in eis mutationes accidentales;** 3) **et, ubi Christus materiam et formam sacramentorum in genere tantum determinavit, potest eas in specie designare intra essentiam materiae et sensus verborum a Christo intentam.**

Pars 1.ª Ecclesia nequit essentialiter mutare materiam et formam sacramentorum novae legis.

Nota. 1) Nullatenus dubito, quin Christus Ecclesiae suae conferre potuerit potestatem mutandi essentialiter materiam et formam sacramentorum novae legis, sed discutiendum est, an de facto eam Ecclesiae contulerit.

Multo communius negant theologi. Conferri possunt *Soto, Salmanticenses morales* et *scholastici,* et alii [1].

Arg. 1) Concilium tridentinum docet Ecclesiam habere potestatem mutandi quidquid velit in dispensatione sacramentorum, «salva ipsorum substantia» [2]. Sed materia et forma pertinent ad substantiam sacramentorum. Ergo.

2) Elementa essentialia sacramentorum nemo potest essentialiter mutare, nisi habeat facultatem instituendi sacramenta, quia essentialia mutare est noviter ea condere. Sed materia et forma sunt elementa essentialia sacramentorum, et Ecclesia non habet facultatem instituendi sacramenta. Ergo Ecclesia non potest essentialiter mutare materiam et formam sacramentorum novae legis.

3) Angelicus Doctor hanc doctrinam mirifice expendit dicens: «Apostoli et eorum successores sunt vicarii Dei quantum ad regimen Ecclesiae constitutae per fidem et fidei sacramenta. Unde, sicut non licet eis constituere aliam Ecclesiam, ita non licet eis tradere aliàm fidem, neque instituere alia sacramenta. Sed per sacramenta, quae de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt, dicitur esse fabricata Ecclesia Christi» [3].

«Ad ministros Ecclesiae nec novos fidei articulos edere, aut editos removere, aut nova sacramenta instituere, aut instituta removere pertinet; sed hoc est potestatis excellentiae, quae soli debetur Christo, qui est Ecclesiae fundamentum» [4].

Cur autem hanc potestatem excellentiae Christus negaverit Ecclesiae explicat dicens: «Christus non ex invidia praetermisit potestatem excellentiae Ecclesiae ministris communicare; sed propter fidelium utilitatem, ne in homine spem ponerent, et ne essent diversa sacramenta, ex quibus divisio in Ecclesia oriretur, sicut apud illos, qui dicebant: *Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae,* ut dicitur I ad Corinthios, 1, 12» [5]. «Ne scilicet multa capita in Ecclesia essent, Christus noluit potestatem suae excellentiae ministris communicare» [6].

---

[1] **Soto,** *In IV Sent.,* dist. 3, q. un., a. 5; **Salmanticenses morales,** *De sacramentis in genere,* c. 4, p. 2, n. 48; **Salmanticenses scholastici,** *De sacramentis in communi,* disp. 2, n. 61.

[2] *Sess.* 21, c. 2; **Denz-Bannw.,** 931.

[3] *III p.,* q. 64, a. 2 ad 3.

[4] *In IV Sent.,* dist. 17, q. 3, a. 1, quaest. 5.

[5] *III p.,* q. 64, a. 4 ad 1.

[6] *III p.,* q. 64, a. 4 ad 3.

Pars 2.ª Ecclesiae auctoritati competit quasdam innovationes accidentales in materia et forma sacramentorum inducere.

Expresse hoc docuit Concilium tridentinum dicens: «Declarat hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva ipsorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietate magis expedire judicaret» [1]. Hac facultate usa est Ecclesia, cum decrevit aquam consecratam adhibendam esse in baptismo, panem azymum apud latinos et fermentatum apud graecos utendum esse in conficienda eucharistia, etc. Hac etiam facultate formam baptismi aliquantulum mutavit, cum verba *Ego te baptizo* adoptavit pro latinis, et *Baptizetur servus Christi* pro graecis.

Pars 3.ª Ubi materia et forma in genere tantum designatae sunt a Christo, potest Ecclesia eas in specie determinare.

Diximus superius materiam et formam quorumdam sacramentorum non in specie sed in genere tantum fuisse a Christo determinatam, quatenus signum aliquod sensibile pro materia, et quaelibet verba, quae determinatum sensum tenerent, pro forma a Christo designata sunt. Quod praecipue in confirmatione et ordine locum habuisse creditur.

Ubi id contigit, Ecclesiae catholicae relictum est materiam et formam sacramentorum in genere tantum determinatam in specie designare, quod et fecit.

Ex hoc orta esse videtur differentia, si qua sit, circa materiam et formam quorumdam sacramentorum in Ecclesiis graeca et latina.

Si illa differentia admittatur, ut a plerisque admittitur, dicendum est Ecclesiam, facultate sibi commissa, determinasse unam speciem materiae et formae pro Ecclesia orientali, et alteram speciem pro Ecclesia occidentali, utramque tamen contineri sub uno genere sive materiae sive formae a Christo determinato.

Scholion. Si quando apostoli eorumque discipuli administrarunt sacramenta sine debita materia vel forma, id fecisse dicendi sunt ex peculiari Dei privilegio et dispensatione.

49. Thesis II. Mutatio substantialis tam materiae quam formae invalidat sacramentum, non autem mutatio accidentalis.

Pars 1.ª Mutatio substantialis invalidat sacramentum.

Arg. Christus Dominus instituens sacramenta voluit, ut eorum essentia constitueretur materia et forma. Hinc, qui essentialiter mutat materiam et formam sacramentorum, destruit rem a Christo institutam, et efficit aliam rem essentialiter diversam. Ergo mutatio substantialis tum materiae tum formae invalidat sacramentum.

---

[1] *Sess.* 21, c. 2; **Denz-Bannw.**, 931.

Pars 2.ª Mutatio accidentalis materiae et formae non invalidat sacramentum.

Arg. Mutatio accidentium non destruit sed intactam relinquit essentiam rei. Ergo mutatio accidentalis materiae et formae non invalidat sacramentum. Hinc Eugenius IV per suum decretum *Primum omnium* declarat baptismum graecorum, licet administretur sub forma accidentaliter diversa a forma latinorum, esse validum.

Scholion I. a) Mutatio substantialis materiae fit, quotiescumque materia sacramenti ita corrumpitur, ut *physice* in sua essentia, vel *moraliter* in aestimatione hominum, differat ab ea, quam Christus designavit. Sic vinum physice et glacies moraliter differunt ab aqua naturali.

b) Mutatio accidentalis materiae fit multipliciter secundum omnes variationum species, quibus contingit rem immutari.

Scholion II. Mutatio tam substantialis quam accidentalis formae fieri potest *diminutione*, aliquid auferendo; *additione*, verba adjungendo; *variatione*, verba permutando; *transpositione*, verba invertendo; *corruptione*, verba mutilando vel ampliando; *interruptione*, verborum pronuntiationem suspendendo.

Haec moralistae exprimere solent sequentibus versibus:

Nihil formae demas, nil addas, nil variabis;
Transmutare cave, corrumpere verba, morari.

Non opus est hos terminos singillatim exponere. Facile est simplici regula declarare, quando adsit substantialis et quando accidentalis formae mutatio. Quoties enim relatis mutationibus corrumpitur sensus verborum, adeo ut verba sic mutata non referant sententiam a Christo pro forma sacramentorum determinatam, est mutatio substantialis. Quando vero remanet sensus verborum et sententiae a Christo intentus, est mutatio accidentalis [1].

50. THESIS III. **Ministris Ecclesiae non licet mutare, nequidem accidentaliter, ad arbitrium materiam et formam sacramentorum.**

Arg. Praeceptum datur Ecclesiae obligans omnes ministros, saltem ex officio deputatos, ut materia et forma sacramentorum, prout exstant in rituali proprio, adhibeantur sine ulla mutatione in sacramentorum administratione.

Facultas autem, quam diximus a Christo esse collatam, mutandi ea, quae ad sacramenta spectant, salva ipsorum substantia, non singulis ministris sed Ecclesiae auctoritati est concessa.

Quale sit peccatum mutare materiam et formam sacramentorum, solet explicari a moralistis. Mutatio substantialis semper est peccatum mortale, nisi excuset ignorantia vel alia causa. Mutatio accidentalis ex

---

[1] His adjungi solent aliae duae species mutationis formarum: *usus* scilicet *alterius idiomatis*, qui mutationem accidentalem non excedit (Cfr. **Salm. mor.**, *De sacram. in genere*, c. 4, p. 3, n. 52), et *subrogatio nutuum* loco verborum, quae extra matrimonium, est semper mutatio substantialis. Cfr. **Philippus a SS. Trinitate**, *De sacram. in genere*, disp. 2, dub. 6.

genere suo est etiam peccatum mortale, sed admittit parvitatem materiae, ut omittere *enim* in forma consecrationis eucharistiae. Unde mutatio accidentalis, «si sit, ait *Philippus a SS. Trinitate*, de industria notabilis, aut adsit scandalum, erit peccatum mortale; si autem non sit notabilis, et absit scandalum, propter parvitatem materiae erit tantum peccatum veniale» [1].

Caetera vide apud moralistas.

51. Scholion. Cum Concilium florentinum dixerit omnia sacramenta tribus perfici, «videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia» [2], dubium pulsat animum, an intentio ministri conficientis sacramenta veniat intrinsece in compositionem sacramentorum.

Omnes facile concedunt intentionem ministri esse omnino necessariam ad validitatem sacramentorum. «In sacramentis, ait *S. Thomas*, est duplex intentio; una, quae ordinatur ad perfectionem sacramenti, et haec est essentialis sacramento; unde, ea praetermissa, non est sacramentum» [3].

Sed ulterius disputatur, an intentio ministri intret ut pars ad componendum intrinsece sacramentum.

Partem affirmativam quoad sex sacramenta, quae consistunt in usu, strenue defendit *Lugo* [4].

Sententia tamen negativa est communis et certa.

Intentio siquidem ministri, licet necessaria ad validitatem sacramenti, extrinsece se habet ad compositionem ejus, quae coalescit materia et forma unitis; sicut artifex, qui cum notione artis est necessarius ad artefactum, non intrinsece afficit artefactum, sed extrinsece se habens dirigit et applicat partes intrinsecas artefacti, ut opus perfectum evadat.

Ex eo autem, quod intentio ministri sit necessaria ad perfectionem sacramenti, male deducit *Lugo* eam esse partem intrinsecam compositi. Confundit clarissimus auctor causas et conditiones necessarias, quae extrinsece se habent, cum partibus intrinsece componentibus et constituentibus sacramenta.

QUAESTIO III

DE NECESSITATE ET EXSISTENTIA SACRAMENTORUM

ARTICULUS I

UTRUM SACRAMENTA SINT NECESSARIA AD HUMANAM SALUTEM

52. 1) Angelicus Doctor ex necessitate sacramentorum nos quasi manuducit ad cognitionem exsistentiae eorum. Cum enim Deus provide largiatur homini necessaria ad salutem, ostensa necessitate sacramentorum, legitime deducit ea de facto exsistere.

2) Necessarium autem hic accipit S. Doctor non absolute, neque ex

[1] *De sacram. in genere*, disp. 2, dub. 6.
[2] *Decret. pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 695.
[3] *In IV Sent.*, dist. 11, q. 2, a. 1, sol. 3 ad 1.
[4] *De sacramentis in genere*, disp. 2, sect. 7.

suppositione simpliciter, sed ex suppositione *secundum quid* [1]. «Sacramenta, ait, non erant necessaria necessitate absoluta, sicut necessarium est Deum esse, cum ex sola divina bonitate instituta sint; sed ex necessitate, quae est ex soppositione finis. Non ita tamen, ut sine his Deus hominem sanare non posset (necessitas simpliciter), quia sacramentis virtutem suam non alligavit, sicut cibus est necessarius ad vitam humanam. Sed quia per sacramenta magis congrue fit hominis reparatio (necessitas secundum quid); sicut equus dicitur necessarius ad iter, quia in equo facilius homo vadit.

3) Sacramenta hoc pacto esse ad salutem homini necessaria definit Concilium tridentinum dicens: *Si quis dixerit sacramenta novae legis non esse ad salutem necessaria sed superflua... a. s.* [2].

4) Sacramenta esse homini ad salutem necessaria *secundum quid* ostendit *Angelicus* pulcherrimis congruentiis, quas lubet heic ad litteram transcribere:

a) *Ex conditione naturae.* «Prima ratio sumenda est ex conditione humanae naturae, cujus proprium est, ut per corporalia et sensibilia in spiritualia et intelligibilia deducatur. Pertinet autem ad divinam providentiam, ut unicuique rei provideat secundum modum suae conditionis. Et ideo convenienter divina sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus et sensibilibus signis, quae sacramenta dicuntur».

b) *Ex conditione hominis lapsi.* «Secunda ratio sumenda est ex statu hominis, qui peccando se subdidit per affectum corporalibus rebus. Ibi autem debet medicinale remedium homini adhiberi, ubi patitur morbum. Et ideo conveniens fuit, ut Deus per quaedam corporalia signa homini spiritualem medicinam adhiberet; nam, si spiritualia nuda ei proponerentur, eis animus applicari non posset corporalibus deditus».

c) *Ex studio actionis humanae.* «Tertia autem ratio sumenda est ex studio actionis humanae, quae praecipue circa corporalia versatur. Ne ergo esset homini durum, si totaliter a corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia in sacramentis, quibus salubriter exerceatur ad evitanda superstitiosa exercitia, quae consistunt in cultu daemonum vel qualitercumque noxia, quae consistunt in actibus peccatorum» [3].

d) *Ex necessitate alicujus signaculi, ut homines ad religionem coadunentur.* «In nullum nomen religionis seu verum seu falsum coadunari homines possent, nisi aliquo signaculorum seu sacramentorum visibilium consortio colligerentur. Sed necessarium est ad humanam salutem homines adunari in unum verae religionis nomen. Ergo sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem» [4].

Hanc doctrinam unanimi consensu tenuerunt summi theologi contra quosdam haereticos. Conferendi sunt *Petrus Lombardus*, *S. Bonaventura*, *Scotus*, et alii [5].

---

1 Cfr. *Theologia fundamentalis*, n. 12.
2 Sess. 7, *De sacramentis in genere*, can. 4; **Denz-Bannw.**, 847.
3 *III p.*, q. 61, a. 1.
4 *III p.*, q. 61, a. 1, «Sed contra».
5 **Petrus Lombardus,** *IV Sent.*, dist. 1; **S. Bonaventura,** *In IV Sent.*, dist. 1, a. un., q. 1; **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 1, q. 3.

ARTICULUS II

UTRUM IN STATU INNOCENTIAE FUERINT SACRAMENTA

53. Status quaestionis. 1) Ex hactenus dictis de necessitate sacramentorum facile deducitur sacramenta de facto exstitisse vel exsistere in aliquo statu hominis.

2) Status porro hominis in via sunt: status innocentiae ante peccatum, status legis naturae a peccato Adamis usque ad Moysem, status legis scriptae a Moyse usque ad Christum, et status naturae reparatae post Christum.

3) Status innocentiae fuit ille, quem Adam et Eva habuerunt ante peccatum. Hunc statum omnium felicissimum mirifice descripsit *Angelicus* in suo Compendio theologiae [1], et nos commemoravimus in tractatu *De Deo Creatore* [2]. Disputatur, an in eo fuerint vera sacramenta.

54. Placita theologorum. 1) *Durandus* arbitratus est sacramenta exstitisse in statu innocentiae, prout fuerunt «sacra signa protestantia fidem, de Deo salvatore et remuneratore conferente in praesenti sanctitatem et in futuro salutem» [3]. *Alensis* vero docuit sacramenta potuisse dici necessaria in statu innocentiae, quatenus ordinata sunt ad intelligentiam «gratiae alicujus perficientis ipsam naturam stantem» [4].

2) Multo communius alii negant fuisse sacramenta in statu innocentiae. Ita *S. Thomas* cum omnibus thomistis, *Suarez*, *Vazquez*, et alii [5].

55. THESIS. **Nullum de facto in statu innocentiae fuit verum sacramentum.**

Nota. Quoad possibilitatem nemo dubitat, quin potuerint in illo statu esse sacramenta.

Arg. 1) Status innocentiae brevissimo tantum tempore duravit. Sacramenta autem, utpote signa permanentia, non videntur esse pro brevi tempore instituta.

2) In statu innocentiae sacramenta carebant scopo proprio et primario. Sacramenta siquidem praecipue ordinantur ad producendam gratiam sanctificantem. In statu autem innocentiae primam gratiam accepissent homines per transmissionem justitiae originalis, et augmentum gratiae per opera facta in justitia originali.

Hac ratione moti generaliter defendunt thomistae [6] contra Suarez, Lugo et alios [7] sacramenta nunquam fore in statu innocentiae, si omnes

---

[1] *Comp. Theolog.*, c. 186.

[2] *De Deo Creatore*, n. 750 sqq.

[3] *In IV Sent.*, dist. 1, q. 2.

[4] *IV p.*, q. 1, m. 2, a. 1.

[5] **S. Thomas,** *III p.*, q. 61, a. 2; **Suarez,** *De sacramentis in genere*, disp. 3, sect. 3; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 130, c. 2.

[6] Cfr. **Soto,** *In IV Sent.*, dist. 1, q. 2, a. 2; **Joannes a S. Thoma,** *In III p.*, q. 61, disp. 23, dub. 2; **Philippus a SS. Trinitate,** *De sacramentis in genere*, disp. 3, dub. 1.

[7] **Suarez,** *De sacramentis in genere*, disp. 3, sect. 3; **Lugo,** *De sacramentis in genere*, disp. 3, sect. 1, n. 16 sqq.

homines perseverassent in innocentia, quamvis supponatur, ut aliqui volunt, Christum fuisse venturum.

Si, Adamo non peccante, plures homines peccassent, disputatur inter theologos, an per sacramenta providisset Deus peccantium necessitati. *Philippus a SS. Trinitate* [1] censet in hoc casu fore sacramenta, dum *Hugon* negat [2], et *Salmanticenses* in negativam sententiam se inclinant [3]. Totum est incertum.

56. Scholion. Aliquibus visum est matrimonium de facto in statu innocentiae fuisse sacramentum juxta Apostolum, qui referens verba Adami ait: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia* [4]. Unde *S. Leo* hunc locum exponens ait: «Cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut praeter sexuum conjunctionem haberet in se Christi et Ecclesiae sacramentum» [5].

Verius tamen dicendum est matrimonium protoparentum in statu innocentiae fuisse improprie non rigorose sacramentum. *Improprie* quidem juxta verba Apostoli et S. Leonis, quatenus praefigurabat aliquid novi testamenti, scilicet unionem Christi et Ecclesiae, sicut serpens aeneus, quamvis non esset sacramentum, praefigurabat Christum. *Non rigorose*, quia non fuit a Deo ordinatum, ut significaret rem sacram sanctificantem homines. Hanc doctrinam tenet Angelicus dicens: «Matrimonium fuit institutum in statu innocentiae, non secundum quod est sacramentum, sed secundum quod est in officium naturae. Ex consequenti tamen aliquid significabat futurum circa Christum et Ecclesiam; sicut et omnia alia, quae in figura Christum praecesserunt» [6].

ARTICULUS III

AN ET QUAE FUERINT SACRAMENTA IN LEGE NATURAE

57. Status quaestionis. Status legis naturae, quae sic appellatur in oppositione ad legem scriptam, incepit ab Adamo statim post lapsum, et duravit usque dum Moyses scripsit legem. Hoc tempore instituit Deus circumcisionem in Abrahamo, quae probabilissime fuit sacramentum. Sed disputatur, an praeter circumcisionem alia fuerint in lege naturae sacramenta proprie dicta.

58. Placita theologorum. 1) *Soto, Vazquez* et alii [7] docuerunt in lege naturae nullum fuisse sacramentum praeter circumcisionem.

2) Alii communius tenuerunt in lege naturae etiam ante Abraham

---

1 *De sacramentis in genere*, disp. 3, dub. 1.
2 *De sacramentis in communi*, q. 2, a. 2, concl. 3.
3 *De sacramentis in communi*, disp. 2, n. 19.
4 *Ephes.*, 5, 31-32.
5 *Ep.* 167, *Respon. ad inq.* 4; ML **54**, 1204.
6 *III p.*, q. 61, a. 2 ad 3.
7 **Soto,** *In IV Sent.*, dist. 1, q. 2, a. 3; **Vazquez**, *In III p.*, disp. 130, c. 4, a. 3, n. 35.

fuisse vera sacramenta. Ita *Hugo Victorinus* (vel quisquis fuerit auctor libri *De sacramentis*), *S. Thomas*, *Alensis*, *Scotus*, *Argentina*, *Durandus*, *Cano*, et alii plures antiqui ac recentiores [1].

59. THESIS. **In lege naturae, etiam ante datam circumcisionem, remedium naturae fuit verum sacramentum, et probabilius fuerunt alia etiam sacramenta.**

Pars 1.ª Remedium naturae fuit verum sacramentum [2].

Arg. 1) *Ex auctoritate S. Augustini:* «Nec ideo tamen credendum est et ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis; quamvis, quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit» [3].

2) *Ex auctoritate Innocentii III:* «Absit, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin et ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem» [4].

3) *Ex ratione.* Voluntas Dei salvifica non patiebatur in lege naturae infantes peccato originali infectos relinquere sine remedio. Hoc autem remedium pro delendo peccato originali adhibendum erat, non per actionem infantium, qui ad hoc incapaces erant, sed per opera aliorum. Opera autem hominum vi carent ad delendum peccatum originale alterius, nisi ad hoc ordinentur per institutionem divinam. Unde remedium naturae, quod in statu legis naturae ordinabatur ad salutem infantium, erat verum sacramentum.

Quod fuerit hoc remedium, non constat apud auctores.

S. Gregorius Magnus adserit illud pro parvulis fuisse *solam fidem*, et pro majoribus *virtutem sacrificii* [5]. Fortasse requisivit S. Doctor externam fidei manifestationem pro infantibus, sed solam fidem expressit in oppositione ad virtutem sacrificii, quam exegit pro adultis.

S. Thomas ait: «Probabile tamen est, quod parentes fideles (ante datam circumcisionem) pro parvulis natis, et maxime in periculo exsistentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent (quod erat quoddam signaculum fidei), sicut adulti pro seipsis preces et sacrificia offerebant» [6].

Licet difficile fuerit declarare naturam hujus remedii, dicendum tamen

---

[1] **Hugo Victorinus,** *De sacramentis*, lib. 1, p. 11, c. 1; ML **176,** 343; **S. Thomas,** *III p.*, q. 61, a. 3; et *In IV Sent.*, dist. 1, q. 1, a. 2, q. 3; **Alensis,** *IV p.*, q. 1, membro 3, a. 3; et q. 2, m. 1; **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 1, q. 3; et q. 7; **Argentina,** *In IV Sent.*, dist. 1, q. 2, a. 2; **Durandus,** *In IV Sent.*, dist. 1, q. 2; **Cano,** *Relectio de sacramentis*, p. 3, ad 1. Cfr. **Philippus a SS. Trinitate,** *De sacramentis in genere*, disp. 3, dub. 2; et **Billot,** *De sacramentis in communi*, th. 2 et 4.

[2] Cfr. **Franzelin,** *De sacramentis*, th. 3.

[3] *Contra Julianum*, lib. 5, c. 11; ML **44,** 809.

[4] **Denz-Bannw.,** 410.

[5] «Quod vero apud nos valet aqua baptismalis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis *sola fides*, vel pro majoribus *virtus sacrificii*, vel pro his, qui ex stirpe Abrahae prodierant mysterium circumcisionis.» *Moral.*, lib. 4, c. 3; ML **75,** 635.

[6] *III p.*, q. 70, a. 4 ad 2.

videtur illud fuisse aliquod signaculum fidei externum seu externam fidei protestationem, quae significabat fidelium sanctificationem.

Pars 2.ª Probabilius alia fuerunt sacramenta.

S. Thomas ait ad rem: «Ante legem scriptam erant quaedam sacramenta necessitatis, sicut illud fidei sacramentum, quod ordinabatur ad deletionem originalis peccati: et similiter poenitentia, quae ordinabatur ad deletionem actualis» [1].

Ratio id suadet, quia, supposita in Deo voluntate salvandi omnes homines in statu legis naturae, oportuit, ut praepararentur media apta, non solum ad delendum peccatum originale, sed etiam ad tollendum peccata actualia et promovendum augmentum gratiae. Sola autem signa sensibilia, quae gratiam homini sive peccatori sive justo conferendam significabant, erant ad hoc homini proportionata. Ergo in statu legis naturae, praeter remedium naturae, quae ordinabatur ad tollendum peccatum originale, exsistebant alia signa, quibus significabatur vel gratia peccatoribus conferenda, vel augmentum gratiae justis elargiendum. Haec autem erant sacramenta.

Quot fuerint in illo statu sacramenta, incertum est.

Primum fuit secundum S. Thomam *remedium naturae* seu sacramentum fidei ad tollendum peccatum originale.

Secundum fuit *circumcisio* a Deo instituta tempore et pro stirpe Abrahae ad delendum etiam peccatum originale.

Tertium dicitur fuisse *sacramentum poenitentiae* ad remissionem peccatorum actualium, «consistens, ut ajunt Salmanticenses... aut in signis externis doloris, aut in generali et confusa quadam peccatorum confessione, aut in sacrificio ad eorum deletionem ordinato» [2].

Quartum fuisse videtur *oblationem Melchisedech*, quod S. Thomas diserte vocat sacramentum [3], et respondebat sacramento eucharistiae.

Quintum probabiliter fuit *sacra ordinatio*, qua constituebantur sacerdotes et ministri illius temporis. Unde legimus Noe, Abraham, Melchisedech et alios in lege naturae fuisse sacerdotes [4].

Alia quoque sacramenta legis naturae numerantur ab auctoribus, sed nihil de hoc demonstrari potest.

Haec sacramenta fuerunt certe a Deo instituta, quia citra divinam institutionem signa sensibilia non potuerunt habere vim significandi sanctitatem ac justitiam hominis. Quia tamen proportionata erant statui obscuritatis illius temporis, non erant a Deo determinata nisi vago modo et in genere, relicta specifica determinatione materiae ac ritus ad arbitrium et voluntatem fidelium, qui interiori quodam instinctu movebantur ad determinandas eorum materias et ritus. «Etiam necesse fuit, ait *Angelicus*, quod in veteri lege quaedam sacramenta fidei, quam habebant de Christo venturo, determinarentur. Quae quidem comparantur ad sacramenta, quae fuerunt ante legem, sicut determinatum ad inde-

---

1 *In IV Sent.*, dist. 1, q. 1, a. 2, quaest. 3 ad 2.
2 *De sacramentis in communi*, disp. 3, n. 34.
3 *III p.*, q. 61, a. 3 ad 3.
4 Cfr. **S. Thomas,** *I-II*, q. 103, a. 1 ad 3.

terminatum; quia scilicet ante legem non fuit determinate praefixum homini, quibus sacramentis uteretur, sicut fuit per legem; quod erat necessarium et propter obtenebrationem legis naturae, et ut esset determinatior fidei significatio» [1].

ARTICULUS IV

UTRUM ET QUAE FUERINT SACRAMENTA IN STATU LEGIS SCRIPTAE

60. Status quaestionis. Lex per Moysem data constituit statum legis scriptae pro solo populo judaico [2], et duravit a Moyse usque ad mortem Christi.

Quaeritur, an hoc tempore apud judaeos exstiterint vera sacramenta.

61. THESIS. **In statu legis scriptae fuerunt vera sacramenta.**

Arg. 1) *Ex Concilio florentino et tridentino.* In his duobus conciliis definitum est sacramenta novae legis differre a sacramentis antiquae legis [3]. Sub nomine autem antiquae legis venit praecipue lex scripta per Moysem.

2) *Ex S. Augustino:* «Prima sacramenta, quae observabantur et celebrabantur ex lege, praenuntiativa erant Christi venturi» [4].

3) *Ex ratione.* a) Valde conveniens est ad salutem, ut homines adunentur in una Ecclesia. Sed homines in Ecclesia adunari non possunt, «nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur» [5].

b) Divina sapientia providet unicuique secundum modum suae conditionis. Sed conditio humanae naturae est, ut per sensibilia et corporalia ad intelligibilia et spiritualia deducatur. Ergo.

c) Congruum est, ut ibi homini remedium adhibeatur, ubi morbum patitur. Sed homo peccavit sese adhaerendo sensibilibus. Ergo convenientius remedium adhibitum fuit per sacramenta sensibilia.

Sacramenta legis mosaicae magis determinata sunt a Deo, quam sacramenta legis naturae, ut jam diximus et probavimus superius ex S. Thoma.

62. Scholion I. *Quot fuerint in hoc statu sacramenta.*

Non est theologorum una in hac parte sententia.

S. Augustinus ait ad rem: Sacramenta veteris legis sunt in lege gratiae «ablata, quia impleta;... et alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, et numero pauciora» [6].

---

[1] *III p.*, q. 61, a. 3 ad 2.

[2] Gentes extra populum judaicum viventes non ad statum legis scriptae sed ad statum legis naturae pertinebant.

[3] **Denz-Bannw.,** 695 et 845.

[4] *Contra Faust.*, lib. 19, c. 13; ML **42,** 355.

[5] **S. Augustinus,** *Contra Faust.*, lib. 19, c. 11; ML **42,** 355.

[6] *Contra Faust.*, lib. 19, c. 13; ML **42,** 355.

Post hipponensem alii plura alii pauciora designant [1].

Probabilius sequentia numerantur:

1) *Circumcisio* pro stirpe Abrahae a Deo instituta et in lege scripta a Moyse servata, «fuit, ut ait *S. Augustinus*, illius temporis sacramentum» [2]. Erat enim signum sensibile significans gratiam, qua delebatur masculorum peccatum originale.

Pro infantibus gentilium et puellis judaeorum, necnon pro pueris judaeorum ante octavum diem decedentibus, vigebat in lege scripta remedium naturae, quod diximus fuisse sacramentum.

Tum circumcisio tum remedium naturae, quae dicebantur sacramenta fidei, praefigurabant baptismum legis gratiae [3].

2) *Esus agni paschalis* a toto populo et *esus panum propositionis* aliorumque a sacerdotibus, praefigurabant nostram eucharistiam, et a plerisque theologis merito dicuntur sacramenta.

3) *Consecratio*, qua Aaron ejusque filii ac posteri deputabantur in sacerdotes, multo probabilius erat sacramentum et praefigurabat sacramentum ordinis.

4) *Plures expiationes* ab immunditiis exterioribus et a peccatis, videntur pariter fuisse sacramenta, et erant figura poenitentiae.

«Sacramento autem confirmationis, quod est sacramentum plenitudinis gratiae non potest respondere in veteri lege aliquod sacramentum; quia nondum venerat tempus plenitudinis, eo quod neminem ad perfectum adduxit lex. Similiter autem et sacramento extremae-unctionis, quod est quaedam immediata praeparatio ad introitum gloriae; cujus aditum nondum patebat in veteri lege, pretio nondum soluto. Matrimonium autem fuit quidem in veteri lege, prout erat in officium naturae, non autem prout est sacramentum conjunctionis Christi et Ecclesiae, quae nondum erat facta» [4].

63. Scholion II. *Effectus sacramentorum legis scriptae.* Sacramenta legis scriptae:

1) *Producebant sanctitatem legalem*, quatenus judaeos a populo gentili segregabant, populoque Dei adigebant; aliquos a maculis legalibus purificabant; alios ad sacerdotium deputabant, etc.

2) *Significabant gratiam internam*, quia in hoc praecise consistit essentia sacramentorum.

3) *Causabant gratiam sanctificantem ex opere operantis*, non ex opere operato proprie dicto. Erant siquidem ritus cultus divini, et ut tales significabant fidem mediatoris Christi venturi, et excitabant actus contritionis, fidei, spei et caritatis, aliasque dispositiones, quibus revera in adultis producebatur gratia.

Dixi *non ex opere operato proprie dicto*, ut unam circumcisionem partim exciperem, quia circumcisio pertingit quodammodo ad productionem gratiae *ex opere operato*, non quidem active sed passive. Cum enim

---

[1] **Honoratus del Val,** *De sacramentis in genere*, n. 19, enumerat sex legis scriptae sacramenta, alii plura volunt esse addenda.

[2] *De anima*, lib. 2, c. 11, n. 15; ML **44,** 504.

[3] Cfr. **S. Augustinus,** *De anima*, lib. 2, c. 11, n. 15; ML **44,** 504.

[4] **S. Thomas,** *I-II*, q. 102, a. 5 ad 3.

parvuli fuerint incapaces exercendi actus humanos, non sanctificabantur *ex opere operantis* per actus personales juxta meritum et dispositionem subjecti, sed posita circumcisione, ut conditione necessaria, Deus parvulis conferebat gratiam sine dispositione personali suscipientium. Hinc in usu circumcisionis, quando parentes vel alii adhibebant signum sensibile fidei, Deus misericorditer conferebat parvulis gratiam sanctificantem sine dispositione eorum. In aliis vero sacramentis legis scriptae adhibebantur signa sensibilia, quae fidem in Christum mediatorem, ipsumque Christum et gratiam per passionem Christi dandam praefigurabant, et fideles excitabant ad actus supernaturales producendos.

ARTICULUS V

AN ET QUOT SINT SACRAMENTA IN LEGE GRATIAE

64. Status quaestionis. Lex nova vel lex gratiae incepit a Christo, et durabit ad finem usque mundi. Quaerimus, an in hac lege dentur vera sacramenta, et quot illa sint.

Errores. 1) Plures referuntur haeretici apud Vazquez [1] qui negaverunt exsistentiam sacramentorum in lege gratiae. Hodierni rationalistae, licet fuerint baptizati, inficiantur in hac parte doctrinam Ecclesiae.

2) *Quoad numerum sacramentorum* plures erraverunt:

a) *Lutherus* tria posuit sacramenta, scilicet, baptismum, poenitentiam et panem [2].

b) *Melanchthon* etiam tria admisit dicens: «Vere igitur sunt sacramenta baptismus, coena Domini, absolutio, quae est sacramentum poenitentiae» [3].

c) *Calvinus* et cum eo generatim protestantes hodierni, si forte excipias ritualistas, duo tantum sacramenta admittunt, baptismum et coenam Domini [4].

d) *Ritualistae* duo ponunt sacramenta majora, baptismum et coenam, et quinque minora, caetera scilicet nostra sacramenta.

65. Thesis I. **De fide est in lege gratiae exsistere sacramenta.**

Arg. 1) Concilium tridentinum definit sacramenta novae legis fuisse omnia a Christo Domino instituta [5].

2) Traditio universalis tum catholicorum, tum schismaticorum et protestantium continuo docuit in nova lege semper exsistere sacramenta.

3) Rationi hoc maxime congruit. Sacramenta enim sunt signa sensibilia, quibus homines protestantur fidem Christi. Sicut igitur veteres Patres sacramentis illius temporis protestabantur fidem Christi venturi, ita maxime decet, ut nos novis sacramentis protestemur fidem Christi jam nati et passi.

---

1 *In III p.*, q. 61, a. 4, Comment.
2 *De captiv. babyl. Eccles.*, § «Principio».
3 *Apologia*, «De numero et usu sacramentorum», § «Si sacramenta».
4 *Inst.* lib. 4, c. 14, n. 20. Cfr. *Articuli anglicani*, a. 25.
5 *Sess.* 7, can. 1; **Denz-Bannw.**, 844.

66. THESIS II. **Septem sunt, non plura nec pauciora, novae legis sacramenta.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Quamvis S. Scriptura nunquam enumeraverit novae legis sacramenta per ordinem, meminit tamen septem sacramentorum, singulisque characteres veri sacramenti tribuit.

De baptismo loquitur *Matthaei*, 28, 19.

De confirmatione, *Act.*, 8, 17; et 19, 6.

De eucharistia, *Matth.*, 26, 26; et *Joan.*, 6, 52.

De poenitentia, *Joan.*, 20, 23.

De extrema unctione, *Jacobi*, 5, 14.

De ordine, *I Tim.*, 4, 14.

De matrimonio, *Matth.*, 19, 6; et *Ephes.*, 5, 32.

Hoc argumentum breviter tetigi, ut ostenderem doctrinam de septenario numero sacramentorum in S. Scriptura fundari, sed fateor in S. Scriptura non afferri integrum de sacramentis tractatum, et numerum eorum hinc inde colligi oportere. Unde argumentum ex Scriptura, ut validum sit in hac materia, longa expositione indiget.

2) *Ex conciliis.* Concilium florentinum expresse docet hanc veritatem dicens: *Novae legis septem sunt sacramenta* [1]. Et concilium tridentinum solemnem definitionem edidit his verbis: *Si quis dixerit sacramenta novae legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta; aut esse plura vel pauciora, quam septem, videlicet: baptismum, confirmationem, eucharistiam, poenitentiam, extremam-unctionem, ordinem et matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum, a. s.* [2].

3) *Ex SS. Patribus.* Sancti Patres tum in catechesi ad populum christianum, tum in disputationibus cum haereticis, saepe locuti sunt de sacramentis, sed nunquam disputarunt de numero sacramentorum. Nihilominus, data occasione, omnium meminerunt.

Tertullianus memorat baptismum, confirmationem, eucharistiam, et ordinem in libro *De Praescriptionibus* [3]; poenitentiam commendat in opusculo *De poenitentia* [4]; de matrimonio loquitur in tractatu *Ad uxorem* [5].

S. Augustinus adserit Deum exaudire «homicidam (ministrum etiamsi homicida sit) deprecantem vel super aquam baptismi, vel super oleum (extremam unctionem), vel super eucharistiam, vel super capita eorum, *quibus manus imponitur*» [6]. De baptismo et ordine ait: «Utrumque sacramentum est; et quadam consecratione utrumque homini datur; illud,

---

[1] *Decret pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 695.

[2] *Sess. 7,* can. 1 *De sacramentis in genere;* **Denz-Bannw.,** 844.

[3] *De praescriptionibus,* c. 40; ML **2,** 66.

[4] *De poenitentia,* c. 7; ML **1,** 1352.

[5] *Ad uxorem,* lib. 2, c. 9; ML **1,** 1416. Et alibi ait: «Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur». *De resurrect. carnis,* c. 8; ML **2,** 852.

[6] *De baptismo,* lib. 5, c. 20, n. 28; ML **43,** 190.

cum baptizatur; istud, cum ordinatur» [1]. Matrimonium denique «ad populum Dei pertinet etiam in sanctitate sacramenti» [2].

De extrema unctione non adeo frequens est apud Patres oratio, sed neque de ea desunt Patrum diserta testimonia.

Origenes et *S. Joannes Chrysostomus* extremam unctionem conjungunt poenitentiae sacramento, cum dicunt post peractam ab aegroto poenitentiam locum habere illud Jacobi: *Infirmatur, quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae* [3]. In Sacramentario Serapionis, saeculo IV, habetur oratio, quae dicebatur in aegrotorum unctione. Et Innocentius I, ineunte saeculo V, designavit ministrum extremae unctionis [4].

4) *Ex traditione.* Primis Ecclesiae saeculis nunquam septem sacramenta simul per ordinem recensita sunt. Licet SS. Patres omnia et sola septem sacramenta noverint, nunquam tamen ea, quoad sciamus, in unam seriem redegerunt [5].

Saeculo XII apparuerunt documenta, in quibus septem sacramenta per ordinem numerata sunt.

S. Otto, episcopus bambergensis, anno 1124 dicitur pronuntiasse orationem catecheticam, in qua a Pomerania Bambergam discessurus, ita fideles pomeranos affatus est: «Trado vobis... arrham fidei sanctae inter vos et Deum, septem scilicet sacramenta Ecclesiae, quasi septem significativa dona Sancti Spiritus... Ita ergo septem sacramenta, quae iterum vestri causa enumerare libet: baptismum, confirmationem, infirmorum unctionem, eucharistiam, lapsorum reconciliationem, conjugium et ordines... Docete ea filios vestros» [6].

Gregorius, episcopus bergamensis (c. 1135 juxta computum Creusen, *Tabulae fontium*, tab. VI) ait: «Scire debemus ea sola esse Ecclesiae sacramenta, a Servatore nostro Jesu instituta, quae in medicinam nobis tributa fuerunt, et haec numero adimplentur septenario» [7].

Auctor libri *Sententiae divinitatis* (c. 1142, apud Creusen, *Tabulae fontium*, tabula VI), enumerat septem Ecclesiae sacramenta, quinque communia pro omnibus fidelibus, et duo pro quibusdam particularibus.

Hos scriptores proxime sequuti sunt *Hugo Victorinus*, *Bandinus*, et alii [8].

Tandem *Petrus Lombardus* composuit (c. 1149-1151) celebre opus *Quatuor libri Sententiarum*, in quo serie, qua hodie recensentur, nostra

---

[1] *Contra ep. Parm.*, lib. 2, c. 13, n. 28; ML **43**, 70.

[2] *De bono conjugali*, c. 24, n. 32; ML **40**, 394.

[3] **Origenes,** *In Levit.*, hom. 2, n. 4; MG **12**, 419; **Joannes Chrys.,** *De sacerdotio*, lib. 3, n. 6; MG **48**, 644.

[4] *Ep. ad Decentium;* **Denz-Bannw.,** 99.

[5] Ut primum documentum continens per ordinem septem Ecclesiae sacramenta, citari solent statuta synodalia S. Sonnatii, episcopi rhemensis saeculi VII, sed haec statuta, quae collegit Flodoardus, videntur esse saeculo VII posteriora. Cfr. ML **80**, 443.

[6] **Bolland.,** *Acta Sanct.*, t. 1 Jul., p. 397; et ML **173,** 1357 sqq. Merito suspicantur critici hanc catechesim non fuisse ab Ottone pronuntiatam, sed hoc parum refert. Verba transcripta constant in vita Ottonis ab Herbordo anno circiter 1150 scripta, et exprimunt mentem auctoris, ejusdem fere temporis.

[7] *De veritate corporis Christi.*

[8] **Hugo Victorinus,** *De sacramentis*, lib. 2, p. 6 sqq.; ML **176,** 442; **Bandinus,** *IV Sent.*, dist. 3-25; ML **192,** 1092 sqq.

sacramenta enumerat, et exinde omnes theologi catholici numerum septenarium sacramentorum tenuerunt [1].

Haec universalis traditio continetur in solemnibus Ecclesiae professionibus. Septem esse Ecclesiae sacramenta docent *Synodicae Constitutiones* Odonis episcopi parisiensis (a. 1197) [2]; *Professio fidei* Durando de Osca et sociis ejus waldensibus ab Innocentio III a. 1208 praescripta [3]; *Statuta concilii oxoniensis* anni 1222 [4]; et *londinensis*, anni 1273 [5]; *Professio fidei Michaelis Palaeologi*, anni 1274, etc.

Ecclesiae similiter schismaticae constantissime tenent ac profitentur septem esse sacramenta.

Graeci imprimis, cum in conciliis lugdunensi II et florentino non parum disputarent cum latinis circa diversa religionis capita, nullam discussionem moverunt circa numerum sacramentorum.

Monophysitae, si fides est Assemano [6], in hac parte conveniunt cum catholicis.

Syri, copti, et *armeni* habent professiones fidei suae respectivae Ecclesiae, in quibus declaratur numerus septenarius sacramentorum [7].

Haec ecclesiarum orientalium cum Ecclesia catholica communis consensus est argumentum magni ponderis in favorem septenarii numeri sacramentorum. Cum enim ecclesiae dissidentes a saeculo jam quinto ab Ecclesia romana discesserint, consensus in hac parte omnium ecclesiarum probat fideles a saeculo V accepisse doctrinam de septenario sacramentorum.

67. Scholion I. *Lotio pedum non est sacramentum.* Aliqui S. Ambrosio [8], auctori operis *De sacramentis* [9], et S. Bernardo [10] tribuunt sententiam, quae docet lotionem pedum fuisse sacramentum a Christo Domino in ultima coena institutum.

In praefatis locis revera dicitur lotionem pedum peccata tollere, majus sanctificationis subsidium conferre, imo et sacramentum esse. Sed auctores, qui ita locuti sunt, benigne interpretari oportet, quatenus voluerint significare per lotionem pedum peccata venialia dimitti, sicut dimittuntur per sacramentalia. Unde *S. Bernardus* lotionem pedum appellavit sacramentum latiori quodam sensu, quatenus aequivalet sacramentali, et erat caeremonia sacra remittens peccata venialia [11].

Caeterum, lotio pedum non fuit a Christo instituta, ut esset signum perpetuum gratiae conferendae. Unde *S. Augustinus:* «Non ergo ad sacramentum tanquam mundationis pertinebat, quod lavit eis pedes, sed ad exemplum humilitatis» [12].

---

1 Cfr. **Guillermus Parisiensis,** qui in libro *De sacramentis* de omnibus et singulis sacramentis egregie disserit.
2 **Mansi,** t. 22, p. 675.
3 **Denz-Bannw.,** 424.
4 **Mansi,** t. 22, 1173.
5 **Mansi,** 23, 448.
6 *De syris monophysitis diss.*, p. 17-19.
7 Cfr. *Perpetuité de la foi*, tom. 5, liv. 1, ch. 9.
8 *De mysteriis*, c. 6, n. 32; ML **16,** 416.
9 *De sacramentis*, lib. 3, c. 1, n. 7; ML **16,** 453.
10 *Serm. de coena Domini*, n. 4; ML **183,** 273.
11 Cfr. **De Augustinis,** *De re sacram.*, p. 1, a. 4.
12 *In ps.* 92, n. 3; ML **37,** 1184.

68. Scholion II. *An in eucharistia et ordine sint plura sacramenta.*

In eucharistia sunt duae species consecrationis, consecratio scilicet panis et vini; et in ordine dantur diversi gradus, qui totidem videntur constituere sacramenta.

Haec difficultas tangit quaestionem, an in eucharistia et ordine detur unitas sacramenti in specie infima vel subalterna. Ut salvetur doctrina de numero septenario sacramentorum, sufficit dicere haec duo sacramenta esse in specie subalterna et sub se continere alias species infimas. Sic, qui diceret eucharistiam esse unum sacramentum in specie subalterna et sub se continere sacramentum panis et sacramentum vini, non incurreret anathemata conciliorum contra negantes septem esse sacramenta.

Nihilominus, multo communior sententia docet sacramenta eucharistiae et ordinis esse duo sacramenta in specie infima, et partes eucharistiae ac diversos gradus ordinis esse species incompletas et inadaequatas ejusdem respective sacramenti.

69. Scholion III. *Convenientia numeri septenarii sacramentorum.*

Vita spiritualis habet quamdam analogiam cum vita corporali, cui respondet. Unde, sacramenta, quae perficiunt hominem in ordine ad cultum Dei secundum religionem vitae christianae, tot esse convenit, quot modis perficitur homo in vita naturali. Homo autem dupliciter perficitur in vita naturali, scilicet, quantum ad personam propriam, et per respectum ad totam communitatem societatis. Quantum ad personam propriam perficitur vel per se acquirendo aliquam perfectionem, vel per accidens, removendo impedimenta, ut sunt aegritudines.

In ordine ad personam propriam *per se* quidem perficitur, *primo* per generationem, qua incipit vivere et esse; et loco hujus in vita spirituali est *baptismus*, qui est spiritualis generatio; *secundo* per augmentum, quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatem et virtutem; et loco hujus in vita spirituali est *confirmatio*, in qua datur Spiritus Sanctus ad robur; *tertio* per nutritionem, qua vita hominis conservatur; et loco hujus in vita spirituali est *eucharistia*, quae est alimentum spirituale.

Per accidens perficitur: *primo* per sanationem ab infirmitate; et loco hujus in spirituali vita est *poenitentia*, quae animam sanat; *secundo* per restitutionem valetudinis pristinae; et loco hujus in vita spirituali est *extrema unctio*.

In ordine ad totam communitatem perficitur homo, *primo*, cum accipit potestatem regendi multitudinem et exercendi actus publicos; et loco hujus in vita spirituali est *ordo*, quo confertur homini facultas exercendi actus publicos et regendi fideles; et *secundo*, cum accipit munus propagandi speciem per matrimonium in officium naturae, et huic in vita spirituali respondet *matrimonium* [1].

70. Scholion IV. *Quo ordine enumeranda sint septem Ecclesiae sacramenta.*

Tripliciter possunt sacramenta inter se comparari; *ordine generationis;* quo diximus sacramenta hominem perficere; *ordine perfectionis*, quo unum est alio nobilius; et *ordine necessitatis*, quo unum est magis necessarium quam aliud.

---

[1] **S. Thomas,** *III p.*, q. 65, a. 1.

1) *Ordine generationis* recte numerantur hoc pacto a concilio tridentino: baptismus, confirmatio, eucharistia, poenitentia, extrema unctio, ordo et matrimonium.

Ratio est, quia hoc ordine prius ponenda sunt ea, quae perficiunt hominem quantum ad se, et deinde quae perficiunt eum quantum ad communitatem; ex his autem, quae perficiunt singularem personam, prius enumerantur, quae per se requiruntur, deinde quae per accidens.

Inter sacramenta, quae per se pertinent ad perfectionem singularem, debet praecedere *baptismus*, quo vita spiritualis inchoatur; deinde sequitur *confirmatio*, qua illa perficitur; tertio ponenda est *eucharistia*, quae est panis perfectorum.

Ex sacramentis, quae perficiunt hominem per accidens, *poenitentia*, quae inchoat sanationem, praecedit *extremam unctionem*, quae tollit reliquias peccatorum.

Quantum ad sacramenta, quae perficiunt hominem in ordine ad communitatem, prius ponitur *ordo*, quia magis spiritualis, ac denique *matrimonium*, quia minus perfectum.

2) *Ordine perfectionis* eminet eucharistia, quae continet realiter Christum Dominum et est finis aliorum sacramentorum.

Inter caetera sacramenta potest hic ordo adsignari: *ordo*, qui magis ad eucharistiam accedit [1]; *confirmatio*, quae utpote producens nobiliorem effectum, augmentum scilicet gratiae, efficacius confert ad perfectionem hominis, et confertur a digniori ministro [2]; *baptismus*, qui per se confert ad perfectionem hominis; *extrema unctio*, quae perficit hominem justum; *poenitentia*, quae perficit peccatores; ac denique *matrimonium* ponitur ultimo loco, quia minimum habet de spiritualitate.

3) *In ordine necessitatis* primo ponuntur *baptismus* et *poenitentia*, ut singuli vitam spiritualem adipiscantur; deinde *ordo* et *matrimonium*, ut Ecclesia habeat ministros et societas propagetur. Caetera sacramenta non sunt necessaria simpliciter sed valde utilia.

QUAESTIO IV

DE EFFICACIA SACRAMENTORUM

ARTICULUS I

AN SACRAMENTA NOVAE LEGIS VERE ET PROPRIE CAUSENT GRATIAM

71. Status quaestionis. 1) Loquimur de causalitate omnium et singulorum novae legis sacramentorum.

2) Ex superius dictis satis constat sacramenta per se non esse in genere causae sed in genere signi, sed, cum sacramenta novae legis efficaciora sint et utiliora quam sacramenta veteris legis, jure in dubium

[1] **S. Thomas,** *III p.*, q. 65, a. 3.
[2] **S. Thomas,** *III p.*, q. 72, a. 11 ad 2.

vocatur, an hodierna sacramenta sint non solum signa sed etiam causae gratiae.

3) **Notio causae.** Causa proprie dicta est id, ad quod sequitur esse alterius, vel *id, quod per verum influxum producit effectum.* Ad veram causam requiritur: a) quod vere influat in effectum; b) per suum influxum effectui inferat rigorosam dependentiam in fieri ab ipsa causa; c) producat effectum specie vel numero a se diversum. Defectu horum requisitorum principium, occasio et conditio non dicuntur proprie causae [1].

4) **Genera causarum.** Quadruplex potest esse causa, materialis, formalis, efficiens et finalis, quarum definitiones traduntur a philosophis [2].

Sacramenta novae legis non esse in genere causae materialis et formalis gratiae, satis liquet, quia non pertinent ad intrinsecam constitutionem gratiae. Item, compertum est ea non esse in genere causae finalis seu exemplaris gratiae, quia gratia non refertur ad sacramenta ut ad finem neque ab eis normam sibi accipit.

5) Disputatur, an sint causa efficiens gratiae.

Causa efficiens definitur a philosophis; *id a quo primo incipit motus* [3]; vel ab aliis clarius: *Principium extrinsecum, quod actione sua producit effectum a se distinctum.* Explicationem quaere a philosophis.

Ad praesens quod attinet, potest esse causa efficiens *principalis* vel *instrumentalis*, ut dicemus inferius.

6) Sacramenta novae legis non sunt causa principalis gratiae, quia solus Deus est, ut diximus in tractatu *De gratia*, causa principalis gratiae; sed disputatur, an sint causae instrumentales ejusdem.

72. Errores. 1) *Sociniani* plane negaverunt sacramenta novae legis vere producere gratiam, sed dicebant ea esse caeremonias quasdam externas, et baptismum esse ritum initiationis, qua quisque incipit pertinere ad communitatem christianam [4].

2) *Reformatores* generatim, cum statuunt hominem justificari per solam fiduciam de applicatis sibi promissionibus Christi, ex consequenti negare coguntur sacramenta novae legis producere gratiam. Unde sacramenta novae legis excitant et augent, imo obsignant fidem melius quam praedicatio evangelica [5]. Quare, *Lutherus* sacramenta vocat signa extrinseca et sigilla promissionis gratiae; *Calvinus* symbola, quibus Christus promissiones suae erga nos benevolentiae obsignat [6]; *Zuinglius* tesseram et professionem, «qua homo se esse candidatum Ecclesiae et militem Christi publice declarat» [7]; *Melanchthon* ritus habentes mandatum Dei et promissionem gratiae [8]. Et

---

[1] Cfr. **Marcellus a Puero Jesu,** *Metaphysica,* n. 219.

[2] Cfr. **Complutenses,** *Physic.;* disp. 8, q. 2.

[3] Cfr. **Complutenses,** *In VIII physic.,* disp. 10, q. 1.

[4] Cfr. **Hergenröther,** *Hist. de la Iglesia,* t. 5, p. 300 (ed. hisp.).

[5] «Omnia sacramenta, ait **Lutherus,** ad fidem alendam sunt instituta», *De captiv. babyl. Ecclesiae,* c. «De baptismo», § «Quid ergo». Item: «Tota eorum efficacia est ipsa fides, non operatio... Non sacramentum sed fides justificat». Ibid. «In hoc ergo». Rursum: «Ita nec verum esse potest sacramentis inesse vim efficacem justificationis, seu esse ea signa efficacia gratiae». § «Ita nec».

[6] *Instit.,* lib. 4, c. 14, n. 1.

[7] *De vera et falsa religione,* op. 3, 23.

[8] *Apologia confessionis,* «De numero et usu sacramentorum.

omnes volunt verba sacramentorum esse concionatoria et promissoria, non consecratoria et effectiva.

3) *Modernistae* in rationalismum deflectunt dicentes: «Sacramenta eo tantum spectant, ut in mentem hominis revocent praesentiam Creatoris semper beneficam» [1].

73. THESIS. **Dogma catholicum est sacramenta novae legis causare gratiam.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* In sacris litteris passim tribuitur causalitas gratiae Ecclesiae sacramentis.

De baptismo dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* [2].

De confirmatione: *Imponebant* (apostoli) *manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum* [3].

De eucharistia: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo* [4].

De poenitentia: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* [5].

Et sic de caeteris.

2) *Ex conciliis.* Concilium tridentinum definit: *Si quis dixerit sacramenta novae legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel justificationis et notae quaedam christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, a. s.* [6].

In hac definitione a) damnati sunt novatores, qui docebant sacramenta novae legis esse signa tantummodo externa gratiae; notas initiationis christianorum in coetu Ecclesiae; ac tesseras professionis christianae; b) declaratum est sacramenta novae legis *continere* et *conferre* gratiam, tum, ut efficacia eorum energice adsereretur, tum, ut clare innueretur gratiam in eis ut effectum in causa contineri.

3) *Ex SS. Patribus.* Sancti Patres acceptam ab apostolis hac in re traditionem tenuerunt. «Caro abluitur, ait *Tertullianus*, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut anima muniatur; caro manuum impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur» [7].

S. Augustinus docet nostra sacramenta esse antiquis «virtute majora, utilitate meliora» [8].

S. Leo: «Virtus enim Altissimi et obumbratio Spiritus Sancti, quae fecit, ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit, ut regeneret unda credentem» [9].

---

1 Decreto *Lamentabili*, prop. 41; **Denz-Bannw.,** 2041.
2 *Joan.*, 3, 5.
3 *Act.*, 8, 17.
4 *Joan.*, 6, 57.
5 *Joan.*, 20, 23
6 *Sess.* 7, *Canones de Sacramentis in genere*, can. 6; **Denz-Bannw.,** 849.
7 *De resurrectione carnis*, c. 8; ML **2,** 852.
8 *Contra Faust.*, lib. 19, c. 13; ML **42,** 355.
9 *Serm.* 5 *in Nativ. Dom.*, c. 5; ML **54,** 211.

Hanc Ecclesiae traditionem ex SS. Patribus ac fidelibus haustam adeo communiter defenderunt theologi, ut nulla unquam hac super re exorta fuerit inter eos controversia.

Unde novatores saeculi XVI, qui causalitatem sacramentorum novae legis primo inficiati sunt, nullo antiquitatis suffragio nituntur.

4) *Ex ratione.* Aliqua sacramenta ex divina institutione administranda sunt tum infantibus, qui nondum usum rationis adepti sunt, tum adultis, qui, postquam petierunt sacramenta, sensibus destituuntur [1]. Hoc autem inutile foret ac detestandum, si sacramenta non conferrent gratiam.

ARTICULUS II

AN SACRAMENTA NOVAE LEGIS PRODUCANT GRATIAM EX OPERE OPERATO

74. Status quaestionis. 1) *Origo expressionis.* Haec verba *ex opere operato* et *ex opere operantis* primo dicuntur esse usurpata a Petro Pictaviensi (1205), Petri Lombardi in cathedra successore. Deinde *Innocentius III*, Petri Pictaviensis discipulus, *Altissiodorensis*, *Alensis*, *S. Bonaventura*, et omnes denique theologi, ac Patres concilii tridentini expressionem adhibuerunt.

2) *Sensus expressionis.* Producere gratiam ex opere operato (passive) significat sacramentum ex se objective consideratum, praescindendo a valore morali et a merito personae operantis, per virtutem sibi a Christo communicatam causare gratiam, supposita dispositione et sublato obice ex parte subjecti, adeo ut sacramentum factum aut receptum ex se producat gratiam per virtutem a Christo acceptam. Ubi igitur sacramenta ex se producunt gratiam, causant illam *ex opere operato*. Et producere gratiam *ex opere operantis* idem est ac opus influere in productionem gratiae, non praecise ex virtute sibi a Christo communicata, sed ex valore morali et merito sive ministrantis sive recipientis; seu, quod idem est, meritum, impetrationem, et valorem ministrantis vel recipientis influere in productionem gratiae; ut, cum homo elicit actum contritionis, producitur gratia *ex opere operantis*.

75. Error. Novatores saeculi XVI non solum expressionem *ex opere operato* rejecerunt ut barbaram ac legibus grammaticae contrariam, verum etiam sensum expressionis impugnarunt ut notioni de causalitate sacramentorum oppositum. Systema eorum fundamentale in hac parte est sacramenta esse signa externa, sigilla ac promissiones gratiae, vel «testimonium voluntatis Dei erga nos ad excitandam et confirmandam fidem» [2], nunquam vero effective et ex opere operato producere gratiam.

Confessio augustana a. 1530 haec habet: «Damnant igitur illos, qui docent, quod sacramenta ex opere operato justificant» [3]. Et eadem *Confessio augustana* copiosius Womartiae a 1540 declarata ait: «Damnat igitur pharisaicam opinionem, quae obruit doctrinam de fide... sed fingit homines justos esse propter usum sacramentorum ex opere operato, et quidem sine bono motu utentium» [4].

---

[1] Haec praxis ipsi Luthero non displicuit.

[2] **Melanchthon,** *Catechesis*, «De sacramentis»; et *Confessio aug.*, a. 13.

[3] *Confessio augustana*, a. 13.

[4] *Confessio augustana Womartiae*, a. 1540 explicata.

Melanchthon exponens hunc confessionis articulum ait: «Hic damnamus totum populum scholasticorum doctorum, qui docent, quod sacramenta non ponenti obicem conferant gratiam *ex opere operato* sine bono motu utentis» [1].

76. THESIS. **Fide catholica tenendum est sacramenta novae legis non ponentibus obicem ex opere operato conferre gratiam.**

Arg. 1) Sacra Scriptura crebro docet sacramenta habere virtutem producendi gratiam. Si autem habent virtutem, ex opere operato producunt gratiam.

2) *Ex concilio tridentino.* Patres concilii tridentini solemnem definitionem ediderunt his verbis: *Si quis dixerit per ipsa novae legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere, a. s.* [2].

3) *Ex SS. Patribus.* Ex Ecclesiae Patribus unus *S. Augustinus* pro mille sufficiat. «Non eorum meritis, ait, a quibus ministratur, nec eorum, quibus ministratur, constat baptismus, sed *propria sanctitate atque veritate* propter eum, a quo institutus est, male utentibus ad perniciem, bene utentibus ad salutem» [3].

4) *Ex ratione.* a) Ex divina institutione baptizantur et justificantur infantes ante usum rationis, ut expresse docent *Lutherus*, *Melanchthon*, *Calvinus*, et alii novatorum duces [4]. Sed infantes ante usum rationis nequeunt justificari ex opere operantis. Ergo oportet eos in baptismo justificari ex opere operato seu per virtutem, quae est in sacramento.

b) Si sacramenta solummodo forent efficacia excitando fidem, quilibet homo posset ea administrare, cum omnes polleant facultate excitandi fidem.

ARTICULUS III

UTRUM SACRAMENTA NOVAE LEGIS SINT CAUSAE INSTRUMENTALES PHYSICAE GRATIAE

77. Status quaestionis. 1) Causa efficiens, de qua hic tantummodo loquimur, potest esse *principalis* vel *instrumentalis.*

Causa efficiens *principalis*, quae vicissim potest esse prima vel secunda, Deus vel creatura, est *quae virtute sibi propria seu per virtutem suae formae producit effectum.* Sic Deus est causa principalis prima omnium creaturarum, et homo causa principalis secunda generationis filiorum. Causa *instrumentalis* est, quae non virtute sibi propria, sed agit virtute sibi ab agente principali communicata, ut securis scindit, non virtute propria, sed virtute hominis, qui eam movet.

2) Ex causis instrumentalibus aliquae sunt causae principali ex natura sua conjunctae, ut manus est instrumentum conjunctum homini,

---

1 *Apologia*, «De numero et usu sacramentorum», «Illud magis».
2 *Sess. 7, Canones de Sacramentis in genere*, can. 8; **Denz-Bannw.**, 851.
3 *Contra Crescon.*, lib. 4, c. 16, n. 19; ML **43**, 559.
4 **Lutherus**, *Adv. Cocleum*, § «Non tamen»; **Melanchthon**, *Catechesis*, «De sacramentis»; **Calvinus**, *Inst.*, lib. 4, c. 16, n. 5.

et humanitas Christi instrumentum Verbo conjunctum; aliae dicuntur ab agente principali separatae, ut lapis ab homine jactus percutit inimicum, ut instrumentum separatum per virtutem ab agente principali acceptam [1].

3) Causa principalis potest esse moralis vel physica. *Moralis* est, quae non influit directe in effectum, sed agit in causam physicam eamque excitat et allicit consilio, imperio, merito, impetratione, etc., ut producat effectum. *Physica* est, quae per virtutem, quam in se habet, attingit et producit effectum.

4) Sicut causa physica una est principalis et alia instrumentalis, prout agit virtute propria vel virtute ab agente superiore sibi communicata, ita pariter plures volunt in linea causae moralis dari causam *principalem moralem*, quae voluntate et intentione directa moveat causam physicam ad effectum producendum, et causam *instrumentalem moralem*, quae intentionem causae principalis defferat in causam physicam; ut epistola, quatenus est signum continens voluntatem et intentionem consiliantis, imperantis, etc., dicunt esse instrumentum morale agenti principali morali subordinatum.

Quaestio est valde agitata, an sacramenta physice vel moraliter causent gratiam.

78. Placita theologorum. 1) *Causalitas impropria* seu *causa sine qua non*. Aliqui veteres theologi docuerunt sacramenta novae legis esse causas *sine qua non* gratiae, adeo ut fuerint «talia signa a Deo instituta, ut, qui ea susceperit debito modo, habeat tantum de gratia vel habeat gratiam ad hunc actum..., ex tali pactione Dominus adstrinxit se quodam modo ad dandum gratiam suscipienti sacramentum» [2]. In hac sententia sacramenta non haberent proprie virtutem producendi gratiam, nec in eam positive influerent, sed forent signa a Deo instituta, quibus adstringeretur voluntas Dei ad conferendam gratiam. «Deus, inquit *Ockam*, sic instituit, quod non conferatur gratia, nisi positis sacramentis, et sacramento posito conferatur» [3]. S. Bonaventuram sequuti sunt *Ockam, Durandus, Alliacensis, Biel*, et alii [4].

Haec opinio videtur parum probabilis post concilium tridentinum, in quo expresse definitum est sacramenta novae legis maxime differre a sacramentis veteris legis, et continere ac conferre gratiam. Causa autem *sine qua non*, cum sit conditio quaedam, et non influat in effectum, nequit dici causare gratiam.

Concilium tamen directe agens contra novatores illius temporis, non videtur directe condemnasse hanc de impropria sacramentorum causalitate theoriam.

2) *Causalitas moralis instrumentalis*. Plures theologi docent sacramenta novae legis esse causas morales instrumentales gratiae, non quidem in animam influendo vel ipsam gratiam efficiendo, sed, quatenus ea dignitate ac valore pollent, ut Deum efficaciter excitent ad gratiam in eorum usu homini conferendam. Unde dicunt sacramenta, cum sint opera Christi, eam dignitatem ac virtutem habere, quae postulet collationem gratiae (causalitas moralis). Et cum habeant suum valorem a Christo, et in eorum usu

---

[1] Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 62, a. 5.

[2] **S. Bonaventura,** *In IV Sent.*, dist. 1, p. 1, q. 5.

[3] *In IV Sent.*, q. 1, «Secundo dico».

[4] **Ockam,** *In IV Sent.*, q. 1, «Secundo dico»; **Durandus,** *In IV Sent.*, dist. 1, q. 4, n. 19; **Alliacensis,** *In IV Sent.*, q. 1, c. 1; **Biel,** *In IV Sent.*, dist. 1, q. 1, a. 2, concl. 7.

conferatur a Deo gratia, jure vocantur instrumenta Christi et Dei (causalitas instrumentalis) [1]. Ita *Cano, Ledesma, Vazquez, Lugo, Franzelin, Pesch,* et alii [2].

3) *Causalitas physica instrumentalis.* Alii communius contendunt sacramenta novae legis causare gratiam instrumentaliter physice, quatenus a causa principali physica, quae est Deus, moventur et adhibentur ut instrumenta ad productionem gratiae. Porro «instrumentum, ut ait *S. Thomas*, habet duas actiones; unam instrumentalem, secundum quam operatur, non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis; aliam autem habet actionem propriam, quae competit ei secundum propriam formam; sicut securi competit scindere ratione suae acuitatis, facere autem lectum, in quantum est instrumentum artis; non autem perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam, scindendo enim facit lectum» [3]. Unde dicunt sacramenta esse quaedam Dei instrumenta, habereque duplicem operationem physicam, unam *propriam*, quae ipsis competit per suam formam, ut baptismus abluit secundum suam virtutem; et aliam *instrumentalem*, quam exercet per virtutem Dei supernaturalem sibi communicatam, et qua sub actione ipsius Dei, auctoris principalis gratiae, efficit instrumentaliter gratiam. Sic *S. Thomas*, omnes fere thomistae, *Bellarminus, Valentia, Suarez*, et alii plures [4].

In quo autem consistat illa Dei virtus supernaturalis, quae sacramenta movet et applicat ad producendam gratiam, non facile explicatur. Aliqui dicunt virtutem instrumentalem sacramentis communicatam non esse nisi «ipsum motum, quo Deus sacramenta adhibet, et ordinat ad gratiam conferendam» [5]. Ita *Joannes a S. Thoma*, et alii [6]. Sed alii probabilius defendunt Deum per motum, quo sacramenta adhibet, imprimere ipsis virtutem quamdam spiritualem, qualitatem scilicet imperfectam ac fluidam, quae elevet ac constituat ea prius prioritate naturae apta in actu primo proximo seu potentia activa ad agendum.

Ad quid autem pertingant sacramenta in sanctificatione hominis, an scilicet ipsam gratiam producant dispositive tantum, ut aliquando voluit *S. Thomas* et docuerunt aliqui veteres, an perfective, ut deinde docuisse videtur *Angelicus* et defenderunt plurimi, quaestio est ardua adhuc sub judice manens.

4) *Causalitas physica instrumentalis indirecta.* Quidam veteres theologi, quibus ex recentioribus aliqui subscribunt, vel quia crediderunt gratiam a Deo *creari*, et ad opus creationis nullum instrumentum pertingere posse, vel quia putaverunt virtutem instrumentalem sacramentis a Deo communicatam non posse producere completive gratiam sanctificantem, docuerunt sacramenta non producere proprie instrumentaliter ipsam gratiam in anima, sed tantummodo *dispositionem* quamdam, quae exigat infusionem gratiae, ac proinde causare gratiam dispositive, sicut homo causat hominem disponendo. Ita aliquando *S. Thomas, Albertus Magnus, Aegidius Romanus, Capreolus, Ferrariensis, Sotus*, et alii [7].

---

[1] Cfr. **Pesch,** *De sacramentis in genere*, n. 144 et 148.

[2] **Cano,** *Relectio de sacramentis in genere*, p. 4, concl. 6; **Ledesma,** *Summa de sacramentis*, difficult. 7; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 132, c. 5; **Lugo,** *De sacramentis*, disp. 4, sect. 4, n. 34 sqq.; **Franzelin,** *De sacramentis in genere*, th. 6, n. 2 et 3; **Pesch,** *De sacram. in genere*, n. 144 sqq. Hunc modum dicendi strenue et meo judicio efficaciter refutat cl. **Billot,** *De Ecclesiae sacramentis*, th. 7.

[3] *III p.*, q. 62, a. 1 ad 2.

[4] **S. Thomas,** *III p.*, q. 62, a. 1, et 4; **Bellarminus,** *De sacram. in genere*, lib. 2, c. 11; **Valentia,** *In III p.*, disp. 3, q. 3, p. 1; **Suarez,** *De sacram.*, disp. 9, s. 2.

[5] **Van Noort,** *De sacramentis*, n. 55.

[6] **Joannes a S. Thoma,** *De sacramentis*, disp. 24, dub. 8, a. 1, concl. 4.

[7] **S. Thomas,** *In IV Sent.*, dist. 1, q. 1, a. 4, q. 1; **Albertus Magnus,** *In IV Sent.*, dist. 1, a. 5, ad q. 2, ad 1; **Alensis,** *IV p.*, q. 5, m. 3, a. 5; **Aegidius Romanus,** *Quodlib.*, 5, q. 1; **Argentina,** *In IV Sent.*, dist. 2, q. 1, a. 1, concl. 4; **Capreolus,**

Alii aliter hanc theoriam exponunt. *Albertus Magnus*, *Aegidius Romanus* et *Argentina*, locis citatis dicunt simpliciter sacramenta, in quantum sunt instrumenta, pertingere ad dispositionem animae necessitantem infusionem gratiae.

Sanctus Thomas, *Alensis*, *Capreolus* et *Ferrariensis* docuerunt sacramenta esse causas instrumentales non solum disponendo animam ad gratiam, sed etiam efficiendo in ea vel characterem vel ornatum, necessitantem gratiae infusionem.

Sotus ex eo putat sacramenta esse instrumentaliter causas gratiae, quod uniunt gratiam cum anima.

Honoratus del Val defendit per sacramenta fieri consecrationem sacramentalem animae, quae exigat ex ipsa rei natura infusionem gratiae, ut sui complementum [1].

5) *Causalitas intentionalis*. Clarissimus Card. *Billot* pluribus, quae praecedentibus theoriis certe obstant, difficultatibus motus, et videns aliquando sacramenta valide et infructuose suscepta reviviscere, aliam excogitavit theoriam, vel potius sententiam veterum, quae tenebat sacramenta novae legis causare dispositive gratiam, aliquantulum mutavit.

Statuit cum S. Thoma tria in sacramentis inveniri, «aliquid scilicet quod est sacramentum tantum, aliquid autem quod est res et sacramentum, aliquid vero quod est res tantum» [2]. *Sacramentum tantum* significat et non significatur, et est signum sensibile constans rebus tamquam materia et verbis tanquam forma. *Res tantum* significatur et non significat, nempe gratia. *Res et sacramentum* quod significatur et significat, non est mera dispositio removens prohibens, sed est *titulus* seu *dispositio exigitiva gratiae, quantum in se est*. Defendit autem sacramenta causare gratiam, non moraliter sua dignitate et valore Deum movendo ad gratiam conferendam, ut volunt Lugo et alii; neque efficienter perfective actione sua pertingendo immediate ad gratiae substantiam, ut defendunt thomistae, sed solum dispositive, inducendo *ex opere operato* per virtutem instrumentalem, quae intentionalis est, id, quod est res et sacramentum, nempe titulum seu dispositionem exigitivam gratiae.

Adserit virtutem instrumentalem sacramentorum esse, non physicam nec moralem, sed intentionalem, inclusam in genere signi, quia defert exterius intentiones et ordinationes Christi instituentis sacramenta [3].

His ita praelibatis, breviter aperiam quid dicendum sit in hac perdifficili quaestione.

79. THESIS I. **Sacramenta novae legis non sunt causae principales gratiae.**

Arg. Angelicus Doctor luculenter hoc probat dicens: «Principalis quidem (causa) operatur per virtutem suae formae, cui adsimilatur effectus, sicut ignis suo calore calefacit; et hoc modo nihil potest causare gratiam, nisi Deus, quia gratia nihil est aliud quam quaedam participata similitudo divinae naturae, secundum illud II Petri, 1, 4; *Maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut divinae simus consortes naturae*» [4]. Nulla autem creatura potest hanc divinae naturae similitudinem in homine principaliter causare.

In IV Sent., dist. 1, q. 1, a. 1; **Ferrariensis,** *Contra Gent.*, lib. 4, c. 57, **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 1, q. 3, a. 1, «Est ergo».

[1] *De sacramentis in genere*, n. 53.

[2] *III p.*, q. 66, a. 1.

[3] **Billot,** *De sacramentis*, th. 7.

[4] *III p.*, q. 62, a. 1.

80. THESIS II. **Causalitas impropria, quam vocant «sine qua non», et est quaedam conditio, non sufficit ad rationem influxus instrumentalis sacramentorum.**

Arg. 1) Concilium florentinum declaravit sacramenta veteris legis in eo a nostris sacramentis differre, quod illa non causabant, nostra autem continent et conferunt gratiam [1].

2) Concilium tridentinum expresse docet sacramenta novae legis continere (ut causa suo modo continet effectum) et causare gratiam [2]. Sed sacramenta, si essent conditio *sine qua non*, ad modum approximantis causam ad effectum, non continerent nec causarent gratiam. Ergo [3].

81. THESIS III. **Causalitas moralis gratiae, si qua sit in sacramentis, non sufficit ad explicandam efficientiam gratiae per sacramenta.**

Nota. Sacramenta novae legis producere gratiam moraliter modo quodam imperfecto extra dubium est. Sunt enim signa gratiae, in quorum praesentia Deus certo sanctificat homines. Et hac ratione possunt appellari modo imperfecto causae morales gratiae.

Item Christus est causa principalis moralis gratiae [4]. Cum autem instituit sacramenta ut instrumenta sanctificationis, impressit eis aliquem valorem suae passionis, et hic valor coram Deo exhibitus dicitur quodammodo causare moraliter gratiam.

Hoc tamen non videtur sufficere ad explicandum influxum, quem concilia tribuunt sacramentis.

Arg. Defensores hujus sententiae dicunt in sacramentis adesse ex meritis Christi dignitatem ac pretium, quae objective moveant Deum ad conferendam gratiam. Sed hoc non sufficit ad salvandam in sacramentis rationem causae efficientis gratiae multiplici ratione.

1) Objecta, quae habent dignitatem ac valorem, movent certe apud nos alliciendo et suadendo causam principalem ad producendum effectum. Sed Deum nequeunt proprie movere ad aliquid agendum, quia Deus non agit proprie creaturarum bonitate motus.

2) Tota causalitas, quam patroni hujus sententiae tribuunt sacramentis, in hoc consistit, quod dignitate ac pretio, quod habent ex institutione Christi, moveant objective et in genere causae finalis Deum ad producendam gratiam. Sed hoc non est efficere gratiam, nec influere in illam aut agere instrumentaliter, quia inauditum est instrumentum movere ad agendum causam principalem, cujus est instrumentum.

3) Si sacramenta agunt offerendo Deo propriam dignitatem, quam ex meritis Christi habent, jam non efficiunt significando gratiam.

82. THESIS IV. **Causalitas physica instrumentalis indirecta, producens in anima dispositionem exigitivam gratiae, non videtur sufficere ad explicandam totam efficientiam instrumentalem sacramentorum.**

Nota. Haec opinio magis accedit ad veram doctrinam, et magnam certe adepta est aliquando celebritatem, non solum ob auctoritatem theo

[1] *Decretum pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 695.
[2] *De sacramentis in genere,* can. 6; **Denz-Bannw.,** 849.
[3] Cfr. **Hiquaeus,** *Comm. ad IV Sent. Scoti.*, dist. 1, q. 5, n. 67 sqq.
[4] Cfr. *Concilium tridentinum,* sess. 6, c. 7; **Denz-Bannw.,** 799.

logorum, qui eam tenuerunt, sed etiam propter argumenta, quibus munita est.

S. Thomas aliquando eam defendit dicens: «Ulterius (sacramenta) in quantum sunt instrumenta divinae misericordiae justificantis, pertingunt instrumentaliter ad aliquem effectum in ipsa anima, quod primo correspondet sacramentis, sicut est character, vel aliquid hujusmodi. Ad ultimum autem effectum, quod est gratia, non pertingunt etiam instrumentaliter, nisi dispositive, in quantum hoc, ad quod instrumentaliter effective pertingunt, est dispositio, quae est necessitas, quantum in se est, ad gratiae susceptionem» [1].

Cajetanus, Salmanticenses et alii [2] dicunt S. Doctorem retractasse hanc sententiam in *Summa*, in qua tandem veram doctrinam proposuit.

Haec sententia apud veteres invaluit, quia plerique exsistimabant gratiam a Deo *creari*, et, cum instrumentum nihil possit agere in teminum creationis, defendebant sacramenta, ut sunt instrumenta divinae misericordiae, non posse pertingere ad ipsam gratiam. Sed fundamentum fallitur.

Quidquid sit de eorum fundamento, non videtur in hac sententia totam causalitatem instrumentalem sacramentorum exponi.

Arg. 1) Secundum concilium tridentinum sacramenta novae legis vere continent et conferunt gratiam [3]. Instrumenta autem, quae solum producunt dispositionem exigitivam gratiae, non videntur vere continere nec conferre gratiam. Ergo.

2) Productio *ex opere operato* dispositionis seu ornatus exigentis infusionem gratiae in anima, est contra modum agendi Dei in sanctificatione hominum per sacramenta. Cum enim instrumentum semper agat a causa principali motum, superfluum est ab agente principali simul cum instrumento produci prius *ex opere operato* dispositionem in anima, ut postea Deus conferat gratiam.

In dispositionibus, quae *ex opere operantis* praecedunt justificationem, concipitur Deum prius juvare hominem ad eliciendos actus supernaturales, sed dispositio collata ex opere operato ab agente principali simul cum instrumento, quae exigat gratiam a Deo conferendam, est omnino superflua et inexplicabilis.

83. Scholion. Eadem ratione relinquenda est theoria de causalitate intentionali. Licet ingeniosa sit, et pluribus difficultatibus, quae in praesenti materia occurrunt, satisfaciat, vereor, ne destituat sacramenta vera efficientia, quam concilium tridentinum ipsis tribuit.

84. THESIS V. **Sacramenta novae legis causant instrumentaliter physice gratiam.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* De baptismo ait Christus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* [4]. Et Paulus: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis* [5]. In his locis S. Scriptura non solam dispositionem sed ipsam regenerationem tribuit sacramento.

---

[1] *In IV Sent.*, dist. 1, q. 1, a. 4, sol. 1.

[2] **Cajetanus,** *In III p.*, q. 62, a. 1; **Salmanticenses,** *De sacramentis in communi*, disp. 4, n. 39.

[3] *De sacramentis in genere*, can. 6; **Denz-Bannw.,** 849.

[4] *Joan.*, 3, 5.

[5] *Tit.*, 3, 5.

2) *Ex conciliis florentino et tridentino.* Patres horum conciliorum expresse docent sacramenta novae legis *continere et obicem non ponentibus conferre gratiam.* Causae autem morales et causae physicae producentes dispositiones seu titulum exigitivum gratiae non continent nec conferunt ipsam gratiam.

Praeterea, termini, quibus utitur concilium tridentinum, significant causalitatem physicam. Concilium adserit baptismum habere vim [1]; confirmationi tribuit virtutem [2]; definit absolutionem sacramentalem esse, non nudum ministerium, sed actum judicialem [3]; ac tandem declarat in eucharistia vi verborum fieri conversionem panis et vini [4].

3) *Ex SS. Patribus. Tertullianus:* Aquae «sanctificatae vim sanctificandi combibunt» [5]. *S. Augustinus:* «Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat?» [6]. *S. Cyrillus Alex.:* «Quemadmodum enim infusa lebetibus aqua, si admoveatur igni vehementi, vim ejus concipit, ita Spiritus efficacitate sensibilis aqua ad divinam quamdam et ineffabilem vim transformatur, omnesque demum in quibus fuerit sanctificat» [7].

Vix possunt haec testimonia explicari, nisi admittatur sacramentorum instrumentalis physica influentia in productionem gratiae.

4) *Ex auctoritate et rationibus S. Thomae.* «Causa instrumentalis, ait Angelicus Doctor, non agit per virtutem suae formae, sed solum per motum, quo movetur a principali agente. Unde effectus non adsimilatur instrumento, sed principali agenti; sicut lectus non adsimilatur securi, sed arti, quae est in mente artificis. Et hoc modo sacramenta novae legis gratiam causant. Adhibentur enim ex divina ordinatione hominibus ad gratiam in eis causandam. Unde Augustinus dicit (Contra Faustum, c. 16 ante med.): *Haec omnia, scilicet sacramentalia, fiunt et transeunt, virtus tamen, scilicet Dei, quae per ista operatur, jugiter manet.* Hoc autem proprie dicitur instrumentum, per quod aliquis operatur: Unde Tit., 3, 5, dicitur: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis* [8].

Explicat deinde actionem instrumentalem sacramentorum dicens: «Instrumentum habet duas actiones: unam instrumentalem, secundum quam operatur, non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis; aliam autem habet actionem propriam, quae competit ei secundum propriam formam; sicut securi competit scindere ratione suae acuitatis, facere autem lectum, in quantum est instrumentum artis; non autem perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam, scindendo enim facit lectum. Et similiter sacramenta corporalia per propriam operationem, quam exercent circa corpus quod tangunt, efficiunt operationem instrumentalem ex virtute divina circa animam, sicut aqua baptismi, abluendo corpus secundum propriam virtutem, abluit animam,

---

1 *De baptismo*, can. 1; **Denz-Bannw.,** 857.
2 *Sess.* 7, *De confirmatione*, can. 2; **Denz-Bannw.,** 874.
3 *Sess.* 14, can. 9; **Denz-Bannw.,** 919.
4 *Sess.* 13, c. 3; **Denz-Bannw.,** 876.
5 *De baptismo*, c. 4; ML **1,** 1312.
6 *In Joan.*, tr. 80, n. 3; ML **35,** 1840.
7 *In Joan. Evang.*, lib. 2, c. 3, n. 5; MG **73,** 244.
8 *III p.*, q. 62, a. 1.

in quantum est instrumentum virtutis divinae; nam ex anima et corpore unum fit. Et hoc est, quod Augustinus dicit (loco supra citato), quod *corpus tangit et cor abluit*» [1].

Hactenus certe docuit Angelicus sacramenta novae legis esse causas instrumentales, non dispositionis praeviae aut alicujus tituli, sed ipsius gratiae.

Porro, si verba S. Doctoris obvio sensu interpretentur, clare indicant has causas instrumentales physice influere in productionem gratiae.

Unde explicans virtutem instrumentalem sacramentorum, ait: «Ponendo, quod sacramentum est instrumentalis causa gratiae, necesse est simul ponere, quod in sacramento sit quaedam virtus instrumentalis ad inducendum sacramentalem effectum. Et haec quidem virtus proportionatur instrumento. Unde comparatur ad virtutem absolutam et perfectam alicujus rei, sicut comparatur instrumentum ad agens principale. Instrumentum enim,... non operatur, nisi in quantum est motum a principali agente, quod per se operatur. Et ideo virtus principalis agentis habet permanens et completum esse in natura; virtus autem instrumentalis habet esse transiens ex uno in aliud et incompletum, sicut et motus est actus imperfectus ab agente in patiens» [2].

Natura hujus virtutis. Haec virtus instrumentalis, per quam sacramenta agunt, est spiritualis vialis et incompleta, ipsis communicata ex benedictione Christi et applicatione ministri ad usum sacramenti [3]; recipitur in corpore quasi ens incompletum et transiens, et «reducitur ad id genus, in quo est virtus principalis agentis, quae est qualitas, vel in qua esset, si in genere esset» [4]; sicut motus, qui non est in genere, reducitur ad genus actus perfecti.

Haec omnia innuunt sacramenta novae legis esse causas instrumentales gratiae, habere virtutem physicam instrumentalem, unicam possibilem, quae possit in gratiam influere, eamque pertingere ad ipsam entitatem gratiae, quam producunt. Hinc sacramenta nostra producunt gratiam instrumentaliter physice.

5) *Ex ratione.* a) Oportet causam principalem et instrumentum, quando simul operantur eumdem effectum, esse in eodem ordine, quia, ut docet *S. Thomas*, virtus instrumenti «comparatur ad virtutem absolutam et perfectam alicujus rei, sicut comparatur instrumentum ad agens principale» [5]. Sed Deus est causa principalis physica gratiae. Ergo sacramenta sunt causa instrumentalis physica gratiae.

b) Si sacramenta novae legis non producerent gratiam instrumentaliter physice, non differrent a sacramentis veteris legis, ut bene arguit *Bellarminus* [6].

85. Corollarium. In tota hac quaestione duo sunt omnino salvanda: *Primum:* quod sacramenta sunt causae instrumentales vere influentes in gratiam, et hoc non videtur salvari in theoriis de causalitate im-

---

[1] *III p.*, q. 62, a. 1 ad 2.
[2] *III p.*, q. 62, a. 4.
[3] *III p.*, q. 62, a. 4 ad 3.
[4] **S. Thomas,** *In IV Sent.*, dist. 1, q. 1, a. 4, sol. 2 ad 1.
[5] *III p.*, q. 62, a. 4.
[6] *De sacramentis*, lib. 2, c. 11.

propria seu de conditione *sine qua non*, et de causalitate morali. *Secundum:* quod sacramenta causant gratiam, et ab hoc deficere videntur theoriae de causalitate physica indirecta et intentionali, secundum quas sacramenta non attingunt ad ipsam gratiae entitatem, sed solum producunt dispositiones, ornatum, vel titulum exigentem gratiae infusionem.

Difficultatibus satisfit.

86. Plures easque graves difficultates opponunt adversarii huic sententiae.

Obj. 1.° Res sensibiles, ut sunt sacramenta, nihil possunt physice agere in productionem gratiae purae spiritualis. Ergo sacramenta non causant instrumentaliter physice gratiam.

Resp.—*Neg. ant.* Sacramenta novae legis significant gratiam, et quidquid significant, efficiunt. Gratia non creatur, ut quidam veteres defenderunt, sed educitur ex potentia obedientiali animae, et potest Deus adhibere sacramenta, quae actione instrumentali ac supernaturali animam attingant, et in eductione gratiae ex anima simul cum Deo principaliter agente instrumentaliter operentur.

Obj. 2.° Repugnat virtutem spiritualem inesse subjecto corporeo, Ergo virtus instrumentalis physica non potest inesse sacramentis.

Resp. 1.° Virtus supernaturalis, quae a Deo communicatur sacramentis, ut instrumentaliter producant gratiam, cum non sit ens completum et stabile, sed incompletum et fluens, non est proprie loquendo spiritualis nec corporea. «Virtus illa, ait *Angelicus*, neque potest dici corporea neque incorporea, proprie loquendo; corporeum enim et incorporeum sunt differentiae entis completi; sed proprie dicitur virtus ad incorporeum, sicut motus dicitur magis ad ens quam ens» [1].

Resp. 2.° Repugnat virtutem spiritualem completam inesse ex se et permanenter subjecto corporeo, *conc.* Repugnat virtutem spiritualem vialem et incompletam inesse transeunter subjecto corporeo, *neg.* «Nihil tamen prohibet, ait *Angelicus*, in corpore esse virtutem spiritualem instrumentaliter, in quantum scilicet corpus potest moveri ab aliqua substantia spirituali ad aliquem effectum spiritualem inducendum» [2].

Obj. 3.° Causa instrumentalis non potest physice agere in distans. Sed aliqua sacramenta, ut sunt poenitentia et matrimonium agunt in distans, id est, in subjectum, quod physice non attingunt. Ergo.

Resp. 1.° Aliqui dicunt non esse essentiale instrumento attingere physice subjectum, et ideo posse instrumentum Dei agere physice in distans [3].

Resp. 2.° Causa instrumentalis non potest physice agere in subjectum quod sit loco et virtute distans, *conc.;* in subjectum, quod sit loco distans sed virtute praesens, *neg.* Sacramenta autem, quamquam non attingant aliquando subjectum praesentia locali, semper tamen illud attingunt virtute instrumentali a Deo accepta, quia Deus, cujus sunt instrumenta in productione gratiae, est intime praesens tum animae tum gratiae.

Obj. 4.° Oportet, ut sacramenta eodem modo semper producant gratiam. Sed adsunt casus, in quibus certe sacramenta non causant instrumentaliter physice gratiam. Ergo. Sacramenta siquidem ficte suscepta, si tollatur obex, causant gratiam, quando jam physice non exsistunt. Quomodo autem possunt physice influere, quando physice non exsistunt?

Resp.—*Neg. min.* Ad probationem dicendum est sacramenta, quoties ficte suscepta per ablationem obicis reviviscunt, exsistere physice virtualiter, et, ablato obice, influere physice in productionem gratiae.

Non est hujus loci discutere, quae sacramenta ficte suscepta per ablationem obicis reviviscant. De hoc suo loco.

---

[1] *De veritate*, q. 27, a. 4 ad 5.

[2] *III p.*, q. 62, a. 4 ad 1.

[3] Cfr. **Complutenses Abbrev.,** *Physic.*, disp. 26, q. 3, n. 16.

ARTICULUS IV

QUO SENSU DICANTUR IN SACRAMENTIS SACRAMENTUM TANTUM, RES ET SACRAMENTUM, ET RES TANTUM

87. I. **Origo hujus terminologiae.** A saeculo jam XII in usu fuit apud theologos hic modus loquendi. Nam auctor *Tractatus de sacramento altaris*, qui tribuitur Stephano de Balgiaco, *Hugo Victorinus*, et *Petrus Lombardus* [1] primo sacrae eucharistiae, et exinde omnes theologi caeteris sacramentis eum applicuerunt, ac denique *S. Thomas* approbavit et explicuit [2].

88. II. **Sensus terminorum.** Cl. *Van Noort*, insistens doctrinae Cardinalis Billot [3], et probare volens sacramenta novae legis directe et immediate non producere ipsam gratiam, sed *rem et sacramentum*, quod mediat inter sacramentum et gratiam, quodque exigit productionem gratiae, ait: «Res et sacramentum in quolibet sacramento habet rationem tituli de se appellantis gratiam, prout supra expositum est, sed si quaeratur, quid in singulis sacramentis sit secundum se ac veluti materialiter, ita respondendum est».

«In baptismo, confirmatione et ordine est character, seu verius deputatio ad functiones sacras subjectata in signo indelebili; in s. eucharistia est ipsum corpus Domini sub specie panis realiter praesens, quod sumptum gratiam appellat; in poenitentia est jus liberationis a reatu; in extrema unctione est jus alleviationis aut exsistere commendatum misericordiae Dei; in matrimonio est vinculum conjugale repraesentans unionem Christi et Ecclesiae» [4].

Haec explicatio, quae theoriam de causalitate intentionali gratiae implicat, ingeniosa est, et, utpote ab eximiis theologis Billot et Van Noort exposita, magnam meretur venerationem. Nihilominus, exsistimo *rem et sacramentum* non esse tantummodo titulum exigitivum gratiae.

Juxta Angelicum Doctorem *sacramentum tantum* est signum visibile invisibilis effectus, id est, quod significat tantum et non significatur. *Res et sacramentum* est, quod significatur ab anteriori signo, et vicissim significat ulteriorem effectum seu gratiam. *Res tantum* est, quod significatur et non significat ulteriorem effectum. Haec tria quoad baptismum explicat *S. Thomas* dicens: «Res autem et sacramentum est character baptismalis, qui est res significata per exteriorem ablutionem, et est signum sacramentale interioris justificationis, quae est res tantum hujus sacramenti, scilicet significata et non significans» [5].

Quare *res et sacramentum* est aliquid significatum simul et significans. In baptismo, confirmatione et ordine res et sacramentum est cha-

---

[1] **Stephanus de Balgiaco,** *Tr. de sacramentis*, c. 17; ML **172,** 1295; **Hugo Victorinus,** *De sacramentis*, lib. 2, p. 8, c. 7; ML **176,** 466; **Petrus Lombardus,** *IV Sent.*, dist. 22, n. 3; ML **192,** 899.

[2] *III p.*, q. 63, a. 6 ad 3; et q. 66, a. 1.

[3] *De sacramentis in communi*, th. 6.

[4] *De sacramentis*, n. 62.

[5] *III p.*, q. 66, a. 1.

racter, qui significatur a signo sensibili, et significat sanctificationem seu gratiam.

In eucharistia est corpus Christi, non quatenus sumptum gratiam appellat, sed in quantum significatur per species panis et vini, et significat gratiam cibantem.

In poenitentia non est solummodo jus liberationis a reatu, sed potius poenitentia cordis, quae significatur per signum sensibile, et significat gratiam remissivam et sanctificantem.

In extrema unctione sunt jus laleviationis et sanitas corporis, qua significantur per signum externum hujus sacramenti, et significant gratiam sanantem.

In matrimonio est vinculum conjugale contrahentium, quod significatur per contractum matrimoniale, et significat vicissim gratiam consociantem.

89. Corollarium. Hinc multo probabilius crediderim sacramenta novae legis, quae sunt signa sensibilia et efficiunt quidquid significant, non solum causare directe *rem et sacramentum*, sed etiam *rem tantum*, quae est gratia sanctificans.

ARTICULUS V

QUANDONAM SACRAMENTA NOVAE LEGIS PRODUCANT GRATIAM

90. Status quaestionis. Cum sacramenta novae legis administrentur successive, non in instanti, dubium occurrit, an successive vel in instanti et in quo instanti producant gratiam.

Placita theologorum. Diversi diversimode hac in re sentiunt.

1) Aliqui censent in sacramentis «gratiam conferri in tempore non determinato sed indeterminato ante illud instans terminativum, ita ut nulla pars illius temporis adsignari possit, in qua tota fuerit gratia, sed in minori et minori, sed tamen ante ultimum instans». Ita nonnulli suppresso nomine apud Lugo [1].

2) Alii docent in sacramentis «gratiam conferri, non quidem in instanti ultimo terminativo intrinseco vel extrinseco sacramenti, nec in tempore indeterminato ante ultimum instans, sed in tempore aliquo determinato post aliquod instans continuativum». Ita *Lugo* [2].

3) Alii contendunt in sacramentis gratiam conferri in instanti terminativo extrinseco, in quo sacramentum primo non est. Ita *Gabriel a S. Vincentio* [3], et *Nugnus* apud Philippum a SS. Trinitate [4].

4) Alii denique volunt sacramenta nostra producere gratiam in instanti intrinseco tum gratiae, quae fit, tum causalitati, qua fit, tum sacramentis, per quae fit, consideratis secundum ultimum eorum mutatum esse; in signo vero extrinseco sacramentis consideratis adaequate secundum quod sunt motus. Ita *Salmanticenses morales*, *Philippus a SS. Trinitate*, *Salmanticenses scholastici*, et alii [5].

---

[1] *De sacramentis in genere*, disp. 4, sect. 6, n. 108.

[2] *De sacramentis in genere*, disp. 4, sect. 6, n. 123.

[3] *De sacramentis in genere*, disp. 4, q. 4.

[4] *De sacramentis in genere*, disp. 5, dub. 4.

[5] **Salmanticenses morales,** tr. 1, c. 2, dub. un. ad 6; **Philippus a SS. Trinitate,** *De sacramentis in genere*, disp. 5, dub. 4; **Salmanticenses scholastici,** *De sacramentis in communi*, disp. 4, n. 77.

91. THESIS. **Sacramenta nostra producunt gratiam in instanti, quod est intrinsecum gratiae, causalitati et sacramentis secundum ultimum eorum mutatum esse.**

Arg. Gratia est quaedam forma permanens. Omnis autem forma permanens producitur in instanti, quod sit intrinsecum tum ipsi formae permanenti, tum ejus causis. In instanti quidem, quia forma permanens sicut et quaelibet substantia habet suum esse simul [1]. In instanti vero intrinseco tum gratiae, in quo dici possit: *nunc est gratia;* ut ex se patet; tum causalitati, quia actio debet esse simul cum effectu; tum sacramentis, quia ultimum terminativum et mutatum esse sacramentorum, in quo gratia producitur et exercetur eorum actio, est ipsis intrinsecum.

ARTICULUS VI

QUAM GRATIAM CAUSENT SACRAMENTA NOVAE LEGIS

92. Status quaestionis. 1) Gratia, sicut jam saepe diximus, potest esse actualis vel habitualis seu sanctificans. Quaerimus, an sacramenta novae legis producant gratiam habitualem seu sanctificantem, quae homines justificat.

2) Gratia sanctificans potest esse *prima* vel *secunda*. Dicitur *prima*, non quae sit absolute prima in vita, sed illa, quae datur homini peccatori aliam gratiam non habenti; ex. gr. Petrus peccator, qui aliquando gratiam habuit et amisit, per sacramentum poenitentiae dicitur accipere primam gratiam. *Secunda* autem vocatur augmentum gratiae, id est, gratia, quae confertur homini justo gratiam habenti.

3) Ex modo loquendi auctorum videbitur cuipiam gratiam sacramentalem esse distinctam a gratia sanctificante, et explicari oportet, an et in quo ambae distinguantur.

4) Inquirendum pariter est quantam gratiam sacramenta conferant.

93. THESIS I. **Dogma catholicum est singula sacramenta conferre homini gratiam sanctificantem.**

1) Hoc certissime patet ex argumentis, quae supra attulimus ad probandam efficaciam sacramentorum.

2) Praeterea, concilium tridentinum non solum definit sacramenta non ponentibus obicem gratiam conferre, verum etiam declarat hanc gratiam esse sanctificantem, cum agit de sacramentis Ecclesiae, «per quae omnis vera justitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur» [2]. Justi autem efficimur per gratiam sanctificantem, et consequenter sacramenta, quae nos justificant, conferunt animae gratiam sanctificantem.

---

[1] Cfr. **Complutenses abbrev.,** disp. 24, q. 3, n. 12.
[2] *Sess.* 7, prooem.; **Mansi,** 33, 51.

94. THESIS II. **Baptismus et poenitentia per se conferunt primam gratiam, caetera vero sacramenta per se secundam gratiam.**

Pars 1.ª Baptismus et poenitentia per se conferunt primam gratiam.

Sacramenta per se dicuntur producere primam gratiam, si primario ex peculiari institutione Christi et ex propria significatione ordinata sunt ad delendum peccata et justificandum hominem. Sed baptismus et poenitentia primario ex peculiari institutione Christi et ex propria significatione ordinantur ad delenda peccata et ad justificandum hominem. Ergo. Baptismus siquidem *abluit* hominem a peccato originali, et poenitentia *absolvit* eum a peccatis actualibus, et consequenter ambo sanctificant hominem per primam gratiam sanctificantem.

Pars 2.ª Caetera sacramenta per se conferunt secundam gratiam.

Ratio est, quia haec sacramenta non supponunt hominem in peccato, nec ordinantur ex primaria institutione Christi et ex propria significatione ad remittenda peccata, sed supponunt in subjecto vitam spiritualem, et ordinantur secundum propriam significationem et institutionem Christi ad augendam gratiam. Ergo haec sacramenta conferunt per se secundam gratiam.

Hac ratione probatur etiam sacramenta vivorum recipi oportere in statu gratiae, quia ex se ordinantur ad secundam gratiam conferendam.

95. Corollarium. Baptismus et poenitentia vocabulo satis accommodato appellantur communiter *sacramenta mortuorum*, quia supponunt hominem per peccatum Deo mortuum; caetera vero vocantur *sacramenta vivorum*, quia subjectum ea recipiens oportet esse spiritualiter vivum et Deo carum.

96. THESIS III. **Aliquando tamen et per accidens sacramenta mortuorum producunt secundam gratiam, et sacramenta vivorum primam.**

Pars 1.ª Aliquando per accidens sacramenta mortuorum producunt secundam gratiam.

Nihil obstat, quominus interdum aliqui baptismum vel poenitentiam suscepturi per actum contritionis perfectum sanctificentur, et ita sanctificati accedant ad sacramenta mortuorum. Cum autem haec sacramenta non ponentibus obicem gratiam conferant, necessario sequitur sacramenta mortuorum, quamvis ex sua institutione et significatione ordinentur ad delenda peccata et conferendam primam justificationem, aliquando conferre homini justificato secundam gratiam. Hoc communiter admittunt theologi.

Pars 2.ª Sacramenta vivorum aliquando causant per accidens primam gratiam.

Nota. 1) Sacramentum eucharistiae atque ideo sacramenta vivorum aliquando causare primam gratiam negant *Biel, Vazquez* et *Lugo* [1].

2) Alii dicunt sacramenta vivorum, quando inveniunt subjectum bona fide gratia destitutum sed attritum, producere primam gratiam, non per accidens, sed per se secundum gratiam genericam. Ita *Gabriel a S. Vincentio* [2] et alii.

3) Sed multo communius alii docent sacramenta vivorum in hoc casu producere primam gratiam per accidens.

Probatur. I. *Aliquando causant primam gratiam.* 1) S. Thomas ait *de confirmatione:* «Si aliquis adultus in peccato exsistens, cujus conscientiam non habet vel si etiam non perfecte contritus accedat (ad confirmationem), dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento consequetur remissionem peccatorum» [3].

De eucharistia: «Si aliquis per hujusmodi signa, facta diligenti discussione suae conscientiae, quamvis forte non sufficienti, ad corpus Christi devote accedat, aliquo peccato mortali in ipso manente, quod ejus cognitionem praeterfugiat, non peccat, immo magis ex vi sacramenti peccati remissionem consequitur. Unde Augustinus dicit in quodam sermone, quod, quando corpus Christi manducatur, vivificat mortuos» [4].

De extrema unctione: «Quamvis enim culpa quoad maculam sine contritione non dimittatur; tamen hoc sacramentum per gratiam, quam infundit, facit, quod ille motus liberi arbitrii in peccatum sit contritio, sicut etiam in eucharistia et confirmatione potest accidere» [5].

Idem dicendum est de aliis sacramentis vivorum.

2) Id ipsum suadet ratio. Sacramenta enim semper conferunt gratiam non ponentibus obicem. Homo autem, qui peccato mortali infectus, sed bona fide se exsistimans esse emendatum et vere contritum, devotus ac attritus accedit ad sacramenta vivorum, non ponit obicem gratiae. Ergo. Obicem illi dicuntur ponere gratiae, qui vel affecti sunt peccato mortali, vel conscientiam habent de peccato non remisso. Qui autem bona fide credit sibi fuisse peccata remissa, et cum attritione supernaturali de peccatis commissis accedit ad sacramenta, nullatenus afficitur peccato mortali, nec constientiam habet de peccato non remisso. Casus est: Petrus, qui aliquando peccatum mortale commisit, si oblitus sui peccati faciat attritionem generalem supernaturalem et pie suscipiat sacramentum eucharistiae, liberabitur proculdubio a peccato mortali et accipiet gratiam sanctificantem.

II. *In hoc casu causant primam gratiam per accidens.* Sacramenta vivorum ex peculiari Christi institutione et secundum primariam eorum significationem ordinantur ad producendam secundam gratiam. Si quando

---

[1] **Biel,** *In IV Sent.*, dist. 9, q. 2, a. 1, nota 1; **Vazquez,** *De sacramentis*, disp. 205, cc. 4 et 5; **Lugo,** *De eucharistia*, disp. 12, sect. 1.

[2] *De sacramentis in genere*, disp. 4, q. 7.

[3] *III p.*, q. 72, a. 7 ad 2.

[4] *In IV Sent.*, dist. 9, q. 1, a. 3, quaest. 2.

[5] *In IV Sent.*, dist. 23, q. 1, a. 2, quaest. 1 ad 2.

autem ex vi primariae institutionis deberent causare augmentum gratiae in justo, conferantur animae exsistenti in peccato, per accidens fit, ut in ea causent primam gratiam.

97. THESIS IV. 1) **Sacramenta solo numero distincta aequalem gratiam conferunt aequaliter dispositis;** 2) **inaequalem vero inaequaliter dispositis;** 3) **et sacramenta specie distincta inaequalem conferunt gratiam etiam aequaliter dispositis.**

Pars 1.ª Sacramenta solo numero distincta aequalem gratiam conferunt aequaliter dispositis.

Aliqui veteres theologi visi sunt huic doctrinae contradicere, sed jam communis evasit haec opinio.

Angelicus Doctor eam defendit dicens: «Per se quidem effectus baptismi est id, ad quod baptismus est institutus, scilicet ad regenerandum homines in spiritualem vitam. Et hunc effectum aequaliter facit in omnibus, qui aequaliter se habent ad baptismum. Unde, quia omnes pueri aequaliter se habent ad baptismum, quia non in fide propria, sed in fide Ecclesiae baptizantur, omnes aequalem effectum percipiunt in baptismo» [1]. Idem dicendum est de confirmatione, quando confertur infantibus usu rationis carentibus.

Ratio, quae in his verbis S. Thomae insinuatur, est perspicua, quia sacramenta ex sua institutione producunt illam gratiae quantitatem, quam postulat dispositio animae, sicut causae naturales producunt effectum aequalem vel inaequalem juxta dispositionem subjecti.

Nec valet dicere Deum singulis hominibus distribuere gratiam, prout vult, adeo ut quibusdam parvulis possit majorem gratiam prae aliis conferre in baptismo. Minime dubito, quin Deus possit majorem gratiam uni conferre prae alio, sed nullibi constat ipsum voluisse hanc facere distinctionem in collatione gratiae per sacramenta, quin potius adsunt fundamenta, quae suadeant omnino contrarium.

Aequalitas dispositionis adest semper in infantibus, qui accedunt vel feruntur ad sacramenta, sed inter adultos difficulter inveniuntur duo vel plures homines, qui eumdem omnino gradum dispositionis habeant.

Pars 2.ª Inaequalem gratiam conferunt inaequaliter dispositis.

Est expressa sententia Angelici Doctoris, qui ait: «Adulti vero, quia per propriam fidem ad baptismum accedunt, non aequaliter se habent ad baptismum; quidam enim cum majori, quidam cum minori devotione ad baptismum accedunt; et ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt; sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat; licet ignis, quantum est de se, aequaliter ad omnes suum calorem effundat» [2].

---

[1] *III p.*, q. 69, a. 8.
[2] *III p.*, q. 69, a. 3.

Ratio est semper eadem, quia sacramenta, quae ex sua institutione operantur ad instar causarum naturalium, producunt gratiam secundum dispositionem subjecti.

Ex hac doctrina colligunt *Salmanticenses* «non solum recipere majorem gratiam, qui suscipit idem specie sacramentum cum majori specie dispositione intensiva; sed etiam et a fortiori, qui illud suscipit cum majori specie dispositione, licet quoad gradus vel modos magis remissa. Unde, si duo susciperent duo sacramenta solo numero distincta, unus cum attritione ut quatuor, et alter cum contritione ut duo, profecto hic ultimus majorem virtute sacramenti reciperet gratiam, quam alter. Et ratio est: quia contritio, licet remissa, est melior simpliciter, quam attritio licet intensa» [1].

Pars 3.ª Sacramenta specie distincta inaequalem conferunt gratiam etiam aequaliter dispositis.

Causa siquidem nobilior nobiliorem, quantum est de se, producit effectum. Sacramenta autem novae legis, quae sunt causa gratiae, sunt alia aliis nobiliora, ut expresse declaravit concilium tridentinum [2] et probavimus superius.

98. Scholion. Hoc non obstante, puto aliquando fieri posse, ut sacramentum minus perfectum cum magna devotione susceptum producat majorem gratiam, quam sacramentum nobilius remissa devotione susceptum.

99. THESIS V. **Gratia sacramentalis est essentialiter ipsamet gratia sanctificans, sed addit supra illam, non quidem habitum novum vel qualitatem completam, sed specialem vigorem et modum intrinsecum, quo determinatur et fertur ad producendos speciales effectus necessarios in vita christiana, et exigit specialia auxilia ad finem sacramentorum obtinendum.**

Nota. 1) Discutiendum hic venit, an gratia sacramentalis differat a gratia sanctificante, et, supposito quod essentialiter idem sit cum illa, an aliquid et quid addat supra gratiam sanctificantem.

2) Animadvertendum autem est cum S. Thoma, quod «gratia secundum se considerata perficit essentiam animae, in quantum participat quamdam similitudinem divini esse; et sicut ab essentia animae fluunt ejus potentiae, ita a gratia fluunt quaedam perfectiones ad potentias animae, quae dicuntur virtutes et dona, quibus potentiae perficiuntur» [3]. Unde gratia sanctificans vocari consuevit gratia virtutum et donorum. At homo per sacramenta non solum consequitur similitudinem divini esse in anima, et perficit ejus potentias, sed ulterius ordinatur ad speciales actus in vita christiana, et oportet, ut gratia sacramentalis conferat homini christiano «quoddam divinum auxilium ad consequendum sacramenti finem» [4]. Hinc gratia sacramentalis supra gratiam communiter dictam, quae animam sanctificat, et supra virtutes et dona, quae perficiunt potentias animae, addit facul-

---

[1] *De sacramentis in communi*, disp. 4, n. 127.
[2] *Sess.* 7, can. 3; **Denz-Bannw.**, 846.
[3] *III p.*, q. 62, a. 3.
[4] **S. Thomas**, *III p.*, q. 62, a. 2.

tatem necessariam ad eliciendos effectus peculiares vitae christianae et consequendum sacramenti finem.

Quid autem addat supra gratiam gratum facientem et supra virtutes et dona, quaestio est non parum agitata inter theologos.

a) Aliqui dixerunt gratiam sacramentalem distingui a gratia sanctificante ratione tantum propter munus diversum, quatenus gratia sacramentalis ordinatur ad sanandam animam vel ad sanitatem conservandam augendamque; gratia vero communis seu sanctificans ad bene operandum.

b) Alii volunt per gratiam sacramentalem nihil reale intrinsecum addi gratiae sanctificanti, sed solum auxilia extrinseca specialia pro fine sacramentorum obtinendo. Ita *Cajetanus, Sotus, Philippus a SS. Trinitate, Lugo,* et alii plures [1].

3) Nonnulli contendunt hanc gratiam sacramentalem esse habitum seu qualitatem permanentem, distinctam a gratia communi. Ita *Capreolus* [2].

4) Alii docent gratiam sacramentalem addere gratiae sanctificanti modum seu vigorem quemdam intrinsecum, quo gratia communis determinatur ac fertur in peculiares effectus vitae christianae ac finem proprium sacramentorum. Ita *Joannes a S. Thoma, Salmanticenses morales, Salmanticenses scholastici, Billuart,* et alii [3].

5) Cl. *Van Noort* putat gratiam sacramentalem consistere in complexu donorum et gratiarum actualium ad finem sacramenti conducentium [4].

His praelibatis, probatur thesis per partes.

Pars 1.ª Addit aliquid reale.

Tum quia gratia sacramentalis producit effectus distinctos ab effectibus gratiae communis; tum quia singula sacramenta producunt peculiarem gratiam; tum etiam quia gratia sacramentalis unius sacramenti confert auxilia ab auxiliis gratiae communis et gratiae aliorum sacramentorum diversa.

Pars 2.ª Non addit habitum novum.

Hic enim habitus non recipitur immediate in anima nec in potentiis. Non in anima, quae jam satis perficitur per gratiam communem; non in potentiis, quae pariter per virtutes perficiuntur in ordine ad suos actus. Solum ergo requiritur, ut gratiae communi aliquid reale addatur in ordine ad actus necessarios vitae christianae et in ordine ad finem peculiarem sacramentorum.

Pars 3.ª Aliquid addit per modum vigoris in ordine ad finem sacramenti.

Hanc doctrinam tenet Angelicus Doctor dicens: «Ratio sacramentalis gratiae se habet ad gratiam communiter dictam, sicut ratio speciei ad genus. Unde, sicut non aequivoce dicitur animal communiter dictum

---

[1] **Cajetanus,** *In III p.*, q. 62, a. 2; **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 1, q. 3, a. 2; **Philippus a SS. Trinitate,** *De sacramentis in genere,* disp. 4, dub. 7; **Lugo,** *De sacramentis in genere,* disp. 4, sect. 3, n. 19 sqq.

[2] *In IV Sent.*, dist. 1, q. 1, a. 3, § 3, ad 4 Durandi contra tertiam concl.

[3] **Joannes a S. Thoma,** *De sacramentis,* disp. 24, a. 2, dub. un.; **Salmanticenses morales,** *De sacramentis in genere,* tr. 1, c. 5, dub. un., n. 29; **Salmanticenses scholastici,** *De sacramentis in communi,* disp. 4, n. 140; **Billuart,** *De sacramentis in communi,* diss. 3, a. 5.

[4] *De sacramentis,* n. 69.

et pro homine sumptum, ita non aequivoce dicitur gratia communiter sumpta et gratia sacramentalis» [1]. Hinc, quando Angelicus dicit gratiam sacramentalem addere gratiae communi «quoddam divinum auxilium» ad consequendum sacramenti finem, per auxilium intelligit aliquid reale intrinsecum gratiae communi superadditum [2].

Ratio est, quia gratia sacramentalis sanctificat hominem redditque eum aptum ad bene operandum, sicut gratia communis virtutum et donorum, et ex hac parte est essentialiter gratia sanctificans; et ulterius perficit hominem ad exsequendos peculiares actus vitae christianae et obtinendum finem sacramentorum, et ex hac parte addit aliquid reale ac intrinsecum supra gratiam communem, quod se habeat per modum specialis vigoris.

100. THESIS VI. **Sacramenta novae legis habent virtutem specialiter ex passione Christi.**

Humanitas Christi et sacramenta novae legis sunt causae instrumentales gratiae, illa quidem instrumentum causae principali conjunctum, et haec instrumenta separata. Causa autem principalis utens duobus instrumentis, uno conjuncto et altero separato, pro uno effectu producendo, communicat suam virtutem instrumento separato, mediante instrumento conjuncto, sicut serra movetur per manum. Hinc Deus, qui est causa principalis gratiae, communicat suam virtutem sacramentis per humanitatem Christi. Sed humanitas Christi, ut causa instrumentalis conjuncta, producit gratiam specialiter per passionem suam. Ergo sacramenta novae legis habent virtutem ex passione Christi [3].

Admonendus est populus christianus, ut crebro sacramenta suscipiat et sic fructus passionis Christi abunde percipiat.

101. THESIS VII. **Sacramenta veteris legis non causabant gratiam ex opere operato.**

Patet ex concilio florentino, in quo haec leguntur: «Illa enim (antiquae legis sacramenta) non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant» [4].

Ratio est, quia sacramenta sunt causae instrumentales physicae separatae, quae accipiunt virtutem ab humanitate Christi ut a causa efficiente. Sed in veteri lege nondum erat humanitas Christi. Ergo sacramenta veteris legis non causabant gratiam ex opere operato.

ARTICULUS VII

UTRUM SACRAMENTA FICTE SUSCEPTA, REMOTO OBICE, REVIVISCANT

102. Status quaestionis. 1) *S. Thomas* loquendo de baptismo ait: «Dicitur autem aliquis fictus per hoc, quod voluntas ejus contradicit vel baptismo vel ejus effectui» [5]. Unde duplex fictio potest esse in sacra-

[1] *III p.*, q. 62, a. 2 ad 3.
[2] *III p.*, q. 62, a. 2.
[3] Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 62, a. 5.
[4] *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 695.
[5] *III p.*, q. 69, a. 9.

mentis, una, quae impedit validitatem sacramenti, ut si quis sine dolore accedat ad poenitentiam; et alia, quae solummodo impedit effectum principalem sacramenti, qui est gratia, ut si quis sciens et volens contrahat matrimonium in peccato mortali.

2) Sacramenta invalide suscepta nunquam producunt gratiam, nec remoto obice reviviscunt, quia ab initio nulla sunt.

3) Obex, qui fructuosae perceptioni sacramenti obstat, potest esse *positivus* vel *negativus*. Positivus est, qui scienter et voluntarie adhibetur a subjecto. Negativus, qui bona fide apponitur.

4) Quaeritur, an qui valide et infructuose recepit sacramenta, quia sive voluntarie sive involuntarie apposuit impedimentum justificationi, remoto obice, accipiat gratiam sacramentalem. Casus est: Petrus adultus peccator accedit ad baptismum cum intentione quidem recipiendi sacramentum sed sine ullo dolore de peccatis; si postea concipiat attritionem de peccatis anteactis, accipit gratiam sacramenti et vocatur *reviviscentia sacramenti*.

103. Placita theologorum. 1) Omnes communiter tenent sacramenta, quae imprimunt characterem, si infructuose suscipiantur ob carentiam dispositionum, sublato impedimento, reviviscere et causare gratiam sacramentalem.

2) Communius pariter tenent theologi contra Gabrielem a S. Vincentio [1] sacram eucharistiam infructuose susceptam nunquam reviviscere.

3) De poenitentia, extrema unctione et matrimonio disputant theologi.

a) Plures tenent nullum eorum reviviscere per ablationem impedimenti. Sic aliqui thomistae.

b) Alii contendunt extremam-unctionem et matrimonium reviviscere, non vero poenitentiam. Ita *Tanquerey* [2].

c) Alii denique opinantur poenitentiam, extremam-unctionem et matrimonium, remoto obice, reviviscere. Ita *Gabriel a S. Vincentio*, *Billot* et alii [3].

104. THESIS I. **Sacramenta, quae imprimunt characterem, cum ficte ob defectum dispositionum suscipiuntur, remoto obice, reviviscunt et producunt gratiam.**

Nota. De baptismo videtur certa sententia, et de confirmatione ac ordine multo probabilior.

De baptismo ait *S. Augustinus:* «In illo, qui fictus accesserat, fit, ut non denuo baptizetur, sed ipsa pia correctione et veraci confessione purgetur, quod non posset sine baptismo, ut, quod ante datum est, tum valere incipiat ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit» [4]. Et *S. Thomas:* «Quando aliquis baptizatur, accipit characterem quasi formam, et consequitur proprium effectum, qui est gratia remittens omnia peccata. Impeditur autem quandoque per fictionem. Unde oportet, quod, remota ea per poenitentiam, baptismus statim consequatur suum effectum» [5]. «In baptismo imprimitur character, qui est immediata causa disponens ad gra-

---

[1] *De sacramentis in genere*, disp. 4, q. 5.

[2] *De sacramentis in communi*, n. 321-322.

[3] **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramentis in genere*, disp. 4, q. 5; **Billot,** *De sacramentis*, th. 6.

[4] *De baptismo contra donatistas*, lib. 1, c. 12, n. 18; ML **43,** 119.

[5] *III p.*, q. 69, a. 10.

tiam. Et ideo, cum fictio non auferat characterem, recedente fictione, quae effectum characteris impedit, character, qui est praesens in anima, incipit habere effectum suum. Et ita baptismus, recedente fictione, effectum suum consequitur» [1].

Quod hic dicitur de baptismo, valet de confirmatione et ordine, quia in his non minus ac in baptismo imprimitur character, in quo virtualiter continetur sacramentum.

Ratio fundamentalis thesis est, quia sacramenta imprimentia characterem, si quando ficte suscipiantur, virtualiter permanent in ipso charactere, et, remoto obice, causant in anima illum effectum, quem nata sunt producere.

105. Scholion. *De dispositione ad reviviscentiam.* 1) Qui obicem positivum apponit gratiae, suscipiendo sacrilege sacramentum, vel etiam qui, adhibito obice negativo in susceptione sacramenti, peccatum lethale committit antequam actum attritionis emittat, indiget proculdubio contritione perfecta cum voto sacramenti poenitentiae, vel ipso sacramento poenitentiae cum attritione. Hic enim habet peccatum mortale, quod non potest aliter remitti.

2) Qui obicem negativum posuit in susceptione baptismi, et nullum deinde peccatum mortale commisit, indiget solummodo actu attritionis, quia attritio fuisset ipsi sufficiens dispositio ad recipiendam gratiam in actu baptismi, et deinde, baptismo virtualiter remanente, non requiritur amplius.

3) Qui obicem negativum apposuit in susceptione confirmationis aut ordinis, et antequam recordetur sui peccati mortalis, emittit actum attritionis, accipit gratiam, quia haec dispositio fuisset ipsi sufficiens, ut confirmatio et ordo conferrent per accidens gratiam primam. At si, antequam emittat actum attritionis, recordetur peccati lethalis, quod fuit obex gratiae sacramentali, indiget actu perfecto contritionis cum voto poenitentiae, vel ipso sacramento poenitentiae cum attritione supernaturali, quia haec dispositio fuisset ipsi necessaria ad gratiam, si conscius fuisset peccati mortalis ante susceptionem sacramenti [2].

106. Thesis II. **Sacramenta, quae non imprimunt characterem, si ficte suscipiantur, probabilius non amplius reviviscunt nec causant gratiam.**

Ratio est, quia sacramenta non possunt reviviscere nec causare gratiam, quando non exsistunt saltem virtualiter. Sed sacramenta, quae non imprimunt characterem, si ficte suscipiantur, transacto actu administrationis, non amplius exsistunt virtualiter. Ergo.

---

[1] *In IV Sent.*, dist. 4, q. 3, a. 2, quaest. 5.

[2] Cfr. **Honoratus del Val,** *De sacramentis in genere*, n. 62.

QUAESTIO V

DE CHARACTERE SACRAMENTORUM

ARTICULUS I

AN ET IN QUIBUS SACRAMENTIS IMPRIMATUR CHARACTER

107. Origo nominis. Character (χαραχτηρ) vox graeca idem valet ac latine signaculum.

Antiquitus significabat 1) *sigillum*, quo pecora vel etiam servi inurebantur, ut a dominis agnoscerentur; 2) *notam*, qua homines militiae adigebantur; 3) *Signaculum*, quo aliquae personae insignitae muneribus publicis deputabantur.

A tempore jam S. Augustini translatum est hoc vocabulum ad ordinem spiritualem et exinde significat signaculum quoddam spirituale.

Definitio. Character sacramentale recte difinitur: *Signaculum spirituale et indelebile, animae impressum, quo homo ad sacra recipienda, defendenda vel facienda deputatur.* Haec definitio explicabitur inferius.

108. Error. Wiclefus primo [1] et deinde protestantes mordicus negaverunt per sacramenta novae legis imprimi characterem in anima.

Wiclefus dixit inventorem hujus theoriae fuisse Innocentium III, ineunte saeculo XIII; *Calvinus* adseruit doctrinam de charactere ex indoctorum monachorum officina prodiisse [2]; et recentius *Harnack* hoc inventum S. Augustino tribuit [3].

109. Thesis. **Baptismus, confirmatio et ordo imprimunt characterem in anima.** *Est dogma catholicum.*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Quamvis alii aliter S. Scripturam in hac parte interpretentur, negari nequit in sacris litteris hanc doctrinam diserte insinuari. *Qui autem,* ait Apostolus, *confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus: qui et signavit* (σφραγισαμενος) *nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris* [4].

In quo (Evangelio) *et credentes signati estis* (εσφραγισθητε) *Spiritu promissionis sancto* [5].

Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis (εσφραγισθητε) *in diem redemptionis* [6].

Hos textus in alium sensum plures detorquent, sed in favorem nostrae sententiae eos exponit Catechismus Romanus dicens: «Cum Apo-

---

1 Cfr. **Waldensis,** *De sacramentis,* t. 2, c. 110.
2 *Antid. Conc. trid.,* sess. 7, c. 9.
3 *Dogmengesch,* III, 154 sqq. (4 ed.).
4 *II Cor.,* 1, 21-22.
5 *Eph.,* 1, 13.
6 *Eph.,* 4, 30.

stolus (II Cor., 1, 21-22) ait: *Unxit nos Deus, qui et signavit nos...* voce illa *signavit* non obscure characterem descripsit, cujus proprium est aliquid signare et notare» [1].

2) *Ex concilio tridentino.* «Si quis dixerit in tribus sacramentis, baptismo, scilicet, confirmatione et ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, a. s.» [2].

3) *Ex SS. Patribus* [3]. *S. Cornelius* Papa: «Sed neque postquam liberatus est morbo (Novatianus), reliqua percepit quae juxta ecclesiasticam regulam percipi debent neque ab episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minime percepto, quo tandem modo Spiritum Sanctum potuit accipere» [4].

S. Ephraem: «Spiritus Sanctus per oleum imprimit signum suum ovibus suis. Sicut anulus in cera imprimit suum sigillum, ita etiam signum occultum Spiritus per oleum imprimitur personis, quando unguntur in baptismo» [5].

Hoc signaculum laudibus effert *S. Ambrosius* [6]; et *S. Augustinus* [7] proprio nomine characterem vocat.

S. Augustinus urgentius hoc adstruit ac defendit. Contra donatistas statuens haec tria sacramenta, etiamsi ab haereticis debito modo administrarentur, fuisse valida, distinxit in eis duplicem effectum, gratiam scilicet et characterem, et strenue defendit characterem permanere in anima, quamvis aliquando abesset gratia. «Quemadmodum autem Spiritum Sanctum, sicut habent filii dilecti, non habent filii maligni, et tamen baptismum habent, sic et Ecclesiam, sicut habent catholici, non habent haeretici, et tamen baptismum habent; nam Spiritus Sanctus disciplinae fugiet fictum, nec tamen eum fugiet baptismus. Itaque, sicut potest baptisma esse, et unde se aufert Spiritus Sanctus; ita potest esse baptisma, ubi non est Ecclesia... Induunt homines Christum aliquando usque ad sacramenti perceptionem, aliquando et usque ad vitae sanctificationem, atque illud primum et bonis et malis potest esse commune, hoc alterum proprium est bonorum et piorum» [8].

4) *Ex consensu theologorum.* Theologi scholastici hanc doctrinam de productione characteris per sacramenta baptismi, confirmationis et ordinis, haereditate a SS. Patribus acceperunt, et strenue defenderunt.

Aliqui eorum, ut *Scotus, Cajetanus* et alii [9], innuerunt doctrinam de charactere sacramentorum propter solam auctoritatem Ecclesiae haberi, sed hoc de natura non de exsistentia characteris intelligendum est.

---

[1] P. 2, c. 1, n. 30.

[2] *Sess.* 7, can. 9; **Denz-Bannw.,** 852. Cfr. *conc. florentin., Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 695.

[3] Jam Patres apostolici baptismum vocare consueverunt *sigillum.* **Clemens Romanus,** *II ad Cor.*, 7, n. 6; MG **1,** 339; *sigillum infragile.* Constitutiones apostolicae, 3, 16; MG **1,** 798.

[4] **Rouët de Journal,** *Enchiridion patristicum,* 547.

[5] **Assem.,** *Bibl. Orient.*, 1, 94; et **Rouët de Journal,** *Enchiridion patristicum,* 712

[6] *De Spiritu Sancto,* lib. 1, c. 6; ML **16,** 752.

[7] *In ep. Joan.*, tr. 5, n. 6; ML **35,** 2015.

[8] *De baptismo,* lib. 5, c. 23, n. 33-34; ML **43,** 193.

[9] **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 6, q. 9, n. 14; **Cajetanus,** *In III p.*, q. 63, a. 1.

Hinc revelatio de impressione characteris per sacramenta baptismi, confirmationis et ordinis, adumbrata in sacris litteris, subobscure exposita a SS. Patribus in primis quatuor Ecclesiae saeculis, explicite a S. Augustino secundum Ecclesiae consuetudinem ineunte saeculo V enucleata, deinceps ab aliis Patribus constanti praedicatione conservata, a theologis scholasticis diligentissime fuit declarata.

5) *Ex praxi Ecclesiae.* Haec tria sacramenta nunquam Ecclesia consuevit iterare, quia communiter censuit characterem per illa imprimi in anima.

6) *Ex ratione congruentiae.* Qui ad aliquod munus publicum deputatur et specialem potestatem accipit, aliqua nota etiam in societate civili insignitur. Per sacramenta autem baptismi, confirmationis et ordinis, homines specialiter deputantur ad cultum divinum et accipiunt specialem potestatem. Ergo. *Per baptismum* fit homo membrum Ecclesiae et accipit potestatem recipiendi alia sacramenta; *per confirmationem* fit miles Christi, ut ex officio profiteatur fidem Christi et congruenter recipiat alia sacramenta; *per ordinem* fit dux exercitus et accipit potestatem conferendi aliis sacramenta.

110. Corollarium. Concilium florentinum recte docuit tribus sacramentis, non vero aliis, characterem imprimi. «Inter haec sacramenta tria sunt: baptismus, confirmatio et ordo, quae characterem, id est, spirituale quoddam signum a caeteris distinctum in anima imprimunt. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt et reiterationem admittunt» [1]. Tria siquidem sacramenta et non alia deputant hominem ad recipiendum et conferendum ea, quae spectant ad cultum divinum, ut supra innuimus [2].

ARTICULUS II

IN QUO CONSISTAT CHARACTER SACRAMENTORUM

111. Status quaestionis. De exsistentia characteris secura est antiqua traditio et certa Ecclesiae doctrina; de natura vero ejusdem obscurior habetur ratio et magna theologorum varietas.

Inquirendum tamen est, in quo praecise character consistat, ut inde ejus proprietates colligi valeant.

Error. Rosmini in hoc erravit dicens: «In christiana doctrina Verbum, character et facies Dei, imprimitur in animo eorum, qui cum fide suscipiunt baptismum Christi. Verbum, id est, character in anima impressum, in doctrina christiana est Esse reale (infinitum) per se manifestum, quod deinde novimus esse secundam personam SS. Trinitatis» [3].

[1] *Decret. pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 695.

[2] **S. Bonaventura** ait ad rem: «Quia ergo tria tantum sunt sacramenta, quae respiciunt *statum fidei determinatum;* baptismus primum, quia ibi *fides gignitur,* et homo ab aegyptiis separatur; confirmatio secundum, quia ibi *fides roboratur,* et ut pugil inungitur homo ad praeliandum et ab infirmis discernitur; et ordo tertium, quia ibi *virtus* multimoda datur, et homo ut sanctus ad ministerium templi a laicis separatur; ideo ista tria tantum imprimunt characterem». *In IV Sent.,* dist. 6, q. 4.

[3] Prop. 28 damnata a S. Off., 14 Dec. 1887; **Denz-Bannw.,** 1918.

112. Placita theologorum. Juxta Durandum character «est sola relatio rationis, per quam ex institutione vel pactione divina deputatur aliquis ad sacras actiones» [1].

2) *Scotus* putat posse defendi characterem esse relationem realem extrinsecam, probabilius tamen exsistimat illum esse formam absolutam [2].

3) Alii communiter tenent characterem esse in genere qualitatis, sed inter se dissentiunt, ubi agunt de adsignanda specie qualitatis, ad quam reducendus sit:

a) Nonnulli defendunt characterem pertinere ad primam speciem qualitatis, esseque habitum quemdam impressum in anima per tria sacramenta. Ita *Alensis, Mayronus, Vorrilong, Bellarminus, Suarez, Vazquez,* et alii [3].

b) Plures volunt characterem reduci ad secundam speciem qualitatis, esseque potentiam spiritualem instrumentalem. Ita *S. Thomas,* omnes thomistae, et ex extraneis plures [4].

c) *Altissiodorensis* ait: «Dicimus quod sicut claritas vel illuminatio aeris est passio vel passibilis qualitas ipsius aeris, ita character ille, cum sit illuminatio» [5]. Huic sententiae subscripsit *Lugo* [6].

d) Alii tribuunt Marsilio sententiam, quae docet characterem reduci ad quartam speciem qualitatis, ad formam scilicet vel figuram [7].

113. THESIS. **Character sacramentalis est aliquid reale et absolutum, potentia nempe spiritualis, non quidem completa et principalis, sed incompleta et ministerialis seu instrumentalis, et reducitur ad secundam speciem qualitatis.**

Pars 1.ª Est aliquid reale.

In conciliis florentino et tridentino declaratum est characterem esse signum indelebile in anima. Unde sententia Durandi solet a theologis satis graviter judicari.

Pars 2.ª Est aliquid absolutum.

Ratione satis ingeniosa probat hoc Angelicus dicens: «Relatio, quae importatur in nomine signi, oportet, quod super aliquid fundetur. Relatio autem hujus signi, quod est character, non potest fundari immediate super essentiam animae, quia sic conveniret omni animae naturaliter. Et ideo oportet aliquid poni in anima, super quod fundetur talis relatio; et hoc est essentia characteris» [8].

---

[1] *In IV Sent.*, dist. 4, q. 1, n. 11.

[2] *In IV Sent.*, dist. 6, q. 10, n. 13.

[3] **Alensis,** *IV p.*, q. 8, m. 8, a. 1; **Mayronus,** *In IV Sent.*, dist. 7, q. 5, a. 11; **Vorrilong,** *In IV Sent.*, dist. 3, p. 3, concl. 1; **Bellarminus,** *De sacramentis,* lib. 2, c. 19; **Suarez,** *De sacramentis,* disp. 11, sect. 3, n. 14; **Vazquez,** *De sacramentis,* disp. 134, c. 3.

[4] **S. Thomas,** *III p.*, q. 63, a. 2; et *In IV Sent.*, dist. 4, q. 1, a. 1; Cfr. ex thomistis **Salmanticenses,** *De sacramentis in communi,* disp. 5, n. 31; et ex extraneis **Valentia,** *In III p.*, disp. 3, q. 4, p. 3 in fine.

[5] *Summa,* lib. 4, tr. 3, c. 2 ad 4.

[6] *De sacramentis in genere,* disp. 6, sect. 3, n. 48.

[7] **Marsilius,** *In IV Sent.*, q. 4, a. 1, concl. 7.

[8] *III p.*, q. 63, a. 2 ad 3.

Pars 3.ª Character sacramentalis est potentia spiritualis, non quidem completa et principalis, sed incompleta et ministerialis seu instrumentalis, et reducitur ad secundam speciem qualitatis.

Sacramenta imprimentia characterem conferunt homini aliquam potestatem seu potentiam in ordine ad divina. «In baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda, quae ad propriam pertinent salutem, prout scilicet secundum se ipsum vivit... In confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea, quae pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei» [1]. In ordine accipit potestatem conficiendi corpus Christi et absolvendi homines a peccatis. Ergo character est potestas seu potentia spiritualis.

Hanc potentiam intelligimus physicam, ut decet signum indelebile impressum in anima et conferens facultatem physicam consecrandi et absolvendi in charactere ordinis, et non moralem, ut vult cl. *Pesch* [2].

Non est tamen potentia completa et principalis, sed ministerialis et incompleta, ut expresse docet *Angelicus* his verbis: «Haec spiritualis potentia est instrumentalis, sicut etiam supra... dictum est de virtute, quae est in sacramentis. Habere enim sacramenti characterem competit ministris Dei; minister autem habet se per modum instrumenti» [3]. Adest igitur in nobis character sacramentalis, ut quoties velimus opera ad cultum Dei spectantia peragere, possimus eo uti, et actus vitae christianae, professionis fidei, et cultus divini, exercere.

Haec potentia spiritualis, instrumentalis cum sit, reductive pertinet ad secundam speciem qualitatis.

114. Scholion I. *Character sacramentalis distinguitur realiter a gratia;* quia, ut diximus, est quaedam potentia seu virtus instrumentalis, dum gratia est habitus seu forma habens esse completum in anima. Character est signum gratiae, a qua distinguitur sicut signum a signato, et aliquando producitur in anima sine gratia.

115. Scholion II. *Character nos configurat Christo.* «Character proprie est signaculum quoddam, quo aliquid insignitur, ut ordinatum in aliquem finem; sicut charactere insignitur denarius ad usum commutationum; et milites charactere insigniuntur, quasi ad militiam deputati. Homo autem fidelis ad duo deputatur; primo quidem et principaliter ad fruitionem gloriae; et ad hoc insignitur signaculo gratiae... Secundo autem deputatur quisque fidelis ad recipiendum vel tradendum aliis ea, quae pertinent ad cultum Dei, et ad hoc proprie deputatur character sacramentalis. Totus autem ritus christianae religionis derivatur a sacerdotio Christi. Et ideo manifestum est, quod character sacramentalis specialiter est character Christi, cujus sacerdotio configurantur fideles secundum sacramentales characteres, qui nihil aliud sunt, quam quaedam participationes sacerdotii Christi ab ipso Christo derivatae» [4].

---

[1] *III p.*, q. 72, a. 5.
[2] *De sacramentis in genere*, n. 199.
[3] *III p.*, q. 63, a. 2.
[4] *III p.*, q. 63, a. 3.

Hoc tamen nolim sic intelligas, ut Christus habeat sicut nos characterem sacramentalem per participationem, qui sit primarius character, a quo derivetur nostrum signaculum. Christus enim est sacerdos per suam naturam habens plenissimam potestatem spiritualem. Nos autem, cum recipimus sacramenta imprimentia characterem, accipimus per participationem, quod Christo competit per naturam, adeo ut «sicut Christus habet plenam spiritualis sacerdotii potestatem, ita fideles ejus ei configurentur in hoc, quod participant aliquam spiritualem potestatem respectu sacramentorum, et eorum quae pertinent ad divinum cultum» [1].

116. Corollarium. Ex his facile colliges sensum definitionis characteris, quam supra dedimus.

Dicitur 1) *signaculum*, quia per characterem sacramentalem homo a Christo et a caeteris distinguitur; 2) *spirituale*, ut innuatur hoc signaculum ad spiritualia tantum referri; 3) *indelebile*, quia, ut jam diximus, hoc signaculum nunquam, nequidem in caelo, delebitur; 4) *animae impressum*, quo significatur characterem esse aliquid reale et mediate vel immediate in anima recipi; 5) *quo homo deputatur ad sacra recipienda, defendenda vel facienda*, quibus exprimitur munus et potentia, quae homini per characterem conferuntur. Per baptismum deputatur homo ad recipienda sacra, per confirmationem ad defendenda ex officio, per ordinem ad facienda.

ARTICULUS III

QUODNAM SIT SUBJECTUM, IN QUO IMMEDIATE RECIPITUR CHARACTER SACRAMENTALIS

117. Status quaestionis. In homine sunt corpus, anima rationalis et potentiae, quae omnia realiter inter se distinguuntur.

Declarandum hic venit, in quo character tanquam in subjecto immediate recipiatur.

118. Placita theologorum. 1) *Durandus* defendit characterem sacramentalem ponendum esse «in potentia executiva per quam minister applicat formam et materiam sacramenti ad suscipientem»; et character ordinis «convenientius poneretur in manibus sacerdotis, quibus tenet hostiam consecrandam, et ad hoc consecratae sunt, vel in ore vel in lingua proferente verba consecrationis» [2].

2) Alii volunt characterem immediate recipi in essentia animae tanquam in subjecto. Ita *Bellarminus, Suarez, Vazquez, Lessius, Lugo, Becanus*, et alii [3].

3) *Scotus* ponit characterem immediate in voluntate tanquam in subjecto [4].

4) Multo communius et probabilius tenent alii characterem sacramentalem recipi immeditae in solo intellectu. Ita *S. Thomas, omnes thomistae* et *plures extranei* [5].

---

[1] **S. Thomas,** *III p.*, q. 63, a. 5.

[2] *In IV Sent.*, dist. 4, q. 1, n. 9.

[3] **Bellarminus,** *De sacramentis in genere*, lib. 2, c. 19, prop. 4; **Suarez,** *De sacramentis*, disp. 11, sect. 4, n. 9; **Vazquez,** *De sacramentis*, disp. 134, c. 4; **Lessius,** *In III p.*, q. 63, a. 4; **Lugo,** *De sacramentis in genere*, disp. 6, sect. 4; **Becanus,** *De sacramentis*, c. 4, q. 3.

[4] *In IV Sent.*, dist. 6, q. 11, n. 4, «Dico ergo».

[5] **S. Thomas,** *III p.*, q. 63, a. 4 ad 3. Cfr. **Cajetanus,** *In III p.*, q. 63, a. 4.

119. THESIS. **Subjectum immediatum characteris sacramentalis est solus intellectus.**

Arg. Angelicus Doctor solide probat 1) characterem sacramentalem non recipi immediate in essentia animae; et 2) recipi in solo intellectu.

1) *Non recipitur immediate in essentia animae.* «Character est quoddam signaculum, quo anima insignitur ad suscipiendum vel aliis tradendum ea, quae sunt divini cultus. Divinus autem cultus in quibusdam actibus consistit. Ad actus autem proprie ordinantur potentiae animae, sicut essentia ordinatur ad esse. Et ideo character non est in subjecto in essentia animae, sed in ejus potentia» [1].

2) *Recipitur immediate in solo intellectu.* «Character ordinatur ad ea, quae sunt divini cultus, qui quidem est quaedam fidei protestatio per exteriora signa. Et ideo oportet, quod character sit in cognitiva potentia, animae, in qua est fides» [2].

Oportet sane characterem sacramentalem immediate recipi in subjecto, quod ordinatur ad operationes, et quod inter operandum dirigit caeteras potentias ad tribuendum Deo verum cultum. Solae autem potentiae non essentia animae, ordinantur ad operationes, et inter operandum solus intellectus practicus dirigit caeteras potentias ad tribuendum Deo verum cultum. Unde in solo intellectu practico immediate recipitur character.

ARTICULUS IV

AN ET QUOMODO CHARACTER RECIPIATUR INDELEBILITER IN ANIMA

120. Status quaestionis. Tria sunt praecipue in hoc articulo discutienda: 1) An character sit indelebilis in anima durante hominis vita. 2) An etiam post mortem permaneat in altera vita; 3) An sit indelebilis intrinsece ex natura sua, an vero extrinsece ex sola ordinatione divina.

121. Placita theologorum. 1) De fide est et omnes unanimi consensu admittunt characterem indelebiliter permanere in anima durante hominis vita.

2) Non est de fide, sed communis sententia docet characterem post mortem hominis manere in anima.

3) Quantum ad modum tenet *Scotus* [3], cui subscribunt *Vazquez* [4] et alii, characterem esse indelebilem ex sola extrinseca Dei dispositione. Sed *S. Thomas* [5], omnes thomistae, et plures extranei defendunt characterem sacramentalem ex natura sua et intrinsece indelebiliter inhaerere animae.

122. THESIS. **Character sacramentalis secundum praesentem Dei providentiam est non solum ex extrinseca Dei dispositione, sed etiam intrinsece et ex natura sua, indelebilis in hac et altera vita.**

Nota. Dixi «secundum praesentem Dei providentiam», quia non dubitamus, quin de potentia Dei extraordinaria, sicut angeli et animae rationales destrui valent, possit character deleri.

---

1 *III p.*, q. 63, a. 4.
2 *III p.*, q. 63, a. 4 ad 3.
3 *In IV Sent.*, dist. 6, q. 9, n. 20
4 *In III p.*, disp. 134, c. 5, n. 90.
5 *III p.*, q. 63, a. 5.

Pars 1.a Character est indelebilis in hac vita.

1) Patres conciliorum florentini et tridentini vocant characterem *signum indelebile* [1]; et exinde theologi acceperunt hanc doctrinam ut dogma fidei.

2) Ex apostolica et universali traditione docemur sacramenta, quae imprimunt characterem, nunquam iteranda esse, eo quod aliquid eorum scilicet character indelebiliter permanet in anima.

3) Character est quaedam participatio sacerdotii Christi. Christus autem est sacerdos in aeternum. Ergo character debet permanere in aeternum.

Pars 2.a Character sacramentalis est indelebilis in altera vita.

1) *S. Thomas* ait: «Post hanc vitam remanet character et in bonis ad eorum gloriam et in malis ad eorum ignominiam; sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam et in his, qui vicerunt, ad gloriam, et in his, qui sunt victi, ad poenam» [2].

2) Cum character sacramentalis recipiatur in anima tanquam in subjecto, remanet indelebilis, dum ipsa anima est incorruptibilis. Sed anima rationalis manet incorruptibilis post mortem hominis. Ergo. Sicut res consecratae ac benedictae non amittunt consecrationem et benedictionem, dum ipsae integrae manent; ita etiam anima rationalis conservat characterem sacramentalem etiam in altera vita, dum incorrupta manet.

Pars 3.a Character sacramentalis est indelebilis non solum ex externa Dei dispositione sed etiam intrinsece et ex natura sua.

Character sacramentalis non habet unde corrumpatur, sicut habent alia accidentia. Non potest corrumpi ob defectum potentiae principalis, quae eo utitur tanquam potentia instrumentali ad operanda sacra, ut aliquando desinunt esse causae instrumentales, quia potestas sacerdotalis Christi, quae in hoc casu est causa principalis, manet in aeternum. Non desinit esse ad corruptionem subjecti, ad modum colorum, qui, corruente pariete, pereunt, quia character recipitur in intellectu incorruptibili. Non deletur ad introductionem dispositionum, quae illum expellant, ut peccatum expellit gratiam, quia nihil potest introduci in anima, quod sit incompatibile cum characteré sacramentali.

Corollarium. Consequenter docent auctores mortuum baptizatum, si miraculose resurgeret, non fore baptizandum, et sacerdotem mortuum, si surgeret ex mortuis, non fore ordinandum.

---

[1] *Concil. florent., Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 695; et *Concil. trid.* sess. 7, can. 9; **Denz-Bannw.,** 872.

[2] *III p.*, q. 63, a. 5 ad 3.

QUAESTIO VI

DE AUCTORE SACRAMENTORUM NOVAE LEGIS

ARTICULUS I

AN ET QUOMODO CHRISTUS INSTITUERIT SACRAMENTA NOVAE LEGIS

123. Status quaestionis. 1) Instituere sacramenta novae legis nihil aliud est, quam determinare signa sensibilia, quae significent et instrumentaliter causent gratiam. Cum autem haec signa sint quaedam composita, quae constant rebus tanquam materia et verbis tanquam forma, signa determinari dicuntur, cum designantur materia et forma, et compositum ordinatur ad significandam gratiam.

2) Auctor sacramentorum potest esse *principalis*, qui propria virtute ac potestate instituit sacramenta; et *ministerialis*, qui non virtute propria sed potestate ab auctore principali delegata agit circa sacramenta.

Auctor *ministerialis* potest iterum esse *ministerii principalis* seu institutionis, qui habet potestatem *excellentiae* ad instituenda sacramenta, et *ministerii communis* seu administrationis, qui nullatenus instituit sed conficit ac confert sacramenta, ut quilibet minister conficit et administrat sacramenta.

3) Dilucidandum est, an et quomodo Christus signa sensibilia gratiae determinaverit, et contulerit ipsis virtutem producendi gratiam.

124. Errores. 1) Reformatores saeculi XVI noluerunt admittere nisi duo vel tria sacramenta, et dixerunt caetera sacramenta, quae in Ecclesia habentur, saeculo II vel III a catholicis fuisse inventa, ut dogmata christiana externo ritu exhiberentur ac profiterentur.

2) Modernistae graviter erraverunt dicentes: «Opiniones de origine sacramentorum, quibus Patres tridentini imbuti erant, quaeque in eorum canones dogmaticos proculdubio influxum habuerunt, longe distant ab iis, quae nunc penes historicos rei christianae indagatores merito obtinent» [1]. «Sacramenta ortum habuerunt ex eo quod apostoli eorumque successores ideam aliquam et intentionem Christi, suadentibus et moventibus circumstantiis et eventibus, interpretati sunt» [2].

125. THESIS I. **Solus Deus potest esse auctor principalis sacramentorum.**

Arg. Ille solus potest ut auctor principalis sacramenta instituere, qui potest ipsis conferre virtutem causandi gratiam. Sed solus Deus pot-

---

[1] Decreto *Lamentabili*, prop. 39; **Denz-Bannw.**, 2039. Excerpta ex Loisy, *Autour d'un petit livre*, p. 223.

[2] Decreto *Lamentabili*, prop. 40; **Denz-Bannw.**, 2040. Excerpta ex Loisy, *L'Evangile et l'Eglise*, p. 239. S. Officio propositionem damnanti respondit Loisy: «Entendue à la rigueur, comme le Saint-Office l'a comprise, cette assertion est inexacte, car Jésus n'a eu aucune idée ni intention par rapport aux sacrements de l'Église. Mais celle-ci n'en a pas moins organisé son système sacramentaire en partant de certaines données évangéliques, ou de faits traditionnels, baptème de Jean, souvenir de la dernière cène, mission des apôtres». *Simples Reflexions sur le Décret du Saint-Office*, § 40.

est hanc virtutem signis sensibilibus conferre. Ergo solus Deus potest esse auctor principalis sacramentorum.

126. Corollarium I. Sicut solus Deus est causa principalis gratiae in anima, quia ipse solus potest illabi in animam, et tribuere participationem suae naturae homini, ita solus Deus potest principaliter constituere causas instrumentales gratiae, ipsisque conferre virtutem producendi gratiam. Cum enim sacramenta sint causae instrumentales gratiae et characteris, ab eo ut a causa principali instituenda sunt, cujus sunt instrumenta, et a quo recipiunt virtutem.

Corollarium II. *Christus ut Deus est certissime auctor principalis sacramentorum*, quia operationes Christi ut Dei sunt communes Sanctissimae Trinitati. Christus ut Deus habet auctoritatem propriam non delegatam. Unde, sicut potest propria auctoritate gratiam quomodolibet producere, ita pariter, cum sit causa principalis omnium rerum, potest instrumenta gratiae instituere eisque virtutem instrumentariam ad gratiam producendam conferre.

127. THESIS II. **Christus, ut homo, habebat potestatem ministerii principalis seu excellentiae in sacramentis instituendis.**

Arg. Haec potestas ministerii principalis seu excellentiae certe competit Christo, ut homini, tum propter unionem hypostaticam ad Verbi personam, tum propter munus quod gerebat redemptoris generis humani. Christus, ut bene ait ad rem *Angelicus*, secundum quod est homo, «operatur ad interiores effectus sacramentorum meritorie et efficienter, sed instrumentaliter. Dictum est enim q. 48 et 49, quod passio Christi, quae competit ei secundum humanam naturam, causa est nostrae justificationis et meritorie et effective, non quidem per modum principalis agentis, sive per auctoritatem, sed per modum instrumenti, in quantum humanitas est instrumentum divinitatis ejus... Sed tamen, quia est instrumentum conjunctum divinitati in persona, habet quamdam principalitatem et causalitatem respectu instrumentorum extrinsecorum, qui sunt ministri Ecclesiae... Et ideo, sicut Christus, in quantum Deus, habet potestatem auctoritatis in sacramentis, ita in quantum homo habet potestatem *ministerii principalis*, sive potestatem *excellentiae*»[1].

Christus, cum duplicem haberet potestatem, *auctoritatis* scilicet et *excellentiae*, dupliciter influxit in sacramentorum institutionem. Qua Deus potestate usus est auctoritatis, et fuit auctor principalis sacramentorum; qua homo usus est potestate excellentiae, et fuit auctor ministerii principalis in instituendis sacramentis.

128. Corollarium. *Ad potestatem ministerii principalis seu excellentiae* in Christo quatuor spectant:

Primo, quod meritum et virtus passionis Christi operentur in sacramentis. Christus enim per passionem suam contulit sacramentis virtutem sanctificandi.

Secundo, quod in Christi nomine sacramenta sanctificentur.

---

[1] *III p.*, q. 64, a. 3.

Tertio, quod Christus, qui dedit virtutem sacramentis, potuerit instituere sacramenta.

Quarto, quod Christus potuerit effectum sacramentorum sine exteriori sacramento conferre [1].

129. THESIS III. **Christus, Deus-Homo, omnia novae legis sacramenta instituit.** *Est de fide.*

Nota. Juxta dicta Christus, ut Deus, potestate auctoritatis, et ut homo, potestate excellentiae, sacramenta instituit.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* De quibusdam sacramentis certa, de aliis probabilia, exstant circa hoc in sacris litteris testimonia.

De baptismo dicitur: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti* [2].

De eucharistia: *Accepit panem et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim calix meus* [3].

De poenitentia: Christus ait discipulis suis: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* [4].

Ordinem autem instituit Christus, quando dixit apud Lucam: *Hoc facite in meam commemorationem* [5]; et cum dedit apostolis potestatem dimittendi peccata [6].

Matrimonium instituit, cum declaravit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet* [7]; vel cum in Cana Galilaeae adstitit nuptiis cum discipulis suis.

De confirmatione et extrema unctione locus certus non habetur in Scriptura, sed ea sacramenta creduntur instituta fuisse, quando Christus post passionem et resurrectionem suam per dies quadraginta apparens loquebatur cum discipulis de regno Dei [8]. «Non ergo ii dies, dilectissimi, ait *S. Leo*, qui inter resurrectionem Domini ascensionemque fluxerunt, otioso transiere decursu; sed magna in his confirmata sacramenta, magna sunt revelata mysteria» [9].

Arg. 2) *Ex concilio tridentino.* Solemnem de hac re definitionem ediderunt Patres concilii tridentini dicentes: *Si quis dixerit sacramenta novae legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut*

---

1 *III p.*, q. 64, a. 3.
2 *Matth.*, 28, 18 sq.
3 *Matth.*, 26, 26 sqq.
4 *Joan.*, 20, 21 sqq.
5 *Luc.*, 22, 19.
6 *Joan.*, 20, 21 sqq.
7 *Matth.*, 19, 6.
8 *Act.*, 1, 3.
9 *Serm. de Ascensione Domini*, c. 2; ML **54**, 395.

esse plura vel pauciora quam septem... aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum, a. s. [1].

3) *Ex SS. Patribus. S. Ambrosius:* «Auctor sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? De caelo ista sacramenta venerunt» [2].

4) *Ex ratione.* 1) Sacramenta novae legis, cum habeant virtutem instrumentariam producendi gratiam, ab eo fuerunt instituenda, a quo confertur nobis gratia. Sed Christus, Deus-Homo, confert nobis gratiam. Ergo.

2) Cum fides et sacramenta pertineant ad substantiam Ecclesiae, oportuit, ut ipse, qui fundavit Ecclesiam, traderet fidem et institueret sacramenta. Sed Christus fundavit Ecclesiam. Ergo. «Apostoli et eorum successores, ait *Angelicus*, sunt vicarii Dei quantum ad regimen Ecclesiae constitutae per fidem et fidei sacramenta. Unde, sicut non licet eis constituere aliam Ecclesiam, ita non licet eis tradere aliam fidem, neque instituere alia sacramenta. Sed per sacramenta, quae de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt, dicitur esse fabricata Ecclesia Christi» [3].

130. Thesis IV. **Potestas auctoritatis, quam Christus habuit ut Deus ad sacramenta instituenda, non potuit communicari puro homini, bene tamen potestas excellentiae.**

Nota. 1) Primam hujus theseos partem omnes, ut decet, unanimi consensu admittunt auctores.

2) Alteram partem disputant theologi. Aliqui negant potestatem excellentiae, quam Christus habuit in sacramentis instituendis, potuisse homini puro communicari. Ita *Durandus, Biel* et *Vazquez* [4]. Alii vero multo communius cum S. Augustino [5] affirmant [6].

Pars 1.[a]

Potestas auctoritatis in Christo est ipsa deitas. Deitas autem nequit creaturae communicari. Ergo. Unde *S. Thomas* ait: «Talis potestas nulli creaturae potuit communicari, sicut nec divina essentia» [7].

Pars 2.[a]

S. Augustinus haec habet: «Potuit autem Dominus Jesus Christus, si vellet, dare potestatem alicui servo suo, ut daret baptismum suum tanquam vice sua, et transferre a se baptizandi potestatem, et constituere in aliquo servo suo; et tantam vim dare baptismo translato in servum, quantam vim haberet baptismus datus a Domino. Hoc noluit ideo, ut in illo spes esset baptizatorum, a quo se baptizatos agnoscerent... Si enim daret hanc potestatem servis, id est, ut ipsorum esset, quod Domini erat, tot essent baptismi, quot essent servi» [8].

---

[1] *Sess. 7, De sacramentis in genere*, can. 1; **Denz-Bannw.,** 844.

[2] *De sacramentis*, lib. 4, c. 4, n. 13; ML **16,** 458.

[3] *III p.*, q. 64, a. 2 ad 3.

[4] **Durandus,** *In IV Sent.*, dist. 2, q. 1, n. 4; **Biel,** *In IV Sent.*, dist. 1, q. 2, a. 3; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 135, c. 2.

[5] *In Joannem*, tr. 5, n. 7; ML **35,** 1417.

[6] Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 64, a. 4; et **Hugon,** *De sacramentis in communi*, q. 4, a. 1, § VII.

[7] *III p.*, q. 64, a. 4.

[8] *In Joannem*, tr. 5, n. 7; ML **35,** 1417.

2) Ratio idem ostendit. Potestas enim excellentiae in instituendis sacramentis est facultas eligendi ac designandi signa sensibilia, quae significent et instrumentaliter conferant gratiam, quam Deus principaliter causat. Sed potuit Christus puro homini conferre facultatem eligendi ac designandi signa sensibilia, quae significent, et instrumentaliter conferant gratiam, quam ipse Deus principaliter causat. Ergo. «Talem potestatem, inquit *Angelicus*, potuit (Christus) ministris communicare, dando scilicet eis tantam gratiae plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectus, ut ad invocationem nominum sanctificarentur sacramenta, et ut ipsi possent sacramenta instituere, et sine ritu sacramentorum effectum sacramentorum conferre solo imperio. Potest enim instrumentum conjunctum, quando fuerit fortius, tanto magis virtutem suam instrumento separato tribuere, sicut manus baculo» [1].

In hoc tamen casu potestas excellentiae reciperetur in homine puro imperfectius quam in Christo, quia Christus ut homo est instrumentum conjunctum, et homo esset instrumentum separatum.

ARTICULUS II

UTRUM CHRISTUS IMMEDIATE INSTITUERIT OMNIA NOVAE LEGIS SACRAMENTA

131. Placita theologorum. Veteres quidam scholastici dixerunt Christum non immediate instituisse omnia novae legis sacramenta.

1) *Confirmationem* non immediate a Christo sed a Patribus in concilio meldensi sub instinctu Spiritus Sancti «quantum ad formam verborum et materiam elementarem» immediate institutam fuisse docet *Alensis* [2], et non a Christo immediate sed a Spiritu Sancto fuisse institutam adserit *S. Bonaventura* [3].

2) *S. Bonaventura* defendit poenitentiam quoad facultatem absolvendi fuisse a Christo immediate institutam, sed quoad confessionem seu detectionem peccati fuisse a Christo insinuatam, et ab apostolis auctoritate sibi a Domino tradita institutam [4].

3) *Extremam-unctionem* non a Christo immediate sed a Spiritu Sancto per apostolos fuisse institutam docuerunt *Hugo Victorinus*, *Petrus Lombardus*, *Alensis* et *S. Bonaventura* [5].

---

[1] *III p.*, q. 64, a. 4.

[2] *IV p.*, q. 9, membro 1. Merito animadvertunt hic auctores Alensem deceptum fuisse, quia in Concilio meldensi, quod celebratum est anno 845, nihil actum fuit circa institutionem confirmationis. Cfr. **Mansi,** *Coll. Conc.*, 14, 815 sqq.

[3] *In IV Sent.*, dist. 7, a. 1, q. 1. Doctor Seraphicus, quod auctoritate fortasse Magistri sui Alensis fretus minus correcte in commentariis ad libros Sententiarum scripsit, postea in Breviloquio (p. VI, c. 4) temperavit, vel, si mavis, correxit.

[4] *In IV Sent.*, dist. 17, p. 2, a. 1, q. 3. Recentes editores operum S. Bonaventurae hoc loco contendunt confessionem in insinuatione Christi satis fuisse institutam.

[5] **Hugo Victorinus,** *De sacramentis*, lib. 2, p. 15, c. 2; ML **176,** 577; **Petrus Lombardus,** *IV Sent.*, dist. 23, n. 2; **Alensis,** *IV p.*, q. 5, m. 2, a. 1; **S. Bonaventura,** *In IV Sent.*, dist. 23, a. 1, q. 2.

132. THESIS. **Christus, Deus-Homo, immediate instituit omnia novae legis sacramenta.** *Est hodie communis et theologice certa.*

Arg. 1) *Ex concilio tridentino.* Concilium expresse declaravit sacramenta novae legis fuisse omnia a Christo Domino instituta [1]. Sed instituere obvie significat immediatam actionem, ut grammatici facile concedunt. Ergo.

Idem concilium docet Ecclesiam posse «in sacramentorum dispensatione, *salva illorum substantia*, ea statuere vel mutare, quae suscipientium utilitati seu ipsorum sacramentorum venerationi... magis expedire» judicaverit [2].

2) *Ex SS. Patribus.* *S. Augustinus* diserte adserit Christum Dominum noluisse communicare alteri potestatem excellentiae in instituendis sacramentis [3]. Et *S. Thomas* ait: «Christus noluit potestatem suae excellentiae ministris communicare. Si tamen communicasset, ipse esset caput principaliter, alii vero secundario» [4].

3) *Ex ratione.* Oportuit, ut Christus, qui immediate Ecclesiam instituit, ea pariter institueret, quae ad substantiam Ecclesiae pertinebant. Sed sacramenta, quae sunt media ad salutem fidelium necessaria, ad substantiam Ecclesiae pertinent. Ergo.

QUAESTIO VII

DE MINISTRO SACRAMENTORUM

ARTICULUS I

QUIS SIT MINISTER ORDINARIUS SACRAMENTORUM

133. Status quaestionis. 1) Dominus noster Jesus Christus, qui Ecclesiam immediate fundavit, per se ipsum instituit et Ecclesiae tradidit sacramenta, ut recte administrarentur et a fidelibus reciperentur. Ad hoc necessarii erant ministri, qui sacramenta conficerent et fidelibus dispensarent.

2) Porro duplex est sacramentorum minister, unus *primarius*, alter *secundarius*.

Minister *primarius* est ille, qui sacramenta instituit et contulit eis virtutem producendi gratiam, Dominus Jesus, cujus nomine gerimus nos ministerium. Quoties enim minister conficit sacramenta, Christus invisibiliter ea dispensat. Unde *S. Ambrosius* ajebat: «Nostra enim servitia, sed tua sunt sacramenta» [5]. Minister *secundarius* est, qui nomine Christi et deputatione Ecclesiae sacramenta conficit ac dispensat.

---

1 *Sess.* 7, can. 1; **Denz-Bannw.,** 844.
2 *Sess.* 21, c. 2; **Denz-Bannw.,** 931.
3 *In Joannem,* tr. 5, n. 7; ML **35,** 1417.
4 *III p.,* q. 64, a. 4 ad 3.
5 *De Spiritu Sancto,* Prol., 18; ML **16,** 737.

3) Supremam potestatem ministerialem ad conficienda et dispensanda sacramenta contulit Christus Ecclesiae, et virtute hujus potestatis valet Ecclesia in sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, ea statuere vel mutare, quae suscipientium utilitati seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire judicaverit [1]. Quare Apostolus ajebat: *Sic nos exsistimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* [2].

Sub hac ratione Ecclesiae competit:

a) *Infallibiliter declarare ac definire, quae ad validam et licitam sacramentorum administrationem spectant.* Sic tractu temporis declaravit materiam et formam quorumdam sacramentorum, ac designavit dispositiones, quibus oportet conficere vel recipere sacramenta.

b) *Promovere homines ad statum competentem, ut sint idonei ministri sacramentorum, atque inter competentes designare ministros ad singula sacramenta.* Ecclesia siquidem hierarchice constituta accurate sibi praestitit, qua ead ordinationem ministrorum requirebantur.

4) Minister secundarius potest esse *ordinarius* vel *extraordinarius*, et hoc dupliciter:

Minister *ordinarius* uno modo dicitur, qui ex lege Dei ordinaria seu secundum praesentem Dei providentiam potest sacramenta conficere, ut homo viator; et *extraordinarius*, qui non in praesenti providentia, sed in alia providentia et per potentiam Dei extraordinariam potest conficere sacramenta, ut angeli.

Alio modo dicitur *ordinarius*, qui intra legem ordinariam ex officio consecratus seu deputatus est ad sacramenta conficienda; et *extraordinarius*, qui non ex officio et speciali consecratione, sed ex necessitate vel speciali commissione conficit sacramenta, ut laicus in necessitate baptizat.

134. Error. Lutherus impiissime dixit ministros ordinarios sacramentorum esse tum homines, tum angelos, tum etiam daemones [3].

135. THESIS I. **Minister sacramentorum ordinarius in praesenti Dei providentia est homo viator.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Missio conficiendi et dispensandi sacramenta concredita est a Christo in sacra Scriptura hominibus tantum viatoribus. Ipsis quippe, non angelis neque hominibus beatis, dictum est: *Docete omnes gentes, baptizantes eos* [4]. *Hoc facite in meam commemorationem* [5]. Et de hominibus viatoribus ait Apostolus: *Omnis namque pontifex ex hominibus adsumptus pro hominibus constituitur in his, quae sunt ad Deum* [6].

2) *Ex SS. Patribus.* *S. Joannes Chrysostomus* ait: «Qui terram in-

---

1 *Concilium trid.*, sess. 21, c. 2; **Denz-Bannw.**, 931.
2 *I Cor.*, 4, 1.
3 *De abroganda missa privata*, circa finem.
4 *Matth.*, 28, 19.
5 *Luc.*, 22, 19.
6 *Hebr.*, 5, 1.

colunt in eaque commorantur ad ea, quae in caelis sunt, dispensanda. commissi sunt, potestatemque acceperunt, quam neque angelis, neque archangelis dedit Deus» [1].

3) *Ex ratione.* 1) «Tota virtus sacramentorum, ut bene ait *S. Thomas*, a passione Christi derivatur, quae est Christi secundum quod est homo; cui in natura conformantur homines, non autem angeli... Et ideo ad homines pertinet dispensare sacramenta et in eis ministrare, non autem ad angelos» [2].

2) Sacramenta instituta sunt pro sola Ecclesia militante, et oportuit, ut ministri ordinarii eorum adsumerentur ab ipsa Ecclesia militante.

Scholion I. Disputatur inter theologos, an sacerdotes beati, si miraculose resurgant, possint absque nova commissione esse ministros ordinarios sacramentorum.

Difficile quibusdam visum est, sacerdotes beatos, quamvis miraculose resurgant, esse ministros ordinarios sacramentorum; quia beati in caelo sunt sicut angeli Dei, et quia oportet ministros ordinarios sacramenrotum esse membra Ecclesiae militantis.

Nihilominus alii multo probabilius censent sacerdotes beatos, si a mortuis resurgant, inter ministros ordinarios sacramentorum computandos esse; quia 1) ut bene ait *Angelicus*, «sancti, qui sunt in caelo, sunt similes angelis quantum ad participationem gloriae, non autem quantum ad conditionem naturae; et per consequens neque quantum ad sacramenta» [3]; et 2) sacerdos sic resurgens haberet characterem ac potestatem ad sacramenta facienda, imo transeunter pertineret ad Ecclesiam militantem. Hinc hujusmodi sacerdos posset non solum valide baptizare, sed etiam missas celebrare, poenitentes cum licentia Epicopi absolvere, et alia ministeria peragere.

Scholion II. Angeli possunt in alia Dei providentia esse ministri extraordinarii sacramentorum. Sicut enim Deus sine sacramentis posset effectum sacramentorum producere, ita pariter posset angelis tribuere virtutem conficiendi sacramenta. Imo *S. Thomas* ait ad rem: «Si (angelus) baptizaret, non esset rebaptizandus (puer), dummodo constaret, quod bonus angelus esset» [4]; quia in hoc casu censendus esset hoc fecisse per insolitam Dei commissionem [5].

136. THESIS II. **Exceptis baptismo et matrimonio, non quilibet homo viator nec omnis christianus, sed ille, qui est ab Ecclesia ex officio per ordinationem deputatus, est verus sacramentorum minister.** *Est de fide.*

Nota. 1) *Lutherus* docet «omnes nos aequaliter esse sacerdotes, hoc est, eamdem in verbo et sacramento quocumque habere potestatem; verum

---

[1] *De sacerdotio*, lib. 3, n. 5; MG **48,** 643.
[2] **S. Thomas,** *III p.*, q. 64, a. 7.
[3] *III p.*, q. 64, a. 7 ad 2.
[4] *In IV Sent.*, dist. 5, q. 2, a. 3, quaest. 2.
[5] Nonnulli casus referuntur, in quibus angeli dicuntur sacramenta confecisse. Ita **Nicephorus Calisti,** *Hist. eccl.*, lib. 11, c. 20; MG **146,** 630, refert S. Amphilochium ab angelis in deserto fuisse consecratum episcopum, et caeteros episcopos, ubi id resciverunt, consecrationem ratam habuisse.

non licere quemquam hac ipsa uti, nisi consensu communitatis aut vocationis majoris» [1].

2) Dixi «verus minister», ut innuerem hic agi de ministro, qui valide conficit sacramenta.

Arg. 1) Concilium tridentinum solemnem definitionem edidit his verbis: *Si quis dixerit christianos omnes in verbo et in omnibus sacramentis administrandis habere potestatem, a. s.* [2].

2) *Traditio universalis* semper docuit sacramenta, exceptis baptismo et matrimonio, a nemine posse in Ecclesia confici, nisi a sacerdotibus legitime ordinatis ac deputatis.

3) Ratio congruentiae hoc suadet, quia oportuit, ut in Ecclesia, societate perfecta, aliqui per specialem consecrationem constituerentur ministri publici, ac deputarentur ad sacramenta conficienda atque dispensanda.

ARTICULUS II

AN ET QUAE INTENTIO REQUIRATUR IN MINISTRO AD VALIDE CONFICIENDA SACRAMENTA

137. Status quaestionis. Intentio, quoad praesens attinet, definiri potest: *Deliberata voluntas conficiendi sacramenta.*

2) Potest esse *externa* vel *interna*. Intentio externa est deliberata voluntas serio faciendi ritum externum cum legitima applicatione materiae et formae, nihil ulterius intendendo, imo interius jocari vel ludere interdum volendo; ut qui aquam infantulo infunderet sub consueta verborum prolatione, quin voluntate aliquid vellet agere nisi caeremoniam externam, aut nollet positive facere quod facit Ecclesia.

Intentio interna est deliberata voluntas faciendi non solum ritum externum, sed etiam ritum sacrum, vel saltem id quod significat ritus externus seu id quod facit vera Christi Ecclesia.

3) Intentio interna potest esse *actualis*, *virtualis*, *habitualis* et *interpretativa*.

Intentio *actualis* est, qua quis hic et nunc, dum actionem externam ponit, actu signato vel exercito vult facere saltem id, quod facit Ecclesia.

Virtualis est, qua quis vi intentionis actualis habitae et non retractatae, sed mediis ad finem conducentibus conservatae, sacramentum facit, quamvis actu distractus sit vel nihil de eo cogitet. Est ipsa intentio actualis praeterita, non formaliter sed virtute perseverans, et influens in valorem actus. Ut si parochus cum intentione actuali baptizandi puerum accingit se, incipit caeremoniam, et inter peragendum ad alia distractus et nihil de baptismo aut de verborum sensu cogitans, adhibet materiam et formam, virtualem intentionem habet, quia omnia agit vi intentionis praeteritae.

Habitualis est, quae habita fuit et expresse saltem non retractata, sed non perseverat actu vel virtute mediis conducentibus ad finem, ne-

---

[1] *De captivitate babylonica Ecclesiae*, «De ordine», § «Esto itaque».

[2] *Sess.* 7, can. 10; **Denz-Bannw.**, 853.

que influit in actum, ut dicatur actus humanus. Sic sacerdos, qui fecit intentionem celebrandi missam crastina die, si sub nocte dormiens surgat et celebret missam, habet intentionem habitualem.

Cave, ne hanc intentionem habitualem confundas cum propensione seu proclivitate, quae ex habito contracto remanet in aliquibus, repetendi eosdem actus, ut saepe contingit in recidivis.

Interpretativa dicitur, quae nunquam habita fuit nec adest, sed haberetur, si de re agenda cogitaretur. Est potius animi dispositio, qua, si quis in rem adverteret, illam vellet facere.

4) Intentio interna potest esse pariter *absoluta* vel *conditionata*. Absoluta est, qua aliquid sine ulla conditione facere volumus; ut cum dico: «Volo celebrare missam». *Conditionata*, qua aliquid sub conditione facere intendimus; ut cum dico: «Si non es baptizatus, ego te baptizo».

5) Intentio denique potest esse *explicita* vel *implicita*. Explicita est, qua quis vult facere sacramentum productivum gratiae, prout est ritus sacer a Christo institutus, ut si quis dicat: «Volo celebrare missam et conficere corpus et sanguinem Domini Jesu Christi». Implicita est qua quis vult facere aliquid in quo includitur confectio sacramenti a Christo instituti, ut si quis infantem baptizaturus dicat: «Volo in hoc facere quod facit Ecclesia»; cum enim Ecclesia in baptizando faciat sacramentum, qui intendit facere, quod facit Ecclesia, implicite vult facere sacramentum.

138. Thesis I. **Ad validitatem sacramenti requiritur in ministro aliqua vera intentio saltem implicita, id est, intentio saltem faciendi, quod facit Ecclesia.**

Nota. *Lutherus* [1] et cum eo plures deinde protestantes docuerunt intentionem non esse necessariam in ministro ad validitatem sacramentorum.

Arg. 1) *Concilium florentinum* expresse declaravit sacramenta tribus perfici, «videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum *cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia*» [2].

2) *Concilium tridentinum* edidit canonem his verbis: *Si quis dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, a. s.* [3].

3) Christus Dominus, cum dixit discipulis: *Docete omnes gentes, baptizantes eos: Hoc facite in meam commemorationem: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, etc., deputavit eos eorumque successores ministros sacramentorum, virtuteque instrumentali eos auxit, ut active sacramenta conficerent. Non enim eos ut instrumenta passiva vel ministros jocosos ad ministerium misit, sed ut serio et determinata voluntate sacra peragerent. Ad hoc autem necessaria est aliqua vera intentio.

---

[1] *De captivitate babyl. Ecclesiae*, «De baptismo», § «Hanc sententiam».

[2] *Decret. pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 695.

[3] *Sess.* 7, can. 11; **Denz-Bannw.,** 854. Leo X, Bulla «Exurge Domine», 15 Junii 1520, merito damnavit Lutheri propositionem 12: «Si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus». **Denz-Bannw.,** 752.

4) Ad valide conficienda sacramenta requiritur ea animi dispositio, qua quis se exhibeat ministrum Christi, ut nos exsistimet homo *ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* [1]. Homo autem se exhibet ministrum Christi et personam ejus induit, cum deliberato proposito saltem implicito vices gerit Christi.

139. Scholion. *Quid significet intentio faciendi, quod facit Ecclesia.* Formula «Intentio faciendi, quod facit Ecclesia» videtur esse primo usurpata ab Altissiodorensi († 1230), et deinde fuit in scholis catholicis recepta.

Ad ejus intelligentiam notandum est in sacramentorum confectione non esse necessariam intentionem *explicitam*, qua minister intendat formaliter facere sacramentum seu ritum sacrum a Christo ad producendam gratiam sacramentalem institutum; sed sufficere intentionem *implicitam*, qua minister intendat aliquid, in quo includatur intentio faciendi sacramentum, id est, qua velit facere, quod facit vera Christi Ecclesia, praescindendo, quae illa sit.

Unde, quamquam sufficiat et exoptanda sit intentio explicita, qua quis velit facere ipsum sacramentum ut sacrum in Ecclesia et a Christo institutum, tamen haec non est necessaria, et possunt aliqui intendere atque aliquando facilius intendunt in genere id, quod facit vera Christi Ecclesia. Ad rem *S. Thomas:* «Quamvis ille, qui non credit baptismum esse sacramentum aut habere aliquam spiritualem virtutem, non intendat, dum baptizat, conferre sacramentum, tamen intendit facere quandoque *quod facit Ecclesia*, etsi illud reputet nihil esse, et quia Ecclesia aliquid facit, ideo ex consequenti et implicite intendit aliquid facere, quamvis non explicite» [2]. Qui enim vult facere quod facit Ecclesia, implicite vult facere sacramentum.

Consequenter non est necessarium, ut minister velit facere id, quod facit *Ecclesia romana*, quia hic tangitur resolutio quaestionis de determinanda vera Christi Ecclesia.

Neque necessarium est velle facere quod *intendit* Ecclesia, quia Ecclesia in sacramentorum administratione non solum intendit facere verum sacramentum, sed etiam conferre gratiam. Ministro autem sufficit intendere saltem implicite facere sacramentum.

140. THESIS II. **Intentio tantum externa, quam descripsimus supra, non sufficit in ministro ad valorem sacramenti.**

Nota. Aliqui theologi defenderunt intentionem tantum externam sufficere in ministro ad valorem sacramenti. Mentem horum theologorum expressit *Contenson* his verbis: «Ad valorem sacramenti sufficere intentionem serio peragendi externi ritus, qui christianis religiosus est, eaque stante nulla ministri intentionis retentione, vel perversitate sacramentum irritari, incunctanter adserendum est» [3]. Hanc sententiam nonnulli, aliis reclamantibus, tribuunt Petro Lombardo, Petro Paludano, Aureolo et aliis [4]; cer-

---

[1] *I Cor.*, 4, 1.

[2] *In IV Sent.*, dist. 6, q. 1, a. 3, sol. 2 ad 1.

[3] Lib. 11, p. 1, diss. 3, append.

[4] **Petrus Lomb.,** *In IV Sent.*, dist. 37, n. 3; **Petrus Paludanus,** *In IV Sent.*, dist. 6, q. 2; **Aureolus,** *In IV Sent.*, dist. 5, q. 1, a. 1.

tissime autem defendunt *Catharinus, Salmeron, Contenson, Druvenius,* et alii [1].

Doctrinam tamen in thesi expositam generatim hodie defendunt theologi. Conferri possunt *Salmanticenses, Gotti, Billuart, Franzelin, Katschthaler,* et alii [2].

Arg. 1) *Concilium florentinum* exigit, ad validam confectionem sacramentorum, ministrum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia [3]. Sed qui materiam tantum et formam rite adhibet nolens interno actu conficere sacramentum, non habet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, quia Ecclesia in administratione sacramentorum non solum adhibet materiam et formam, sed aliquid aliud facit. Ergo.

2) *Concilium tridentinum* declarat absolutionem esse invalidam, «si sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit» [4].

3) *Alexander VIII* damnavit sequentem propositionem: «Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum *externum* formamque baptizandi observat; *intus* vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo, quod facit Ecclesia» [5].

4) *S. Thomas* haec habet: «Si non sit debita forma verborum, et si non sit debita materia, et si minister sacramenti non intendit sacramentum conficere, non perficitur sacramentum» [6]. «Requiritur ministri intentio, qua se subjiciat principali agenti, ut scilicet intendat facere, quod facit Christus et Ecclesia» [7].

5) *Ratio id suadet,* quia minister sacramentorum non est instrumentum mere passivum, sed est omnino conscium ac liberum. Actus autem instrumenti liberi non sunt validi, nisi liberi sint et proter finem exerciti.

Argumenta in contrarium, quae adversarii congerunt, vide clare exposita et feliciter soluta apud Billuart et Franzelin [8].

141. THESIS III. **Intentio interpretativa et habitualis non sufficiunt in ministro ad validitatem sacramentorum.**

De intentione interpretativa.

Arg. Intentio interpretativa revera nihil est, sed tantum supponit in ministro fore intentionem faciendi quidpiam, si de eo cogitaret. Sed concilia requirunt, ut diximus, veram intentionem, id est, actum voluntatis, ad valorem sacramentorum. Ergo.

---

[1] **Catharinus,** *De necessaria intentione in perficiendis sacramentis,* Roma 1552, **Salmeron,** *In Ep. S. Pauli,* lib. 3, disp. 2; **Contenson,** lib. 11, p. 1, diss. 3, app.; **Druvenius,** *De sacr. in gen.,* q. 7, c. 3.

[2] **Salm.,** *De sacr. in com.,* disp. 7, n. 19 sqq.; **Gotti,** *De sacr. in generali,* q. 7. dub. 4; **Billuart,** *De sacr. in comm.,* diss. 5, a. 7; **Franzelin,** *De sacr. in gen.,* th. 17; **Katschthaler,** *De sacr. in comm.,* n. 131 sqq.

[3] *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 695.

[4] *Sess.* 14, c. 6; **Denz-Bannw.,** 902.

[5] Prop. 28 damnata a S. Off., 7 Dec. 1690; **Denz-Bannw.,** 1318.

[6] Opusculo 4, § «Est autem considerandum».

[7] *III p.,* q. 64, a. 8 ad 1.

[8] **Billuart,** *De sacramentis in communi,* diss. 5, a. 7; **Franzelin,** *De sacramentis in genere,* th. 17.

De intentione habituali.

Arg. Cum minister sacramentorum sit instrumentum vivum, et habeat potestatem ministerialem, oportet, ut ipse in sacramentis conficiendis, se exhibeat ministrum Christi. Ministrum autem Christi se exhibet homo, cum se subordinat Christo per intentionem, et cum vi hujus intentionis operatur. Minister vero, qui habet tantummodo intentionem habitualem, non operatur vi intentionis habitae, quia intentio habitualis non influit in actum. Ergo.

Veteres theologi aliquando dixerunt intentionem habitualem sufficere pro sacramentis conficiendis, sed animadvertendum est antiquos theologos intentionem habitualem non semel pro virtuali accepisse [1]. Sic *S. Thomas*, III p., q. 64, a. 8 ad 3, intentionem virtualem vocat habitualem, de quo videndi sunt *Salmanticenses* [2].

142. THESIS IV. **Ad valorem sacramenti requiritur et sufficit in ministro intentio virtualis saltem faciendi, quod facit Ecclesia.**

Arg. 1) *S. Thomas:* «Quamvis studiose curare debeat sacramenti minister, ut etiam actualem intentionem adhibeat, sed hoc non est totaliter positum in hominis potestate, quia praeter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare, secundum illud psalmi 39, 13: *Cor meum dereliquit me*» [3].

2) In sacramentis conficiendis ea requiritur et sufficit intentio in ministro, quae facit administrationem sacramentorum esse actionem humanam, a ministro ministerialiter nomine Christi peractam. Sed intentio virtualis in ministro facit administrationem sacramentorum esse actionem humanam, a ministro ministerialiter nomine Christi peractam, quia intentio virtualis influxu suo determinat et ordinat ea, quae in sacramentis aguntur, ad finem sacramentorum, et facit, ut minister se exhibeat ministrum Christi. Ergo. Minister itaque habens intentionem virtualem, etsi momentanee distractus, vere conficit sacramentum, quia, ut dicit *Suarez*, «actio ejus simpliciter est humana et libera, et procedit a priori intentione» [4].

Corollarium. Intentio actualis, quamvis sollicite sit curanda, non est necessaria in ministro ad valorem sacramentorum, tum quia, attenta hominum fragilitate, est quandoque impossibilis, tum quia non est requirendus major influxus intentionis quam influxus virtualis.

143. THESIS V. **Intentio conditionata de praeterito vel de praesenti sufficit ad valorem sacramenti, non intentio conditionata de futuro.**

Explicatio. Intentio ponitur aliquando sub conditione de praeterito, ut: *Volo te baptizare, si non fuisti baptizatus;* quandoque sub conditione

---

[1] Cfr. **Raphael a S. Joseph,** *De actibus humanis*, n. 57; et **Katschthaler,** *De sacramentis in communi*, n. 117 in nota.

[2] *De sacramentis in communi*, disp. 7, n. 41.

[3] *III p.*, q. 64, a. 8 ad 3.

[4] *De sacramentis*, disp. 13, sect. 3, n. 2.

de praesenti, ut: *Volo te absolvere, si vere es dispositus;* interdum sub conditione de futuro, ut: *Volo te absolvere, si cras restituas debitum.*

Quando apponitur conditio de praeterito vel de praesenti, supposito quod verificetur, intentio ministri in actu sacramentali fit absoluta, et validum est sacramentum. At, ubi apponitur conditio de futuro, cum haec non possit verificari nisi in tempore futuro, intentio ministri non fit absoluta sed dependet a conditione ponenda, ac deficit in actu absolutionis, ac proinde nullum est sacramentum.

144. THESIS VI. **Ad valorem sacramentorum non requiritur in ministro intentio conferendi gratiam vel characterem.**

Arg. Juxta concilium florentinum et tridentinum locis saepe citatis requiritur et sufficit in ministro sacramentorum intentio faciendi, quod facit Ecclesia. Ecclesia autem non facit gratiam et characterem, sed sacramentum, ut suos effectus producat.

ARTICULUS III

UTRUM AD VALOREM SACRAMENTORUM REQUIRATUR FIDES IN MINISTRO

145. Status quaestionis. Titulus patet. Solummodo animadvertendum est nos hic agere de valida administratione sacramentorum, de licita confectione inferius acturi.

146. Errores. 1) Primus, qui negasse videtur baptismum ab haereticis collatum fuisse validum, fuit *Tertullianus* [1], a quo fortasse hanc opinionem deinde africani receperunt.

2) *Agrippinus*, episcopus carthaginensis, vivente adhuc, ut videtur, Tertulliano, circa a. 220 cum plurimis episcopis Africae, et *Firmilianus*, episcopus Caesareensis in Cappadocia, cum multis episcopis Asiae minoris declaraverunt baptismum ab haereticis et schismaticis collatum esse invalidum, et haereticos seu schismaticos sic baptizatos, quando ad Ecclesiam catholicam redeunt, rebaptizandos esse [2].

3) Paulo post *S. Cyprianus*, Agrippini in sede carthaginensi successor, controversiam hac de re suscitavit, et Agrippini doctrinam strenue defendit. Imo, celebratis Carthagine duabus synodis annis 255 et 256, ipse et adstantes 71 episcopi statuerunt «unum baptisma esse, quod sit in Ecclesia catholica constitutum, ac per hoc non rebaptizari, sed baptizari a nobis, quicumque ab adultera et profana aqua veniunt abluendi et sanctificandi salutaris aquae veritate» [3].

4) Eumdem errorem donatistae saeculo IV acriter defenderunt [4].

147. Doctrina Ecclesiae. S. Stephanus I papa huic theoriae restitit, et rescripsit illum canonem: «Si qui ergo a quacumque haeresi venient ad vos, nihil innovetur, nisi, quod traditum est, ut manus illis imponatur ad poenitentiam» [5].

---

[1] *De baptismo*, 15; ML **1,** 1325.
[2] Cfr. **S. Cyprianus,** ep. 71, n. 4; ML **4,** 421.
[3] **S. Cyprianus,** ep. 73, n. 1; ML **3,** 1155.
[4] Cfr. concilium arelatense, can. 8; **Denz Bannw.,** 53.
[5] **Denz-Bannw.,** 46.

Haec doctrina S. Stephani tandem praevaluit, et hodie quoad baptismum definita est in pluribus conciliis.

148. THESIS. **Ad valorem sacramentorum non requiritur fides in ministro. Quoad baptismum est de fide, quoad alia sacramenta proxima fidei.**

Arg. 1) *Ex conciliis.* Concilium arelatense I (a. 314) [1], et concilium nicaenum I (a. 325) [2], hoc diserte docuerunt.

Concilium florentinum ait: «Etiam paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae, et facere intendat, quod facit Ecclesia» [3].

Concilium tridentinum statuit: *Si quis dixerit baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum sacramentum, a. s.* [4].

2) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus* profundissime de hoc disseruit et nostram doctrinam firmavit dicens: «Nondum erat diligenter illa baptismi quaestio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia, in ipsis quoque schismaticis et haereticis corrigere, quod pravum est, *non iterare quod datum est*... quam consuetudinem credo *ex apostolica traditione venientem*, sicut multa, quae non inveniuntur in litteris eorum, neque in conciliis posteriorum, et tamen, quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita et commendata creduntur» [5].

3) *Ex auctoritate Ecclesiae.* S. Stephanus, ut litem contra S. Cyprianum dirimeret, provocavit ad veterem consuetudinem et constantem Ecclesiae praxim. Imo *S. Cyprianus* refert quosdam de collegis suis noluisse rebaptizare eos, qui ab haereticis baptizati erant dicentes «se in hoc veterem consuetudinem sequi» [6]; et ipse non negat hanc consuetudinem viguisse, cum ait: «Non est autem de consuetudine praescribendum, sed ratione vincendum» [7].

Haec consuetudo 1) primo et secundo saeculo certe in Ecclesia viguit; 2) ineunte saeculo tertio a quibusdam in Africa et Asia minori episcopis coepit interrumpi; 3) labente saeculo tertio et deinceps omnino firmata est, et veritas catholica explicite tradita [8].

4) *Ex ratione.* Veritatem catholicam ratio suadet. Minister enim in sacramentis conficiendis est instrumentum vivum Christi, et agit virtute Christi, adeo ut perfectiones personales ministri nihil influant in valorem sacramentorum. Sed fides est virtus ac perfectio personalis ministri. Ergo ad valorem sacramentorum non requiritur fides ministri.

---

1 Can. 8; **Denz-Bannw.,** 53.
2 Can. 8 et 19; **Denz-Bannw.,** 55-56.
3 *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 696.
4 *Sess. 7,* can. *De baptismo;* **Denz-Bannw.,** 860.
5 *De baptismo,* lib. 2, c. 7, n. 12 sqq.; ML **43,** 133.
6 *Ep.* 71, n. 2; ML **4,** 422.
7 *Ep.* 71, n. 3; ML **4,** 423.
8 Cfr. **Van Noort,** *De sacramentis,* n. 126 sqq. **Vincentius Lirinensis** rebaptizantium doctrinam damnavit his verbis: «Agrippinus, carthaginensis episcopus, primus omnium mortalium, contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiae regulam, contra sensum omnium sacerdotum, contra morem ac instituta majorum rebaptizandum esse censebat». *Commonit.,* c. 6; ML **50,** 645.

ARTICULUS IV

UTRUM AD VALOREM SACRAMENTORUM REQUIRATUR PROBITAS VITAE IN MINISTRO

149. Status quaestionis. Probitas vitae consistit in statu gratiae, et quaeritur, an necesse sit, ut minister sit in statu gratiae ad valide conficienda sacramenta.

Error. Donastistae saeculo IV [1], Albigenses saeculo XII [2]; Waldenses saeculo XIII [3] et Wiclefitae saeculo XIV [4], defenderunt sacramenta, praesertim ordinem, a ministris peccatoribus collata esse invalida.

150. THESIS. **Ministri peccatores possunt valide conficere sacramenta.** *Est de fide.*

Arg. 1) *Ex concilio tridentino.* Concilii Patres hoc satuerunt: *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali exsistentem, modo omnia essentialia, quae ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum, a. s.* [5].

2) *Ex S. Augustino:* Adserit S. Doctor «potestatem (baptismi) in neminem transituram, ministerium et in bonos et in malos. Non exhorreat columba ministerium malorum, respiciat Domini potestatem. Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus?» [6].

3) *Ex auctoritate et ratione S. Thomae.* «De bonitate et malitia alterius hominis, ait *S. Thomas*, homo judicare non potest; hoc solius Dei est, qui occulta cordis rimatur. Si igitur malitia ministri impedire posset sacramenti effectum, non posset homo habere fiduciam certam de sua salute, nec conscientia ejus remaneret libera a peccato... Si autem homo salutem consequi per sacramenta non speraret, nisi a bono ministro dispensata, videretur spem suae salutis aliqualiter in homine ponere». Ergo «confitendum est, quod sacramenta sunt salutaria ex virtute Christi, sive per bonos, sive per malos ministros dispensentur» [7].

ARTICULUS V

UTRUM MINISTER IN PECCATO MORTALI EXSISTENS POSSIT LICITE CONFICERE VEL ADMINISTRARE SACRAMENTA

151. Status quaestionis. 1) Ex ministris sacramentorum aliqui sunt, qui speciali consecratione ad id deputantur, ut sunt ministri confirmationis, eucharistiae, poenitentiae, extremae unctionis et ordinis;

---

[1] Cfr. **Hergenröther,** *Hist. de la Iglesia*, t. 2, p. 16.
[2] Cfr. **Fei,** *De sacramentis in genere*, n. 16.
[3] *Innoc. III*, ep. «Ejus Exemplo» ad archiep. terrac., 18 Dec. 1208; **Denz-Bannw.,** 424.
[4] *Concil. Constantiense*, prop. 4; **Denz-Bannw.,** 584.
[5] *Sess.* 7, can. 12; **Denz-Bannw.,** 855.
[6] *In Joannem*, tr. 5, n. 11; ML **35,** 1419.
[7] *In Joannem*, tr. 5, n. 18; ML **35,** 1424.

alii dicuntur ministri vel necessitatis vel communis deputationis, quales sunt ministri baptismi in casu necessitatis, et matrimonii.

2) Ministri specialiter deputati et charactere sacerdotali insigniti possunt conficere vel administrare baptismum vel *solemniter* et *ex officio*, quando appositis omnibus caeremoniis administrant, vel non ex officio, quando in casu necessitatis privatim aliquem baptizant.

3) Sacramenta generatim conficiuntur, quando administrantur, sed adest una exceptio in eucharistia, quae non in ipsa consecratione, sed versus finem missae, vel etiam extra missam, administratur fidelibus.

4) Quaeritur, an minister in peccato mortali exsistens possit aliquando licite conficere sacramenta, vel administrare eucharistiam.

152. THESIS I. **Minister consecratus ex officio solemniter conficiens sacramenta in peccato mortali peccat mortaliter.**

Nota. Est doctrina communis inter Doctores. Conferri possunt *S. Thomas, Cajetanus, Salmanticenses morales, Philippus a SS. Trinitate, Suarez, Vazquez, Valentia, Salmanticenses scholastici*, et alii [1].

Arg. 1) *S. Thomas:* «Non est dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei et Ecclesiae in dispensatione sacramentorum, peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei et contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris (licet sacramenta secundum se ipsa incontaminabilia sint), consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale» [2].

2) Secundum vulgatum axioma: «Sancta sancte tractanda sunt». Nihil autem est sanctius in terra quam sacramenta, quae sanctitatem producunt. Gravem igitur irreverentiam committunt ministri Dei sacramenta in peccato mortali conficientes.

3) *Rituale romanum* haec habet: «Etsi sacramenta ab impuris coinquinari non possunt, neque a pravis ministris eorum effectus impediri, impure tamen et indigne ea ministrantes in aeternae mortis reatum incurrunt» [3].

153. THESIS II. **Laici in casu necessitatis et sacerdotes pariter in casu necessitatis non ex officio nec solemniter sed privatim baptismum in peccato mortali administrantes, non peccant mortaliter.**

Nota. Omnes theologi excusant laicos in casu exposito a peccato mortali. De sacerdote non ex officio sed in casu necessitatis privatim in peccato mortali baptizante disputatur. Affirmant *Vazquez, Lugo* et alii [4], nisi urgentia casus excuset a contritione elicienda. Negant *S. Thomas, Cajetanus, Salmanticenses*, et alii multo communius [5].

---

[1] **S. Thomas,** *III p.*, q. 64, a. 6; **Cajetanus,** *In III p.*, q. 64, a. 6; **Salmanticenses morales,** *De sacramentis*, c. 7, p. 10, concl. 1; **Philippus a SS. Trinitate,** *De sacramentis in genere*, disp. 8, dub. 6; **Suarez,** *De sacramentis in communi*, disp. 16, sect. 3; **Vazquez,** disp. 136, c. 1 sqq.; **Valentia,** *In III p.*, disp. 3, q. 5, p. 3; **Salmanticenses scholastici,** *De sacramentis in communi*, disp. 7, n. 61.

[2] *III p.*, q. 64, a. 6.

[3] *Tit.* 1, n. 4.

[4] **Vazquez,** disp. 136, c. 3; **Lugo,** *De sacram. in genere*, disp. 8, sect. 9, n. 150.

[5] **S. Thomas,** *III p.*, q. 64, a. 6 ad 3; **Cajetanus,** *In III p.*, q. 64, a. 6; **Salmanticenses,** *De sacramentis in communi*, disp. 7, n. 65.

Arg. 1) *De laicis.* Laicus, cum non sit ex officio deputatus ad sacramenta conficienda ac conferenda, et solummodo baptizet propter necessitatem, non videtur gravem irreverentiam Deo vel contaminationem sacramento irrogare, cum baptismum administrat necessitate coactus.

2) *De sacerdote.* «In articulo tamen necessitatis, ait *Angelicus*, non peccaret baptizando, in casu, in quo etiam posset laicus baptizare; sic enim patet, quod non exhiberet se ministrum Ecclesiae, sed subveniret necessitatem patienti» [1].

Ratio est, quia sacerdos in casu agit, quod ageret laicus, non praecise ut minister consecratus vi specialis deputationis, sed ut minister necessitatis, consecrationem gerens concomitanter [2].

Sacerdos caetera sacramenta conferens in peccato mortali peccat mortaliter, quia extra casum necessitatis baptismi, in quo laicus potest baptizare et sacerdos baptizat more laici, in aliis sacramentis agit ex officio ut minister consecratus exhibens se ministrum Christi; nec excusat eum urgentia casus in danda absolutione vel extrema unctione, quia in instanti potest facere actum contritionis [3].

154. Scholion I. *Quomodo justificari debeat sacerdos, qui sacramenta confecturus est in peccato mortali.*

Resp. Juxta communem fere sententiam, contra unum vel alterum, sacerdos in hoc casu missae sacrificium celebraturus tenetur praemittere confessionem, si habeat copiam confessarii, ut expresse praecipit concilium tridentinum [4].

Alia sacramenta confecturus debet saltem actum contritionis elicere: «Sacerdos... ait *Rituale romanum*, si fuerit peccati mortali sibi conscius (quod absit), ad sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde poeniteat. Sed, si habeat copiam confessarii, et temporis locique ratio ferat, convenit confiteri» [5].

155. Scholion II. Confessarius, qui in peccato mortali plures poenitentes successive absolvit, tot peccata committit, quot personas absolvit; quia tot sacramenta conficit, quot judicia complet, et independenter plures irreverentias committit.

156. Scholion III. *De contrahentibus matrimonium.* Communis hodie sententia docet ministrum matrimonii esse contrahentes, quia matrimonium est contractus, quo vir et mulier conveniunt et obligantur. Disputatur autem, an vir et mulier cum mutuo conferunt sacramentum matrimonii in peccato mortali, peccent mortaliter.

Affirmant *Vazquez, Lugo* et alii [6]. Probabilius negant *Suarez, Salmanticenses* et alii [7].

---

[1] *III p.*, q. 64, a. 6 ad 3; Idem docet *In IV Sent.*, dist. 5, q. 2, a. 2, q. 4.

[2] Cfr. **Ballerini,** Op. mor., *De sacramentis in gen.*, n. 3.

[3] Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 64, a. 6 ad 3; et **Salmanticenses,** *De sacramentis in communi*, disp. 7, n. 69.

[4] *Sess.* 13, c. 7; **Denz-Bannw.,** 880.

[5] *Tit.* 1, *De adm. sacram. generaliter*, n. 4.

[6] **Vazquez,** disp. 136, c. 3, n. 38; **Lugo,** *De sacramentis in genere*, disp. 8, sect. 9, n. 150.

[7] **Suarez,** *De sacramentis in communi*, disp. 16, sect. 4, n. 5; **Salmanticenses,** *De sacramentis in communi*, disp. 7, n. 68.

Sententia negativa magis mihi probatur, quia celebrantes matrimonium, licet sint extra casum necessitatis, et vere rem sacram efficiant, non tamen agunt ex officio, nec se exhibent ministros Christi et Ecclesiae.

Nihilominus contrahentes matrimonium in peccato mortali peccant mortaliter, ut omnes facile concedunt, non quidem qua ministri sacramentum mutuo sibi invicem conferentes, sed qua subjectum recipientes indigne sacramentum, et impedientes gratiae productionem in anima [1].

157. THESIS III. **Sacerdos et diaconus, qui in peccato mortali distribuunt fidelibus eucharistiam praeconsecratam, probabilius non peccant mortaliter.**

Nota. *Suarez, Philippus a SS. Trinitate, Salmanticenses scholastici, S. Alphonsus M. de Ligorio,* et alii affirmant [2].

Sed *Gandavensis, Vazquez, Gabriel a S. Vincentio, Lugo, Salmanticenses morales,* et alii melius negant [3].

Arg. Qui distribuit fidelibus eucharistiam praeconsecratam, non conficit sacramentum, sed tangit tantummodo et porrigit eucharistiam, remote cooperando ad productionem gratiae. Tangere autem ac porrigere eucharistiam in peccato mortali non videtur esse irreverentia adeo gravis, ut constituat peccatum mortale.

ARTICULUS VI

AN MINISTER SACRAMENTORUM CONSECRATUS PERAGENS ALIA SACRA PECCET MORTALITER

158. Quaestiones circa necessitatem probitatis vitae in exercendis diversis ministeriis sacris hic per ordinem breviter explanabo.

I. *Sacerdos concionator praedicans Evangelium in peccato mortali, non peccat mortaliter.* Nullibi enim videtur hoc esse prohibitum [4]. Quod verum esse exsistimo, etiamsi concionator praedicet ex officio.

II. *Diaconus et subdiaconus altari in missa solemni deservientes in peccato mortali, non videntur peccare mortaliter.* Ita hodie Doctores longe communius. Ratio est, quia non conficiunt sacramentum, et remote cooperantur ad ejus confectionem.

III. *Episcopus consecrans sacrum chrisma ac benedicens sanctum oleum infirmorum in peccato mortali, non peccat mortaliter.* Ita defendunt *Salmanticenses tum morales tum scholastici, Gabriel a S. Vincentio,*

---

[1] Cfr. **Sanchez,** *De matrimonio,* lib. 2, disp. 6, nn. 3-4; et **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramentis in genere,* disp. 7, q. 5, concl. 1.

[2] **Suarez,** *De sacramentis,* disp. 10, sect. 4, n. 5; **Philippus a SS. Trinitate,** *De sacramentis in genere,* disp. 8, dub. 6; **Salmanticenses,** *De sacramentis in communi,* disp. 7, n. 82; **S. Alphonsus M. de Ligorio,** lib. 6, n. 35.

[3] **Gandavensis,** *Quodlib.* 6, q. 30; **Vazquez,** disp. 136, n. 38; **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramentis in genere,* disp. 7, q. 5, «Infertur tertio»; **Lugo,** *De sacramentis in genere,* disp. 8, sect. 9, n. 155; **Salmanticenses morales,** tr. 1, c. 7, p. 11.

[4] Cfr. **S. Alphonsus M. de Ligorio,** lib. 6, n. 41.

Vazquez, et alii [1]; contra *Lugo*, *Gonet*, *Philippum a SS. Trinitate* et alios [2].

Ratio, quam approbat S. Alphonsus M. de Ligorio [3], est, quia licet sanctum chrisma et oleum infirmorum sint necessaria ad conferenda sacramenta confirmationis et extremae unctionis, tamen episcopus ea consecrans vel benedicens, remote tantum cooperatur ad dispensationem horum sacramentorum et ad productionem gratiae.

IV. *Episcopus, qui in peccato mortali consecrat ecclesiam, benedicit ornamenta, adsistit matrimonio qua testis qualificatus, etc., non peccat graviter*, quia haec omnia remote tantum afficiunt sacramenta [4].

V. *Sacerdos excipiens confessionem in peccato mortali cum proposito eliciendi contritionem, antequam poenitentem absolvat, certe incorrecte agit, sed probabilius non peccat graviter.* Ita *Lugo*, *Salmanticenses*, *S. Alphonsus*, *Ballerini*, et alii [5], contra *Gonet* et alios [6].

Sacerdos in hoc casu, quamvis audiat confessionem, non tamen conficit sacramentum in peccato mortali, et non videtur accusandus de gravi sacrilegio pro sola auditione peccatorum.

ARTICULUS VII

UTRUM SACERDOS TENEATUR SACRAMENTA DIGNIS MINISTRARE

159. Status quaestionis. 1) Ex sacerdotibus, qui ex officio deputantur ad conficienda et ministranda sacramenta, alii habent curam animarum, ut episcopi et parochi, alii exercent ministeria et conferunt sacramenta per commissionem.

2) *Digni* dicuntur, qui juxta regulas theologiae moralis satis dispositi sunt ad recipienda sacramenta. Unde ad suscipienda sacramenta mortuorum digni censentur, qui cum attritione supernaturali illa postulant; ad recipienda sacramenta vivorum dicuntur digni, qui in statu gratiae saltem exsistimato reperiuntur.

3) Necessitas sacramenti recipiendi potest esse in fidelibus *extrema* vel *quasi extrema*, quando quis versatur in periculo damnationis nisi suscipiat sacramenta; *gravis*, quando quis difficulter potest vitare damnationem nisi sacramentis muniatur [7]; *communis*, quando fideles utiliter petunt ad sacramenta accedere, ut peccata vitent, et sanctitatem adipiscantur.

---

[1] Cfr. **Salmanticenses morales,** tr. 1, c. 7, n. 104.

[2] **Salmanticenses morales,** tr. 1, c. 7, n. 101; **Salmanticenses scholastici,** *De sacramentis in communi*, disp. 7, n. 80; **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramentis in genere*, disp. 7, q. 5, «Majus dubium»; **Vazquez,** disp. 136, c. 4, n. 48.

[3] **Lugo,** *De sacramentis in genere*, disp. 8, n. 156; **Gonet,** *De sacramentis*, disp. 6, a. 4, n. 111; **Philippus a SS. Trinitate,** *De sacramentis in genere*, disp. 8, dub. 6 ad 2.

[4] Cfr. **S. Alphonsus,** lib. 6, tr. 1, n. 40.

[5] **Lugo,** *De sacramentis in genere*, disp. 8, n. 158; **Salmanticenses,** *De sacramentis in communi*, disp. 7, n. 85; **S. Alphonsus,** lib. 6, n. 36; **Ballerini,** *De sacramentis in genere*, n. 43.

[6] **Gonet,** *De sacramentis in genere*, disp. 6, n. 108.

[7] Cfr. **S. Alphonsus,** lib. 2, n. 27.

Breviter hic regulas dabimus circa obligationem, qua sacerdotes adstringuntur, dispensandi sacramenta fidelibus.

160. I. *Praecepto divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere... et sacramentorum administratione pascere* [1].

Sacerdotes siquidem per sacram ordinationem specialiter deputati sunt, ut ex officio sacramenta conficiant ac conferant; et, quando eliguntur in pastores animarum, celebrant quasi contractum cum fidelibus et cum Ecclesia, quo ipsi adstringuntur ex justitia populo sibi commisso sacramenta et media sanctificationis dispensare, et fideles vicissim obligantur eos congrua sustentatione non privare.

Si fideles oneri suo satisfacere negligant, non propterea solvitur obligatio pastorum, quia perseverat quasi contractus cum Ecclesia, cujus est per suos pastores oves pascere.

161. II. *In fidelium extrema vel quasi extrema necessitate tenentur pastores animarum sub gravi etiam propriae vitae periculo sacramenta eis ministrare.*

Hoc certe deducitur ex munere pastoris, secundum quod, qui animarum curam gerunt, suscipiunt onus procurandi salutem fidelium. In extrema autem vel quasi extrema necessitate nullum habent fideles remedium nisi auxilium sacramentorum. Unde pastores tenentur ex justitia hanc necessitatem patienti sacramenta necessaria ministrare. Huc faciunt illa verba Servatoris nostri: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis* [2].

162. III. *Quando fideles versantur in gravi necessitate, parochi et curam animarum gerentes tenentur sub gravi, etiam cum gravi incommodo, ipsis sacramenta, quibus indigent, ministrare.*

Ratio est eadem. Vi enim contractus virtualis, quem pastores celebrant cum suis ovibus et cum Ecclesia, obstringuntur gravi incommodo sese exponere pro adipiscenda salute fidelium, quibus difficile est periculum damnationis effugere. Unde vocati ad peccatorem graviter aegrotum, quamprimum contendere debent, ne aegroto auxilia necessaria desint.

163. IV. *Pastores animarum tenentur fidelibus in communi necessitate constitutis sacramenta, quoties rationabiliter ea petunt, administrare.*

Sacerdotes ex hoc dicuntur curam animarum habere, quod munus accipiunt pascendi oves doctrina, moribus et sacramentis. Cum ergo fideles gratiam et sanctitatem adipisci volentes rationabiliter sacramenta petunt, pastores ex munere suo obligantur ea petentibus dispensare.

Communiter tamen docent auctores sacramenta semel vel iterum fidelibus in communi necessitate denegare non esse peccatum mortale, quia pastor «non videtur tam stricte se obligasse» [3].

164. V. *Sacerdotes, qui curam animarum non gerunt, tenentur ex caritate sacramenta necessaria, etiam cum certo periculo vitae ministrare fidelibus extrema vel quasi extrema necessitate laborantibus. In gravi vero*

[1] *Concilium tridentinum*, sess. 23, c. 1, «De reformatione».
[2] *Joann.*, 10, 11.
[3] **S. Alphonsus**, lib. 6, n. 58.

necessitate non videntur teneri eis sacramenta ministrare cum proximo periculo vitae.

Utramque partem defendunt *Salmanticenses morales* et *S. Alphonsus* cum pluribus magnae auctoritatis Doctoribus [1].

ARTICULUS VIII

UTRUM SACERDOS POSSIT INDIGNIS MINISTRARE SACRAMENTA

165. Status quaestionis. 1) *Indigni* dicuntur in praesenti quaestione, qui, quamvis capaces sint recipiendi sacramenta, carent dispositionibus necessariis ad fructuosam eorum receptionem. Hinc fideles baptizati, qui peccato mortali infecti sunt et non habent saltem attritionem supernaturalem, indigni sunt ad recipienda sacramenta mortuorum, sicut etiam, qui carent gratia sanctificante saltem exsistimata, indigni sunt pro recipiendis sacramentis vivorum.

2) Ex indignis aliqui sunt peccatores *publici*, et quidem a) *jure*, cum per sententiam judicis, per confessionem propriam, vel per testium depositionem tales declarati sunt; b) *facto*, cum publice peccaverunt; c) *fama*, cum eorum peccatum divulgatum est [2]; alii dicuntur *occulti*, quando revera sunt peccatores coram Deo, sed publice considerantur ut justi.

3) Peccatores aliquando petunt sacramenta publice coram populo; aliquando *occulte* coram solo ministro.

4) Varias difficultates circa hoc breviter solvere curabo.

166. I. *Minister aliquando tenetur sub gravi indignis sacramenta negare.*

Communiter hoc tenent Doctores, tum quia non licet ministro sacramentorum cooperari peccato suscipientium indigne sacramenta; tum etiam quia minister sacramentorum agens personam Christi tenetur sancta religiose tractare, ne sanctum tradat canibus contra monitum Servatoris nostri [3].

167. II. *Peccatori publico, sive publice petat sive occulte, ordinarie deneganda sunt sub gravi sacramenta, quousque resipiscat et scandalum reparet* [4].

Hic proprium locum habent illa Christi verba: *Nolite dare sanctum canibus; neque mittatis margaritas vestras ante porcos* [5].

Publicus peccator, quousque resipiscat, est indignus recipiendi sacramenta; et sive publice petat sive occulte, nullam patitur infamiam, si a ministro repellatur. Unde nulla ratione licet ei sacramenta concedere.

Dixi «ordinarie», ut innuerem sacramentum *poenitentiae*, quod est medium, ut peccatores etiam publici ad gratiam recipiantur, nemini

---

[1] **Salmanticenses morales,** tr. 21, c. 6, n. 32-34; **S. Alphonsus,** lib. 2, n. 27.
[2] **S. Alphonsus,** lib. 6, n. 44.
[3] *Matth.*, 7, 6.
[4] **S. Thomas,** *III p.*, q. 80, a. 6; Cfr. **Salm. morales,** tr. c. 7, n. 72-73.
[5] *Matth.*, 7, 6.

esse negandum; et sacramentum *extremae unctionis* aegrotis, qui non possint confiteri, esse concedendum ut ultimum remedium. Matrimonium nemini ad contrahendum capaci pro sola animae indispositione denegatur, tum quia ipsi contrahentes sunt ministri, tum quia maxime oportet eorum statum legitimare.

Disputatur, an deneganda sint caetera sacramenta peccatori publico, si ea petat in loco, ubi non est cognitus ut peccator. Probabilius est sacramenta ei non esse deneganda, nisi praevideatur brevi esse cognoscendus ut peccator.

168. III. *Peccatori occulto occulte petenti, per se loquendo, deneganda sunt sacramenta.*

In Rituali romano haec leguntur: «Occultos vero peccatores, si occulte petant, et non eos emendatos agnoverit, repellat» [1].

Minister tenetur denegare sacramenta indigno, ubi nulla adsit infamia petentis. Occultus autem peccator per se indignus est et nullam patitur infamiam, si occulte repellatur.

Caveat tamen sacerdos unquam denegare sacramenta peccatori occulto ex sola notitia habita in confessione.

169. IV. *Peccatori occulto publice petenti ministranda sunt sacramenta, excepto ordine.* Ita *S. Thomas* [2] et alii fere communiter.

Arg. 1) Rituale romanum diserte haec statuit: «Occultos vero peccatores, si occulte petant, et non eos emendatos agnoverit, repellat; non autem si publice petant, et sine scandalo ipsos praeterire nequeat» [3].

2) Christus in hoc dedit nobis exemplum, quando Judam, quem novit esse occulte indignum, admisit ad sacram communionem.

3) Ministro non licet occultum peccatorem difamare, manifestando ejus peccatum.

Dixi «excepto ordine», quia episcopus potest et debet ordinandos indignos, quamvis sint occulti peccatores, repellere ab ordinatione. Concilium quippe tridentinum expresse mandat, ut episcopus ordinans *diligenter investiget et examinet* mores ordinandorum, et quos indignos repererit, non admittat ad ordines. Ad rem *S. Thomas:* «Ad minus requiritur, quod nesciat ordinans aliquid contrarium sanctitati in ordinando esse; sed etiam exigitur amplius, ut secundum mensuram ordinis vel officii injungendi diligentior cura apponatur, ut habeatur certitudo de qualitate promovendorum, saltem ex testimonio aliorum. Et hoc est, quod Apostolus dicit I Tim., 5, 22; *Manus cito nemini imposueris*» [4].

170. Scholion I. Disputant Doctores, an minister ob metum mortis possit dispensare sacramenta publico peccatori.

Affirmant *Salmanticenses*, ubi saltem publicus peccator occulte et non in odium fidei nec ad contemptum sacramentorum petit sacramenta [5]. Negat *S. Alphonsus* [6].

---

[1] Tit. 4, c. 1, n. 9. Peccator publicus censetur emendatus, ubi palam ad sacramentum poenitentiae accesserit, et scandalum removerit.

[2] *III p.*, q. 80, a. 6.

[3] *Rituale romanum*, tit. 4, c. 1, n. 9.

[4] *Supplemento*, q. 36, a. 4 ad 3, Cfr. **S. Alphonsus,** lib. 6, n. 52.

[5] **Salmanticenses,** *De sacramentis in communi*, disp. 7, n. 97.

[6] Lib. 6, n. 49.

Utraque sententia est vere probabilis, et in hac suppositione vix obligari potest sacerdos ad subeundam mortem, ne sacramenta indigno ministret.

171. Scholion II. Aliqui docuerunt sacerdotem, qui eucharistiam est dispensaturus, posse decipere praesentes, deferendo in pixide inter alias hostias consecratas, quae exhibentur populo adorandas, hostiam non consecratam eamque indigno ministrando, si id ipse indignus petat ad infamiam vitandam. Ita *S. Bonaventura* et alii pauci [1].

Verius tamen alii cum S. Thoma dixerunt id nullatenus licere. «Hostia tamen non consecrata nullo modo debet dari loco consecratae; quia sacerdos hoc faciens, quantum in se est, facit idololatrare illos, qui credunt esse hostiam consecratam, sive alios praesentes, sive ipsum sumentem; quia, ut Augustinus dicit (in ps. 88, circa medium): *Nemo carnem Christi manducet, nisi prius adoret*» [2].

Minus potest sacerdos simulare sacramentum non applicando formam materiae, vel applicando formam materiae sine intentione faciendi sacramentum [3].

QUAESTIO VIII

DE SUBJECTO SACRAMENTORUM

ARTICULUS I

QUIS ET QUOMODO POSSIT VALIDE SUSCIPERE SACRAMENTA

172. Status quaestionis. Hic breviter investigandum est, quis sit subjectum sacramentorum, et quas dispositiones requirat, ut valide suscipiat sacramenta.

173. I. *Subjectum sacramentorum est solus homo viator.*

Hoc principium sic intelligas velim, ut non omnes homines viatores sint capaces recipiendi omnia et singula sacramenta, quia mulieres non possunt valide recipere ordinem, nec infantes poenitentiam et matrimonium, sed in quantum omnes et singuli homines viatores possunt recipere aliqua sacramenta. Unde principium significat hominem non angelum, et viatorem non beatum, esse subjectum capax recipiendi sacramenta, eaque pro solis hominibus viatoribus fuisse instituta.

Hoc ratio facile demonstrat. Sacramenta siquidem fuerunt a Deo instituta, ut hominibus essent remedia sanctificationis. Sanctificatio autem solis viatoribus competit. Ergo soli homines viatores sunt subjectum sacramentorum.

Si autem mus vel canis manducaret hostiam consecratam, sumeret quidem species sacramentales, in quibus est corpus Christi, sed non

---

[1] **S. Bonaventura,** *In IV Sent.*, dist. 9, a. 2, quaest. 4 ad 7.
[2] *III p.*, q. 80, a. 6 ad 2.
[3] Cfr. **Ballerini,** *De sacramentis in genere*, n. 63 sqq.

sumeret ea ut sacramentum, nec manducaret corpus Christi sacramentaliter, quia sacramentum non est institutum pro ipsis [1].

Ex his facile deduces sequentia; quae in materia de sacramentis prae oculis habenda sunt:

1) Solus homo viator est capax recipiendi sacramenta.

2) Omnis et solus homo non baptizatus potest valide recipere baptismum.

3) Solus homo baptizatus potest valide recipere alia sacramenta, quia baptismus est janua aliorum sacramentorum.

4) Non omnes et singuli homines possunt recipere omnia et singula sacramenta. Nam mulieres excluduntur ab ordine et infantes a quibusdam sacramentis.

174. II. *Infantes et perpetuo amentes possunt aliqua, non omnia, sacramenta valide recipere.*

Illa sacramenta, in quorum receptione subjectum nihil agit, neque actionales personales praesupponit, possunt infantes recipere, non autem sacramenta, quae vel aliquid agendo recipiuntur, vel actionem subjecti praesupponunt. Hinc poenitentiam, cujus materia proxima sunt actus poenitentis, matrimonium, quod est contractus duorum, et extremam unctionem, quae supponit peccatum aegrotantis, non possunt infantes et perpetuo amentes valide recipere, quia infantes et perpetuo amentes nequeunt actus personales elicere, neque contractum celebrare, nec habent reliquias peccatorum.

Caetera vero sacramenta, scilicet baptismum, confirmationem, eucharistiam et ordinem, valide recipiunt, ut constat ex perpetua Ecclesiae traditione. Ad baptismum ubique et ad confirmationem in pluribus partibus infantes admittuntur. Ad eucharistiam saepe admissi sunt. Ordo autem nequit licite infantibus conferri, sed, si conferatur, validus censetur, ut «concordi theologorum et canonistarum suffragio definitum est» [2].

175. III. *In adultis certe requiritur aliqua intentio, ut valide recipiant sacramenta.*

Nota. *Cajetanus* ajebat: «Per se loquendo non exigitur intentio vel voluntas ex parte baptizandi de necessitate sacramenti; sed sufficit in ipso non inveniri obicem voluntatis contrariae» [3].

Sed alii communius cum S. Thoma [4] requirunt in subjecto aliquam intentionem seu consensum, ut sacramenta valide recipere queat [5].

1) Hoc certe dependet a voluntate Christi, quam satis explicat Ecclesia, cum nunquam sacramenta dispensat adultis, nisi ipsi quodammodo consentiant.

Ratio id suadet, quia, qui sacramenta suscipit, militiam Christi profitetur, et novas obligationes acquirit. Nemini autem novae obligationes imponuntur, nisi ipso consentiente.

---

1 Optime hoc explicat Angelicus, *III p.*, q. 80, a. 3 ad 3.

2 **Benedictus XIV,** Bulla *Eo quamvis*, 4 Maji, 1745, § 20.

3 *In III p.*, q. 68, a. 7, «His excursis».

4 *III p.*, q. 68, a. 7 et 12.

5 Cfr. **Billot,** *De sacramentis*, th. 19.

2) Disputatur, qualis esse debeat intentio in suscipiente ad valorem sacramentorum.

«Intentio ista, ut egregie ait *Billot*, quantum ad aliquid convenit cum intentione requisita in ministro, et quantum ad aliquid differt» [1]. Convenit in hoc quod est independens a convictionibus suscipientis, cum sit sufficiens velle recipere, quod recipit Ecclesia; differt ab ea, quatenus intentio in ministro se habet *active causans sacramentum*, ad quam magis requiritur, quam ad intentionem suscipientis, quae se habet per modum dispositionis subjecti.

In particulari non conveniunt auctores in determinanda intentione, quae requiritur in suscipiente ad valorem sacramentorum. Ex pluribus sententiis, quae circumferuntur, sequentia mihi videntur probabiliora:

a) Pro recipiendis baptismo, confirmatione, eucharistia et extrema-unctione, requiritur et sufficit in adultis intentio habitualis saltem implicita, id est, consensus voluntatis implicite saltem habitus et non retractatus, qui in recte pieque in vera Christi Ecclesia vivendi ac moriendi voluntate continetur.

b) Pro ordine suscipiendo requiritur intentio habitualis explicita, id est, intentio expresse habita et nunquam retractata, quia ordinans specialissimas obligationes contrahit, ad quas nemo adstringi potest, quin prius intenderit.

c) Ad poenitentiam et matrimonium requiritur intentio virtualis. In poenitentia siquidem actus poenitentis sunt materia sacramenti, et nequeunt elici nisi virtute intentionis expresse habitae. In matrimonio vero contrahentes sunt ministri sacramenti, et nequeunt efficere contractum sine intentione saltem virtuali [2].

176. III. *Ad valorem sacramentorum, excepta poenitentia, non requiritur fides in subjecto adulto.*

Loquimur de valida non licita sacramentorum receptione.

Arg. 1) *S. Augustinus* expresse hoc docuisse videtur, cum ait: «Nec interest, cum de sacramenti integritate et sanctitate tractatur, quid credat, et quali fide imbutus sit ille, qui accipit sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad sacramenti quaestionem nihil interest. Fieri enim potest, ut homo integrum habeat sacramentum et perversam fidem» [3].

2) Idem tenet constans Ecclesiae praxis, secundum quam ariani, nestoriani, macedoniani, lutherani, calvinistae, imo et pagani, qui in sua respective secta rite receperunt baptismum cum intentione recipiendi, quod dat Ecclesia, non rebaptizantur, cum veniunt ad Ecclesiam catholicam.

3) «Alio modo, ait *Angelicus*, requiritur aliquid ex necessitate ad baptismum, sine quo character baptismatis imprimi non potest; et sic recta fides baptizati non requiritur ex necessitate ad baptismum, sicut

---

[1] *De sacramentis*, th. 19.

[2] Cfr. **Ballerini**, *De sacramentis in genere*, n. 72 sq.; **Van Noort**, *De sacramentis*, n. 135; **Tanquerey**, *De sacramentis in communi*, n. 367.

[3] *De baptismo, Contra Donat.*, lib. 3, c. 14; ML **43**, 146.

nec recta fides baptizantis, dummodo adsint caetera, quae sunt de necessitate sacramenti. Non enim sacramentum perficitur per justitiam hominis dantis vel suscipientis baptismum, sed per virtutem Dei» [1].

ARTICULUS II

QUID REQUIRATUR IN SUBJECTO, UT FRUCTUOSE SACRAMENTA RECIPIAT

177. Status quaestionis. Ulterius hic progredimur, et agimus de dispositionibus requisitis in subjecto ad fructuosam sacramentorum susceptionem.

178. I. *Infantes nulla praecedente dispositione baptismum, et caetera quae possunt sacramenta, solo supposito baptismo, fructuose recipiunt.*

Hoc patet ex universali praxi Ecclesiae, quae praecipit, ut infantibus ante usum rationis ubique baptismus conferatur; permittit, ut pluribus in locis confirmatio ipsis dispensetur; et per plura saecula eucharistiam eis distribuit.

Vetitum quidem est ordinem infantibus conferre, et minister peccaret illum administrando, sed infans, si ordinaretur, gratiam sacramenti proculdubio reciperet.

179. II. *Adulti peccatores, ab excommunicatione et ab omni censura liberi, ut primam gratiam sanctificantem per sacramenta recipiant, indigent fide saltem et attritione.*

Nota. 1) Dixi «ab excommunicatione et ab omni censura liberi», quia, si excommunicatione et censuris Ecclesiae enodentur, prohibentur ad sacramenta accedere.

2) Primam gratiam per se producunt sacramenta mortuorum, per accidens aliquando, ut suo loco dictum est, sacramenta vivorum.

Pro omnibus eadem est in subjecto habenda dispositio, hac sola differentia, quod in sacramentis mortuorum fides et attritio sufficiunt, quamvis subjectum sit conscium peccati mortalis, dum in sacramentis vivorum fides et attritio sufficiunt ad producendam primam gratiam, cum subjectum bona fide credit se habere gratiam.

Arg. 1) Concilium tridentinum diserte hoc tradidit dicens: «Disponuntur ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt, atque illud imprimis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quae est in Christo Jesu, et, dum peccatores se esse intelligentes, a divinae justitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam poenitentiam, quam ante baptismum agi oportet» [2].

---

[1] *III p.*, q. 68, a. 8.

[2] *Sess.* 6, c. 6; **Denz-Bannw.,** 798.

2) In sanctificatione peccatoris adulti, etiam in sacramentis, oportet fieri recessus a peccato et accessus ad Deum. Homo autem recedit a peccato per detestationem ejusdem, et accedit ad Deum per fidem. Ergo peccator adultus, ut primam gratiam per sacramenta recipiat, indiget fide saltem et attritione.

Scholion. Non est tamen ad hoc necessarium, ut fidem actualem in eodem momento sanctificationis exerceat, id est, actum fidei in ipsa sacramenti receptione eliciat, sed sufficit, ut homo virtualem fidem in receptione sacramenti poenitentiae et habitualem in receptione aliorum sacramentorum habeat [1].

180. III. *Homo justus, ut recipiat augmentum gratiae per sacramenta, nulla indiget dispositione actuali, sed sola habituali, quae consistit in gratia sanctificante.*

Arg. 1) Concilium tridentinum nullam exigit dispositionem in subjecto, ut digne quis eucharistiam suscipiat, nisi statum gratiae [2].

2) S. *Thomas:* «Effectus hujus sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiae vel caritatis; sed etiam quaedam actualis refectio spiritualis dulcedinis. Quae quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc sacramentum per peccata venialia mente distractus. Non autem tollitur augmentum habitualis gratiae vel caritatis» [3]. Rursum: «Ille, qui cum actu venialis peccati ad hoc sacramentum accedit, habitualiter quidem manducat spiritualiter, sed non actualiter. Et ideo habitualem effectum hujus sacramenti percipit, non autem actualem» [4].

3) Ratio est, quia nostra sacramenta semper producunt gratiam in non ponentibus obicem. Sed homo justus, habens statum gratiae habitualis, quamvis careat devotione, non ponit obicem augmento gratiae. Ergo.

181. Corollarium I. In hac doctrina fundantur exhortationes, quibus Romani Pontifices crebro monent fideles, ut frequenter imo quotidie ad sacramentum eucharistiae accedant. «Etsi quam maxime, ait S. Congregatio Concilii per decretum a Pio X approbatum, expediat, ut frequenti et quotidiana communione utentes, venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus, ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se nunquam in posterum peccaturos» [5].

Corollarium II. Velim tamen animadvertas augmentum gratiae, quod sacramenta causant in anima sine ulla actuali dispositione, produci *ex opere operato*, sed animam eo magis per sacramenta gratia locupletari, quo meliores habeat dispositiones et ferventiores eliciat actus devotionis. Quare hortandi sunt fideles, ut sedulo ad sacram communionem se praeparent, et devotam adhibeant gratiarum actionem, ut majores inde recolant fructus [6].

---

[1] Cfr. **Pesch,** *De sacramentis in genere,* 318.

[2] *Sess.* 13, c. 7; **Denz-Bannw.,** 880.

[3] *III p.*, q. 79, a. 8.

[4] *III p.*, q. 79, a. 8 ad 1.

[5] Decreto S. Congr. Concilii de dispositionibus requisitis ad frequentem et quotidianam communionem eucharisticam sumendam, 20 Dec. 1905. *Acta S. Sedis,* vol. 38, p. 404.

[6] Cfr. Idem Decretum; *Acta S. Sedis,* vol. 38, p. 404; **Denz-Bannw.,** 1988.

182. Scholion. Circa dispositiones suscipientium fructum sacramentorum haec breviter accipe:

1) Infantes sine ulla dispositione actuali recipiunt gratiam baptismi, et post baptismum gratiam aliorum sacramentorum.

2) Adultus conscius sibi peccati mortalis indiget attritione supernaturali ad recipiendam primam gratiam per sacramenta baptismi vel poenitentiae; statu vero gratiae habitualis ad recipiendum augmentum gratiae per alia sacramenta.

3) Peccator ignorans propria peccata mortalia indiget attritione supernaturali ad quaelibet sacramenta fructuose recipienda.

4) Justus cum sola dispositione habituali status gratiae sanctificantis recipit fructum sacramentorum.

5) Peccator suae indignitatis minime conscius, si accedat ad sacramenta sine attritione supernaturali (cum obice materiali), non peccat propter suam ignorantiam, nec recipit gratiam sacramentorum, quia obicem ponit.

ARTICULUS III

A QUO MINISTRO POSSINT FIDELES SACRAMENTA LICITE PETERE

183. Status quaestionis. 1) Dignus sacramentorum minister est ille, qui, accepta consecratione et deputatione Ecclesiae, facultatibus necessariis pollet, nulla censura est irretitus, gratia sanctificante ditatur, atque intentionem ac caetera ad rectam dispensationem necessaria adhibet.

2) Minister sacramentorum potest esse indignus: a) quia cum sit consecratus, jurisdictione caret; b) quia est censura aliqua irretitus; c) quia est in peccato mortali.

3) Fideles petunt sacramenta vel in articulo mortis, vel in gravi necessitate, vel devotionis causa.

Quaeritur, an et quando possint fideles sacramenta petere a ministro indigno.

184. I. *Nemo potest unquam sacramenta petere ab eo, qui non potest ea valide conferre, vel non est ea valide confecturus.*

Sacramenta etenim in hoc casu forent invalida, et nefas est petere, ut sacramenta fingantur cum periculo sacrilegii et scandali.

185. II. *Quilibet homo in articulo mortis constitutus potest, si non habeat alium ministrum, petere sacramenta necessaria, scilicet baptismum et poenitentiam, et probabilius etiam eucharistiam et extremam unctionem, a quolibet ministro indigno, etiam excommunicato vitando ac haeretico.*

Arg. *De baptismo* expresse hoc docet *S. Augustinus*, et addit hominem ita a non catholico baptizatum, si de hac vita migraverit, catholicum esse deputandum; si vero convaluerit, catholicae congregationi esse adscribendum [1]. Et *S. Thomas* ait: «Si (malus minister) sit praecisus ab Ecclesia, tunc peccat ab eo recipiens sacramentum, nisi in necessitate, in qua posset etiam a pagano vel a judaeo suscipere» [2].

[1] *De baptismo, Contra Donat.*, lib. 1, c. 2, n. 3. ML **43,** 110.

[2] *In IV Sent.*, dist. 5, q. 2, a. 2, quaest. 5.

De poenitentia concilium tridentinum statuit: «Pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt» [1].

Omnes pariter theologi concedunt quemlibet sacerdotem, etiam vitandum, posse defectu alterius confessarii absolvere poenitentem in articulo mortis constitutum.

Eucharistiam quoque potest moribundus a quolibet sacerdote, etiam vitando atque haeretico, defectu alterius sacerdotis, petere, ut facile concedunt theologi, tum quia jure divino obstringitur recipere eucharistiam, tum quia peccata occulta facilius per communionem remittuntur.

Extremam unctionem pariter potest moribundus a quolibet sacerdote petere et accipere, si alius sacerdos non adsit, et alia sacramenta nequivit recipere, quia, si habeat peccata occulta et attritionem supernaturalem eliciat, fit per eam contritus et adsequitur gratiam.

Quilibet sacerdos, etiam vitandus et haereticus, potest valide et, si faciat actum contritionis, licite haec sacramenta moribundo conferre, quia in articulo mortis cessat omnis reservatio.

186. III. *Homo peccator extra articulum mortis in gravi necessitate constitutus, cum scilicet gravi tentatione vexatur vel praecepto paschali urgetur, aut alia incommoda patitur, non potest petere sacramenta ab eo, qui, quamvis conteratur, nequit licite sua potestate uti*, ex. gr. *ab excommunicato, suspenso, irregulari*, etc.

Arg. Sacerdos in casu proposito, quamvis actum contritionis eliciat, non potest licite munera sacerdotalia exercere, et qui ab eo sacramenta peteret, obligaret eum necessario peccare. Sacramenta autem non sunt media omnino necessaria ad superandas tentationes, nec praeceptum ecclesiasticum obligat cum tanto incommodo.

187. IV. *In qualibet gravi necessitate imo et in notabili utilitate potest homo fidelis petere sacramenta a sacerdote, qui est in peccato mortali.*

Arg. Fideles, qui sunt in gravi necessitate constituti, vel notabilem cupiunt capere utilitatem spiritualem, jus habent recipiendi sacramenta, et sacerdos exsistens in peccato mortali potest, praemittendo actum contritionis, licite ea dispensare. Unde fideles in hoc casu non sunt privandi auxilio sacramentorum, sed sacerdos est potius cogendus, ut, emittendo actum contritionis, dignum se exhibeat ministrum Christi.

188. V. *Fideles absque ulla ratione nequeunt licite sacramenta postulare a sacerdote, qui est in peccato mortali, nisi praevideant ipsum contriturum ante dispensationem sacramentorum.*

Ratio est, quia exponunt sacerdotem sine ulla ratione gravi periculo committendi sacrilegium.

---

[1] *Sess.* 14, c. 7; **Denz-Bannw.,** 903.

APPENDIX

DE SACRAMENTALIBUS

189. Nota. I. *Sacramentalia*, si nomen spectes, sunt ea omnia, quae ad sacramenta quoquo modo referuntur, et hoc sensu complectuntur tum caeremonias seu ritus in administratione sacramentorum adhiberi solitas, tum signa ab Ecclesia instituta et extra sacramenta usurpata ad obtinendos quosdam effectus.

190. II. *Quoad caeremonias* concilium tridentinum «declarat hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati seu ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire judicaret» [1].

Has autem caeremonias et ritus observare tenentur ministri juxta illud concilii tridentini: *Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse, a. s.* [2].

Hujusmodi tamen ritus et caeremoniae, quae in solemni administratione sacramentorum adhibentur, non sunt proprie sacramentalia.

191. III. **Sacramentalia.** 1) Sacramentalia stricte sunt quaedam res seu actiones extra sacramenta adhiberi vel fieri solitae, quae aliquam similitudinem praeseferunt cum sacramentis.

Codex Juris Canonici ea definit dicens: *Sacramentalia sunt res aut actiones, quibus Ecclesia, in aliquam sacramentorum imitationem, uti solet ad obtinendos ex sua impetratione effectus praesertim spirituales* [3].

2) Fuerunt ab Ecclesia instituta. Quamvis enim exorcismus fuerit a Christo adhibitus, in ratione tamen sacramentalis ab Ecclesia fuit institutus. Hinc «nova sacramentalia constituere aut recepta authentice interpretari, ex eisdem aliqua abolere aut mutare, sola potest Sedes Apostolica» [4].

192. IV. **Numerus sacramentalium.** Alii plura alii pauciora enumerant sacramentalia.

1) Aliqui sex enumerant hoc versu comprehensa:

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Orans significat orationem dominicalem vel alias ab Ecclesia praescriptas preces; *tinctus* aspersionem aquae benedictae; *edens* esum panis benedicti; *confessus* confessionem generalem per orationem «Confiteor»; *dans* largitionem eleemosynae ab Ecclesia praescriptam ejusque nomine factam; et *benedicens* benedictiones ac exorcismos liturgicos, ut primam tonsuram, ordines minores, consecrationes regum, etc.

---

[1] *Sess.* 21, c. 2; **Denz-Bannw.,** 931.

[2] *Sess.* 7, can. 13; **Denz-Bannw.,** 856. Cfr. *Codex Juris Canonici*, can. 733.

[3] *Can.* 1144. Veteres quidam, ut **Hugo Victorinus,** *De sacramentis*, lib. 2, p. 9, c. 1; ML **176,** 471, ea vocabant *sacramenta minora.*

[4] *Codex Juris Canonici*, can. 1145.

2). Alii volunt septem esse sacramentalia hoc versiculo comprehensa:

Crux, aqua, nomen, edens, ungens, jurans, benedicens.

His verbis denotantur signum crucis, aspersio aquae lustralis, invocatio nominis Jesu, esus ciborum benedictorum, unctiones olei benedicti, adjurationes in res nocivas, et benedictiones.

In his tamen enumerationibus merito recentiores inveniunt nonnulla, quae sacramentalibus accensenda non sunt. Oratio dominica, eleemosyna, invocatio nominis Jesu, etc., non videntur habere rationem sacramentalium.

3) Melius igitur et conformius ad Codicem Juris Canonici quatuor classes sacramentalium enumerantur: *consecrationes* nempe, *benedictiones*, *res consecratae* vel *benedictae*, *et exorcismi*. Tria genera, ut vides, sunt transeuntia, et unum permanens.

a) *Consecrationes* fiunt per aliquam unctionem, et sunt semper *constitutivae*, quibus res permanenter consecratae atque in divinum cultum ordinatae restant.

b) *Benedictiones* aliae sunt *constitutivae*, ut tonsura, benedictio aquae lustralis, etc., quibus personae et res manent benedictae, et dicuntur res sacramentales, ut aqua benedicta est sacramentalis; aliae sunt *invocativae*, quibus non res ipsae benedicuntur, sed effectus praesertim spirituales in favorem rerum vel personarum postulantur formula ab Ecclesia approbata, et sunt sacramentales transeuntes.

c) *Res consecratae* et *benedictae bendictione constitutiva*, ut clerici tonsurati, calices consecrati, aqua benedicta, etc., sunt sacramentales, et jubet Codex, ut «reverenter tractentur, neque ad usum profanum vel non proprium adhibeantur, etsi in dominio privatorum sint» [1].

d) Exorcismi sunt benedictiones invocativae super obsessum per imperium in doemonem. Est unum ex sacramentalibus, de quo in Codice et in Rituali Romano sunt specialia monita.

193. IV. **Minister sacramentalium.** 1) «Consecrationes nemo, qui charactere episcopali careat, valide peragere potest, nisi vel jure vel apostolico indulto id ei permittatur» [2].

a) *Jure* pollent facultate efficiendi consecrationes **a**) *Cardinales* Vicarii Apostolici, et Praefecti Apostolici [3]; **b**) *Abbates* et *Praelati nullius*, qui charactere episcopali non ornati benedictionem, si eam recipere debent, receperint [4].

b) *Apostolico indulto* ii possunt consecrationes peragere, quibus concessio personalis facta est, vel privilegium ad hoc concessum.

2) «Benedictiones autem impertire potest quilibet presbyter, exceptis iis, quae Romano Pontifici aut episcopis aliisve reserventur.»

«Benedictio reservata, quae a presbytero detur sine necessaria licentia, illicita est, sed valida, nisi in reservatione Sedes Apostolica aliud expresserit.»

---

[1] *Can.* 1150.
[2] *Can.* 1147.
[3] *Can.* 294, § 2.
[4] *Can.* 323, § 2.

«Diaconi et lectores illas tantum valide et licite benedictiones dare possunt, quae ipsis expresse a jure permittuntur», ut benedictio cerei paschalis [1].

Quae sint bendictiones Romano Pontifici vel episcopis reservatae, disce ex sacrae liturgiae peritis.

3) *Exorcismos* nemo, quamvis facultate exorcitandi polleat, potest in obsessos proferre, nisi ab Ordinario peculiarem et expressam licentiam obtinuerit [2].

Exorcismi tamen, qui occurrunt in baptismo, et in consecrationibus vel benedictionibus, fieri possunt a legitimis ministris horum sacrorum rituum [3].

194. V. **Subjectum sacramentalium.** 1) Consecrationes et benedictiones constitutivae habent pro subjecto ipsas personas vel etiam res inanimatas, quae manent consecratae vel benedictae, et dicuntur res sacramentales aut sacramentalia permanentia.

2) Benedictiones invocativae et «exorcismi a legitimis ministris fieri possunt non solum in fideles et catechumenos, sed etiam in acatholicos vel excommunicatos» [4].

195. VI. **Effectus sacramentalium.** Diversa sacramentalia diversos effectus producunt.

1). *Consecrationes* et *benedictiones constitutivae* deputant personas atque res consecratas ac benedictas per se quasi ex opere operato ad cultum divinum.

2) Expellunt daemones per modum impetrationis.

3) Producunt:

a) Beneficia temporalia, ubi sunt ad salutem spiritualem utilia;

b) Gratias actuales ex opere operantis precibus Ecclesiae;

c) Remissionem peccatorum venialium per viam impetrationis et ex opere operantis, quatenus per bona opera et virtute orationum Ecclesiae excitantur in subjecto motus contritionis et actus caritatis [5].

d) Remissionem poenae temporalis per applicationem satisfactionum Christi et sanctorum ad modum indulgentiae, quae non semel adnexa est sacramentalibus.

---

[1] *Can.* 1147, § 2, 3, 4.

[2] *Can.* 1151, § 1.

[3] *Can.* 1153.

[4] *Can.* 1152.

[5] «Peccatum veniale, ait **Angelicus,** nunquam remittitur sine aliquali actu poenitentiae virtutis, explicito scilicet vel implicito». *III p.*, q. 87, a. 2 ad 2. «Veniale peccatum dimittitur per fervorem caritatis, qui explicite vel implicite contritionem contineat. Et ideo illa, quae nata sunt de se excitare fervorem caritatis peccata venialia dimittere dicuntur. Hujusmodi autem sunt, quae gratiam conferunt, sicut omnia sacramenta.» *In IV Sent.*, dist. 16, q. 2, quaest. 4.

SECTIO II

DE BAPTISMO

QUAESTIO IX

DE EXSISTENTIA ET PARTIBUS BAPTISMI

ARTICULUS I

NOTIONES GENERALES TRADUNTUR

196. I. **Etymologia.** *Baptismus*, graece βαπτισμος, βαπτισμα et βαπτισις, a verbo βαπτιζειν — immergere — venit, et immersionem seu ablutionem significat.

II. **Acceptiones.** 1) In sensu metaphorico designat aliquando magnas animae tribulationes seu aerumnas [1]; interdum abundantiam caelestium charismatum [2].

2) In sensu proprio significat nunc ablutionem profanam [3]; nunc ablutiones legales judaeorum [4]; frequentissime primum novae legis sacramentum [5].

Definitio sacramenti baptismi [6]. Baptismus recte definitur: *Sacramentum novae legis a Christo Domino institutum, in quo per externam corporis cum aqua ablutionem sub invocatione SS. Trinitatis homo spiritualiter regeneratur* [7].

Sacramentum in hac definitione est genus, quo baptismus convenit

---

[1] Ad rem Christus: *Potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Marc., 10, 38.

[2] *Baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies.* Act., 1, 5.

[3] De Judith ait Scriptura: *Baptizabat se in fonte aquae.* Judith, 12, 7.

[4] De pharisaeis ait Marcus: *Nisi baptizentur, non comedunt.* Marc., 7, 4.

[5] Jesus misit discipulos dicens: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos.* Matth., 28, 19.

[6] Plures novatores tradiderunt baptismi definitiones cum doctrina catholica parum conformes.

[7] *Catechismus romanus* definit baptismum his verbis: «Sacramentum regenerationis per aquam in verbo», part. 2, c. 2, n. 5. **Petrus Lombardus**: «Baptismus est ablutio corporis exterior facta sub forma verborum praescripta». *IV Sent.*, dist. 3, n. 1; ML **192,** 843.

cum omnibus aliis sacramentis. Caeterae particulae constituunt differentiam, qua ab aliis distinguitur.

Hoc sacramentum ex sua materia vocatur baptismus *fluminis* seu *aquae*, cujus vices gerunt modo, quo dicetur inferius, baptismus *flaminis* seu *desiderii*, actus scilicet contritionis seu caritatis cum voto suscipiendi baptismum aquae; et baptismus *sanguinis* seu martyrium pro Christo vel in defensionem fidei aut alicujus virtutis christianae toleratum.

Aliis etiam nominibus designari solet. In usu enim ecclesiastico vocatur *lavacrum aquae* [1], *sacramentum fidei*, *lavacrum regenerationis, et renovationis* [2], *illuminatio* [3], *sigillum* [4], etc.

ARTICULUS II

UTRUM BAPTISMUS SIT VERUM SACRAMENTUM

197. Errores. 1) Antiqui unitarii et hodierni rationalistae, sicut negant Trinitatem personarum, ita pariter inficiantur baptismum sub invocatione Trinitatis collatum esse sacramentum, sed dicunt illum esse tantummodo ritum externum sine ulla efficacia ad producendam gratiam.

2) Modernistarum doctrina continetur in sequenti propositione: *Communitas christiana necessitatem baptismi induxit adoptans illum tanquam ritum necessarium eique professionis christianae obligationes adnectens* [5].

198. THESIS. **Baptismus est verum Ecclesiae sacramentum.**

Arg. 1) Concilium tridentinum declaravit septem esse Ecclesiae sacramenta, eorumque primum esse baptismum [6].

2) Catechismus romanus definit baptismum dicens: «Est sacramentum regenerationis per aquam in verbo» [7].

3) *Didaché* seu *Doctrina duodecim apostolorum* circa a. 80 vel 90 scripta describit ritum baptismi dicens: «De baptismo autem, sic baptizate, omnia postquam antea dixistis, baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti in aqua viva. Si autem non habes aquam vivam, in alia aqua baptiza; si non potes in frigida, calida. Sin autem neutram habes (ad immergendum), effunde in caput ter aquam in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti» [8].

4) *In epistola Barnabae* legitur: «Descendimus quidem in aquam pleni peccatis ac sordibus: inde autem emergimus fructum afferentes, in corde timorem et in spiritu spem in Jesum habentes» [9].

---

1 *Ephes.*, 5, 26.
2 *Tit.*, 3, 5.
3 *II Cor.*, 4, 4-6.
4 *Ephes.*, 1, 13.
5 Decr. *Lamentabili*, prop. 42; **Denz-Bannw.,** 2042. **Loisy** hoc defendit in libris *Autour d'un petit livre*, 234; et *Simples reflexions sur le Décrete du Saint Office*, prop. 42.
6 *Sess.* 7, can. 1; **Denz-Bannw.,** 844. Cfr. *Concilium florentinum, Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 696.
7 *Parte* 2, c. 2, n. 5.
8 *Didaché*, 7, 1; **Funk,** 1, 16.
9 *Ep. Barnabae*, c. 11; MG **2,** 760.

5) Traditio communis omnium Ecclesiarum semper tenuit baptismum ut verum sacramentum. Unde catholici, schismatici, protestantes, etc., baptizant suos filios, ut a peccato originali liberentur, et gratiam sacramentalem adipiscantur.

6) Baptismus est signum sensibile gratiae a Christo Domino institutum, scilicet ablutio corporis sub praescripta forma, significans regenerationem spiritualem, a Christo instituta, ut statim probabimus. Ergo est verum sacramentum.

ARTICULUS III

UTRUM BAPTISMUS FUERIT A CHRISTO DOMINO INSTITUTUM

199. Errores. 1) Recentiores quidam protestantes negant sacramentum baptismi fuisse a Christo institutum [1].

2) *Loisy* cum modernistis defendit baptismum non a Christo historico sed a Christo fidei seu conscientiae christianae fuisse institutum [2].

Sed hi errores carent fundamento.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Christus Dominus ait Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* [3]. His verbis certe innuit Servator baptismum esse necessarium ad animae salutem vitamque aeternam consequendam.

Ut huic necessitati provideret, ipsemet baptizabat, ut constat ex Joanne, qui ait: *Post haec venit Jesus in terram Judaeam; et illic demorabatur cum eis et baptizabat* [4]. Et misit apostolos dicens: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* [5].

Hoc mandatum rigorose intellexerunt apostoli, et, Spiritu Sancto ducti, vix ascendit Christus in caelum, praedicabant necessitatem baptismi dicentes: *Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum... in remissionem peccatorum vestrorum; et accipietis donum Spiritus Sancti* [6]. Imo et baptizabant juxta illud: *Qui ergo receperunt sermonem eius* (Petri), *baptizati sunt* [7].

2) *Ex concilio tridentino.* Patres concilii tridentini solemniter declaraverunt septem esse Ecclesiae sacramenta, inter quae recensetur baptismus, eaque esse a Christo Domino instituta [8].

200. Scholion I. *De tempore quo Christus instituerit baptismum.*

1) Hac super re sunt opiniones omnium placitis accommodatae:

a) Plures Sancti Patres et theologi docent Christum instituisse ba-

---

1 Cfr. **Pesch,** *De baptismo*, n. 348.

2 **Loisy,** *Autour d'un petit livre*, 233 (1.ere ed.); et *Simples reflexions sur le Décret du Saint-Office*, prop. 42.

3 *Joan.*, 3, 5.

4 *Joan.*, 3, 22.

5 *Matth.*, 28, 19.

6 *Act.*, 2, 38.

7 *Act.*, 2, 41.

8 *Sess.* 7, can. 1; **Denz-Bannw.,** 844.

ptismum, quando ipsemet in Jordane baptizatus est a Joanne. Ita plures SS. Patres, *S. Thomas, Catechismus romanus,* et communius scholastici [1].

b) Alii censent Christum instituisse baptismum, quando Nicodemum affatus est his verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ita Estius [2].

c) Alii volunt Christum, antequam pateretur, instituisse baptismum, sed qua praecise occasione non constare. Ita *Scotus, Biel, Wirceburgenses,* et alii [3].

d) Alii denique exsistimant Christum instituisse baptismum, quando post resurrectionem suam in caelum ascensurus misit apostolos dicens: *Euntes ergo...* [4]. Ita *Alensis, Cano,* et alii [5].

2) *Certum esse puto Christum Dominum ante passionem suam instituisse baptismum; et probabilius quando in Jordane baptizatus est a Joanne.*

Ante passionem suam. Tum quia communius ita defendunt Doctores; tum quia Christus ante passionem suam baptizabat, et discipuli baptizabant, ut constat ex Joanne [6]; tum denique, quia apostoli in coena receperunt eucharistiam et ordinem, et nullo fundamento adsereretur eos fuisse ordinatos vel sacra communione refectos ante susceptum baptismum, qui est janua sacramentorum.

Probabilius in Jordane. Hanc opinionem probat Angelicus his verbis: «Sacramenta ex sui institutione habent, quod conferant gratiam. Unde, tunc videtur aliquod sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi suum effectum. Hanc autem virtutem accepit baptismus, quando Christus est baptizatus. Unde tunc vere baptismus institutus fuit, quantum ad ipsum sacramentum» [7]. In confirmationem minoris veniunt testimonia SS. Patrum Chrysostomi, Ambrosii et Augustini, qui dicunt vim generandi in spiritualem vitam aquis collatam fuisse, quando Christus in Jordane baptizatus est a Joanne [8].

Sedulo tamen notanda sunt Angelici verba: *Quantum ad ipsum sacramentum;* quia postea plura indixit Christus circa baptismum, ut patet ex sacris litteris. Unde post illa verba prosequitur *S. Thomas:* «Sed necessitas utendi hoc sacramento indicta fuit hominibus post passionem et resurrectionem» [9].

---

[1] Ex SS. Patribus, **S. Ambrosius,** *In Luc.*, lib. 2, n. 83 sqq.; ML **15,** 1665; **S. Thomas,** *III p.*, q. 66, a. 2; *Catechismus romanus*, p. 2, c. 2, n. 20; ex scholasticis, **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramento baptismi*, disp. 2, q. 6; **Liberius a Jesu,** *Contrv.*, t. 3, tr. 2, disp. 1, contrv. 1; **Billuart,** *De baptismo*, diss. 1, a. 2.

[2] *In IV Sent.*, dist. 3, § 11.

[3] **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 3, q. 4; **Biel,** *In IV Sent.*, dist. 3, q. un., a. 3, dub. ult.; **Wirceburgenses,** *De baptismo*, n. 11.

[4] *Matth.*, 28, 19.

[5] **Alensis,** *p IV*, q. 8, m. 2, a. 3; **Cano,** *De locis*, lib. 8, c. 5.

[6] *Joan.*, 3, 22; et 4, 2. Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 73, a. 5 ad 4.

[7] *III p.*, q. 66, a. 2.

[8] **S. Joannes Chrysostomus,** *In Matth.*, hom. 12, n. 3; MG **57,** 206; **S. Ambrosius,** *In Lucam*, lib. 2, n. 83; ML **15,** 1665; **S. Augustinus,** *In Joannem*, tr. 13, n. 4; ML **35,** 1494.

[9] *III p.*, q. 66, a. 2.

201. Scholion II. *De baptismo Joannis.*

1) S. Joannes ait: *Erat autem et Joannes baptizans in Aennon juxta Salim, quia aquae multae erant illic, et veniebant, et baptizabantur* [1]. Et *Josephus* refert multos illo tempore ad Joannem confluxisse [2].

2) Qualis fuerit ille Joannis baptismus non constat, sed omes fatentur et *Josephus* confirmat illum non fuisse meram lustrationem in lege praescriptam (*Lev.* 14, 8); neque lotionem a pharisaeis inductam (*Marc.*, 7, 4; *Luc.*, 11, 38); neque baptismum proselytorum, si illo tempore exstitit aliquis baptismus, quo initiarentur homines in statum quemdam novum (vide **Knabenbauer,** *in Matth.*, 3, 6); sed erat baptismus poenitentiae in remissionem peccatorum (*Marc.*, 1, 4); quem incolae Jerusalem atque totius Judaeae suscipiebant *confitentes peccata sua*, id est, «ostendebant (Joanni), ut ait *S. Cyrillus hierosol.*, vulnera, deinde ille ponebat medicamenta» [3].

3) Novatores vix distinguunt baptismum Joannis a Baptismo Christi. **Melanchthon** ajebat: «Etsi igitur differentia erat in hoc articulo (de baptismo Joannis et apostolorum), Joannes de passuro Christo et apostoli de passo et resuscitato praedicant, tamen ministerium fuit idem et effectus eosdem habuit in credentibus» [4].

4) *Dicendum tamen est baptismum Christi esse diversum a baptismo Joannis.*

a) Concilium tridentinum hoc declaravit dicens: *Si quis dixerit baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum baptismo Christi*, a. s. [5].

b) Ipse Joannes explicuit differentiam utriusque, quando ait: *Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam... ipse* (Christus) *vos baptizabit in Spiritu Sancto* [6]. Unde baptismus Joannis excitabat suscipientes ad poenitentiam, dum baptismus Christi confert ipsam gratiam. «Baptismus Joannis, ait *Angelicus*, gratiam non conferebat, sed solum ad gratiam praeparabat... per poenitentiam praeparando homines ad suscipiendum effectum baptismi Christi» [7]. «Baptismus Joannis non erat per se sacramentum, sed quasi quoddam sacramentale disponens ad baptismum Christi» [8].

ARTICULUS IV

QUAE SIT MATERIA SACRAMENTI BAPTISMI

202. Status quaestionis. 1) Probavimus superius sacramenta novae legis constare partibus, rebus scilicet tanquam materia et verbis tanquam forma.

2) Materia baptismi potest esse remota vel proxima. Materia *re-*

---

1 *Joan.*, 3, 23. Cfr. *Matth.*, 3, 5 sqq.
2 *Antiquit.*, 18, 5.
3 *Catech.*, 3, 7; MG **33,** 437.
4 *De locis communibus, De baptismo.*
5 *Sess.* 7, can. 1, *De baptismo;* **Denz-Bannw.,** 857.
6 *Matth.*, 3, 11.
7 *III p.*, q. 38, a. 3.
8 *III p.*, q. 38, a. 1 ad 1.

mota est res, quae adhibetur in ejus administratione; *proxima* dicitur ipsa materiae remotae, sub praescripta forma verborum, applicatio.

Declarandum hic venit, quae sit materia tam remota quam proxima baptismi.

203. Errores. I. Quoad materiam remotam erraverunt:

1) *Gnostici* quidam, qui, ut adserit *S. Irenaeus*, dicebant «adducere ad aquam supervacaneum esse», vel administrabant baptismum «admiscentes oleum et aquam in unum» [1]. *Manichaei*, ut dicit *S. Augustinus*, «baptismum in aqua nihil cuiquam perhibent salutis afferre» [2]. *Flagellantes* dicebant non aquam sed cruorem, ictibus flagellorum effusum, adhibendum esse in baptismo [3].

2) Alii retinent nomen aquae pro materia baptismi, sed rem mystice vel metaphorice sumunt. Sic pauliciani pro aqua intelligunt verba Christi *Ego sum aqua viva;* Wiclefus passionem Christi; Calvinus aquam simul et Spiritum Sanctum [4].

3) Alii denique docent aquam quidem esse materiam remotam baptismi, sed, deficiente aqua, posse baptismum valide conferri in quolibet liquido, quod ad balneum fuerit aptum. Ita *Lutherus, Beza*, et alii [5].

II. Quoad materiam proximam erraverunt primo *graeci schismatici*, et deinde *anabaptistae* et *baptistae*, qui dicebant ablutionem per aspersionem et effusionem non sufficere ad valorem baptismi, sed necessario requiri immersionem [6].

204. Thesis I. **Materia remota valida sacramenti baptismi est omnis et sola aqua naturalis.** *Est de fide.*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Christus Dominus expresse hoc docuit in colloquio cum Nicodemo dicens: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* [7]. Apostoli exinde, mentem Domini probe noscentes et verba Christi rigorose intelligentes, aquam naturalem semper adhibuerunt in administratione baptismi. *Ecce aqua*, ait eunuchus Philippo, *quid prohibet me baptizari?... Et jussit stare currum; et descenderunt uterque in aquam... et baptizavit eum* [8]. Petrus autem, cum videret familiam Cornelii laudantem Deum, ait: *Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut et nos?* [9].

2) *Ex conciliis.* Concilium florentinum ait: «Materia hujus sacramenti est aqua vera et naturalis, nec refert frigida sit an calida» [10]. Et concilium tridentinum: «Si quis dixerit aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu

---

1 *Adv. haer.*, lib. 1, c. 21, n. 4; MG **7,** 664.

2 *De haeresibus*, haer. 46; ML **42,** 38.

3 Cfr. **Liberius a Jesu,** t. 3, tr. 2, disp. 1, controv. 2.

4 Cfr. **Liberius a Jesu,** t. 3, tr. 2, disp. 1, controv. 2.

5 Apud **Katschthaler,** *De sacramentis*, n. 184.

6 Patriarchae schismatis constantinopolitani saepe scripserunt epistolas encyclicas, quibus improbarunt latinos, quod baptismum per aspersionem dicerent valere. Cfr. **Palmieri,** *Theologia dogm. orth.*, t. 2, c. 3. De baptistis cfr. *The Catholic Encyclopedia*, art. «Baptists».

7 *Joan.*, 3, 5.

8 *Act.*, 8, 36 sqq.

9 *Act.*, 10, 47.

10 *Decretum pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 696.

Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto*, ad metaphoram aliquam detorserit, a. s.» [1].

3) *Ex SS. Patribus.* Sancti Patres doctrinam ab apostolis acceptam constanter tenuerunt. *Didaché:* «Baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti in aqua viva» [2]. *Epistola Barnabae:* «Descendimus quidem in aquam pleni peccatis ac sordibus, inde autem emergimus fructum afferentes, in corde timorem et in spiritu spem in Jesum habentes» [3]. *Pastor Hermae:* «Sigillum ergo est aqua; in aquam igitur descendunt mortui et ascendunt vivi» [4]. *S. Augustinus:* «Quid est baptismus Christi? Lavacrum aquae in verbo. Tolle aquam, non est baptismus, tolle verbum, non est baptismus» [5].

4) *Congruentiae non desunt*, tum a) quia oportebat materiam sacramenti adeo necessarii, ut est baptismus, esse omnibus communem, et adeptu facilem; tum b) quia ablutio significat effectum baptismi, et aqua naturalis est aptior aliis materiis pro ablutionibus faciendis.

Hinc colliges: 1) quaelibet aqua naturalis ex mari, pluvia, flumine, fonte, rore, etc., nisi adulteretur, est certe materia valida.

2) Lac, sanguis, vinum, caffeum, et quidquid in communi aestimatione hominum non habetur pro aqua, quamvis ad balneum sit aptum, est materia invalida.

3) Aqua aliis materiis mixta et graviter adulterata, ut tenue jusculum, lixivium, etc., est materia dubia; et nonnisi in defectu materiae validae et casu urgenti est adhibenda.

205. THESIS II. **Merito praecepit Ecclesia, ut in baptismo solemni adhiberetur ad liceitatem aqua consecrata et munda.**

Sedulo animadverte hoc praeceptum esse ad liceitatem non ad validitatem, quia, ut diximus, baptismus valide administratur aqua naturali non benedicta.

Arg. «Benedicimus autem, ait *S. Basilius*, et aquam baptismatis et oleum unctionis». Additque S. Doctor hunc usum accepisse «a tacita secretaque traditione» [6].

Exinde jam (a. 330-379) novimus in usu fuisse ritum adhibendi aquam benedictam in baptismate.

2) *Constitutiones apostolorum* c. a. 400 scriptae exhibent formulam benedicendi aquam baptismalem [7].

3) Rituale autem romanum haec habet: «Aqua solemnis baptismi sit eo anno benedicta in sabbato sancti Paschalis vel sabbato Pentecostes, quae in fonte mundo nitida et pura diligenter conservetur» [8]. Haec obligatio adhibendi aquam benedictam urget in solemni, non privata, administratione baptismi.

---

1 *Sess.* 7, can. 2, *De baptismo;* **Denz-Bannw.,** 858.
2 *Didaché*, c. 7; **Kirch,** *Enchiridion fontium historiae*, n. 1; **S. Justinus,** *Apologia I*, 61; MG **6,** 420.
3 *Epistola Barnabae*, c. 11; MG **2,** 759.
4 *Sim.* 9, c. 16; MG **2,** 995.
5 *In Joan.*, tr. 15, n. 4; ML **35,** 1512.
6 *De Spiritu Sancto*, c. 27, n. 66; MG **1,** 1046.
7 *Constitutiones apost.*, lib. 7, c. 43; MG **1,** 1046.
8 *Tit.* 2, c. 1, n. 4.

Hunc autem ritum convenienter fuisse in Ecclesia introductum ostendunt plures rationes, quidquid in contrarium dicant protestantes. Nam 1) ad sacramentum regenerationis conficiendum maxime congruum est, ut materia consecrata adhibeatur; et 2) fideles majori veneratione suscipiunt baptismum, quando vident aquam solemniter benedictam ad ipsum adhiberi.

206. THESIS III. **Materia proxima baptismi est ablutio aquae, quae fieri potest per immersionem, effusionem vel aspersionem.**

Pars 1.ª Est ablutio.

Arg. 1) Vox graeca βαπτιξω significat abluo, et baptizare nihil aliud est quam abluere. Unde applicatio materiae remotae baptismi, quae est aqua, est abluere. Cum autem materia proxima baptismi sit applicatio materiae remotae ejusdem, necessario sequitur materiam proximam baptismi esse ablutionem aquae. Hinc *Catechismus romanus* ait: «Tunc enim sacramentum baptismi dicendum est, cum aqua ad abluendum aliquem, additis verbis, quae a Domino instituta sunt, reipsa utimur» [1].

2) Nullibi est determinatum, quanta debeat esse baptizandorum ablutio. Certe requiritur contactus physicus et immediatus aquae cum corpore; et videtur esse necessarium, ut aqua aliquantulum decurrat supra corpus, non quidem ut corporis sordes abstergat, sed ut ablutionem significare possit.

3) Haec ablutio fieri debet ab ipso ministro, qui formam profert, ut verba *Ego baptizo* verificentur, et materia atque forma unum totum componant.

Pars 2.ª Ablutio fieri potest per immersionem, infusionem vel aspersionem.

Nota. Praxis administrandi baptismum *per immersionem* antiquissima fuit in Ecclesia et valde communis usque ad saeculum XIII. Nihilominus, adsunt antiqua documenta et facta nonnulla, quae certo demonstrant immersionem nunquam habitam fuisse ut ritum necessarium ad valorem sacramenti, sed adhibitam fuisse, ut magis exprimeret passionem, sepulturam et resurrectionem Christi.

Fieri itaque potest triplici modo supra citato; et a saeculo XIV merito praevaluit in Ecclesia latina ablutio per effusionem.

Arg. 1) *Didaché* seu *Doctrina duodecim apostolorum* haec habet: «Si autem neutram habes (ad immersionem), effunde in caput ter aquam in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti» [2].

2) Apostoli baptizaverunt una die tria millia hominum in Jerusalem, et non est credendum omnes eos baptizasse per immersionem [3].

3) *Eusebius* refert aegros, qui per immersionem nequibant baptizari, per effusionem vel aspersionem non semel fuisse baptizatos [4].

---

[1] *Part.* 2, c. 2, n. 6.
[2] *Didaché*, c. 7, n. 1.
[3] *Act.*, 2, 41.
[4] *Hist. eccles.*, lib. 6, c. 43; MG **20**, 623.

4) *S. Thomas* ait: «Ablutio autem fieri potest per aquam, non solum per modum immersionis, sed etiam per modum aspersionis vel effusionis. Et ideo, quamvis tutius sit baptizare per modum immersionis (quia hoc habet communior usus), potest tamen fieri baptismus per modum aspersionis vel etiam per modum effusionis» [1].

207. Corollaria. 1) Monet *Rituale romanum*, ut modus, qui sit magis in usu pro ecclesiarum consuetudine retineatur [2].

Sicubi tamen habeatur usus baptizandi per aspersionem, sedulo notandum est ad hoc non sufficere aspersionem, qua unda ad vestes baptizandorum pertingat, sed ita fieri oportere, ut aqua corpus baptizandi tangat et fluens vere abluat.

2) *Angelicus Doctor* adserit suo tempore communiorem et securiorem fuisse ritum baptizandi per immersionem. Ineunte tamen saeculo XIV praevaluit in Ecclesia latina usus baptizandi per infusionem, adeo ut pedetentim exoleverit ritus immersionis, et exeunte eodem saeculo ritualia praescripserint effusionem. Consulto hoc actum esse videtur, tum ut valetudini infantium consuleretur, tum etiam ut decentia praesertim circa mulieres servaretur [3].

208. Scholion. *De trina ablutione.* 1) A primis Ecclesiae saeculis in usu fuit ritus baptizandi per trinam ablutionem, ut melius significaretur trinitas personarum, vel expressius fieret memoria passionis, sepulturae et resurrectionis Christi, aut etiam recoleretur triduum sepulturae Christi. Omnes tamen fatebantur veram ablutionem esse necessariam, sed modum ablutionis per accidens se habere ad sacramentum. Unde concilium toledanum IV hoc statuit: «Propter vitandum autem schismatis scandalum, vel haeretici dogmatis usum, simplam teneamus baptismi mersionem» [4].

2) *Nunc etiam tenet Ecclesia trinam ablutionem in baptismo* juxta illud Ritualis romani: «Ego te baptizo in nomine Patris (fundat primo), et Filii (fundat secundo) et Spiritus Sancti (fundat tertio)». [5] Hunc ritum graviter obligare censent *Angelicus*, *S. Alphonsus* et alii [6].

3) *Nihilominus trina ablutio non pertinet ad essentiam sacramenti*, ut expresse declaravit Romanus Pontifex. Cum enim ariani contenderent saeculo VI in Hispania per trinam ablutionem indicari diversam personarum naturam, *S. Leander* consuluit S. Gregorium Magnum, quid efficere liceret, et Vicarius Christi respondit: «Reprehensibile esse nullatenus potest infantem in baptismo vel ter vel semel mergere, quando et in tribus mersionibus potest personarum trinitas et in una divinitatis singularitas designari» [7].

Huic addi potest trinitatem personarum diserte in forma exprimi. Caetera ad moralistas.

---

1 *III p.*, q. 66, a. 7.
2 *Rit rom.*, tit. 2, c. 1, n. 10.
3 Cfr. **Liberius a Jesu,** *Controv.*, t. 3, tr. 2, controv. 4, n. 39.
4 *Concilium toletanum IV* (a. 633), c. 6; **Mansi,** 10, 619.
5 *Rituale rom.*, tit. 2, c. 2, n. 19.
6 **S. Thomas,** *III p.*, q. 66, a. 8; **S. Alphonsus,** lib. 6, n. 107, q. 5.
7 *Ep.* 43; ML **77,** 498. Hanc responsionem suam fecit Concilium toletanum IV, cap. 6; **Mansi,** 10, 619.

ARTICULUS V

QUAE SIT FORMA SACRAMENTI BAPTISMI

209. Status quaestionis. Pars altera, qua coalescit sacramentum baptismi, sunt verba ministri tanquam forma. Quibus terminis haec forma constare debeat, est quaestio dilucidanda.

210. Errores. 1) *Gnostici* juxta Eusebium baptizabant «in nomine ignoti omnium Patris, in veritate omnium matre, in eo qui descendit in Jesum» [1].

2) *Montanistae* «in nomine Patris et Filii et Montani et Priscillae».

3) *Sabelliani* in nomine unius tantum personae.

4) *Paulianistae*, a Paulo Samosateno, dicuntur adulterasse invocationem trinitatis in forma baptismi [2].

5) *Eunomiani* baptizabant «in nomine Dei increati, et in nomine Filii creati, et in nomine Spiritus sanctificantis et a creato Filio procreati» [3].

6) *Lutherus* haec scripsit: «Quomodocumque tradatur baptismus, modo non in nomine hominis sed in nomine Domini tradatur, vere salvum facit, imo non dubitem, si quis in nomine Domini suscipiat, etiamsi impius minister non det in nomine Domini, vere baptizatum esse in nomine Domini» [4].

211. THESIS. **In forma baptismi necessario exprimi debent invocatio trium personarum, actio ministri abluentis, et subjectum sacramenti.**

Nota. Forma latinorum his verbis continetur: *N. Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* [5].

Graeci vero his verbis baptizant: *Baptizetur talis servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* [6].

Hae duae formae certe continent omnia requisita ad valorem sacramenti, et ubique recipiuntur ut legitimae.

Doctrinam hujus theseos ostendunt plura argumenta.

Pars 1.ª Invocatio SS. Trinitatis.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Misit Dominus apostolos docere omnes gentes *baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* [7].

2) *Ex traditione. Didaché* ordinat: «Baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti» [8].

S. Justinus: «In nomine parentis universorum ac Domini Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi et Spiritus Sancti lavacrum in aqua tunc suscipiunt» [9].

---

[1] *Hist. eccl.*, lib. 4, c. 11; MG **20,** 330.

[2] Cfr. *Concilium nicaenum I*, can. 19; **Denz-Bannw.,** 56.

[3] Cfr. **S. Epiphanius,** *Haer.* 76, confut. 36, n. 6; MG **42,** 638.

[4] *De captivitate babyl.*, § «Hanc sententiam».

[5] *Rituale romanum*, tit. 2, c. 2, n. 19. Docent eruditi hanc formam integram primo introductam fuisse per *canones Hippolyti*, qui juxta Achelim compositi sunt c. annum 218-221, et juxta **Bardenhewer** apparuerunt exeunte saeculo V.

[6] In hac forma dicitur, ut vides, *baptizatur*, non *baptizetur*. In quo verbo indicativo actionem ministri et subjectum suscipiens satis exprimi docent omnes theologi.

[7] *Matth.*, 28, 19.

[8] *Didaché*, 7, 1; **Funk,** 1, 16.

[9] *Apologia I*, n. 61; MG **6,** 419.

S. Ambrosius: «Nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, remissionem non potest accipere peccatorum nec spiritualis gratiae munus haurire» [1].

Pelagius I admonuit Gaudentium episcopum volaterranum, ut eos, qui confitebantur se in nomine Domini fuisse baptizatos, «ad catholicam fidem convenientes sanctae Trinitatis nomine baptizaret»; eos vero, qui apud haereticos in nomine Trinitatis fuerint baptizati, sola reconciliationis gratia catholicae fidei sociaret [2].

3) *Ex concilio florentino.* Eugenius IV in concilio florentino, Decreto pro armenis, non solum utramque formam, quae apud latinos graecosque in usu erat, approbavit, sed etiam rationem ambarum reddidit dicens: «Forma autem (baptismi) est: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Non tamen negamus, quin et per illa verba: *Baptizetur talis servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* vel: *Baptizatur manibus meis talis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,* verum perficiatur baptisma; quoniam, cum principalis causa, ex qua baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius sacramentum; si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctae Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum» [3].

Pars 2.ª Actio ministri abluentis.

1) Alexander III expresse declaravit puerum ter immersum in aqua in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti sine expressione: *Ego baptizo te,* non esse baptizatum [4].

2) Rationem optime adsignat *Angelicus* dicens: «Quia ablutio hominis in aqua propter multa fieri potest, oportet quod determinetur in verbis formae, ad quid fiat: quod quidem non fit per hoc, quod dicitur: *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,* quia omnia in tali nomine facere debemus, ut habetur *Coloss.*, 3. Et ideo, si non exprimatur actus baptismi vel per modum nostrum, vel per modum graecorum, non perficitur sacramentum» [5].

Pars 3.ª Subjectum sacramenti.

Sicut ablutio est verbis determinanda, ita pariter persona, quae abluitur, est determinanda. Imo ipsa forma maneret indeterminata, si omitteretur expressio personae baptizandae [6].

212. Corollaria. Ex his facile deducuntur sequentia corollaria.

1) Formae, in quibus substantialiter retinetur sensus verborum formae expositae, quamvis aliquas mutationes accidentales subierint, sunt legitimae. Hinc quoad validitatem a) particula *ego,* quae satis includi-

[1] *De mysteriis,* c. 4, n. 20; ML **16,** 412.
[2] *Ep.* «Admonemus», c. a. 560; **Denz-Bannw.,** 229.
[3] *Decretum pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 696.
[4] **Denz-Bannw.,** 398. Cfr. propositionem 27 damnatam a. 1690 ab Alexandro VIII. **Denz-Bannw.,** 1317.
[5] *III p.*, q. 66, a. 5 ad 2.
[6] Cfr. **Salmanticenses morales,** tr. 2, c. 3, p. 2.

tur in verbo, omitti potest; b) Loco *baptizo* uti potest *abluo, lavo*, etc., quae idem significent; c) praepositio *in* non videtur essentialis; d) si *in nomine* mutetur *in nomen*, non obstat validitati; e) si ter repetatur in nomine Patris, in nomine Filii et in nomine Spiritus Sancti, probabilius valet baptismus.

2) Verbum *baptizo* vel aliquod ejus synonimum, quod actionem ablutivam ministri significet, est essentiale.

3) Vox *te* pariter est essentialis.

4) Dicendum est *in nomine* in singulari. Si autem dicatur *in nominibus Patris et Filii et Spiritus Sancti*, nullus est baptismus, quia non innuit unitatem naturae in personis.

5) Expressio trium personarum SS. Trinitatis est necessaria ad valorem. Unde baptismus collatus in nomine SS. Trinitatis est irritus.

213. Scholion. *Quid de baptismo collato in nomine Jesu.*

I. In Actibus apostolorum haec leguntur: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum* [1].—*Baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu* [2].—*Jussit* (Petrus) *eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi* [3].—*His autem auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu* [4].

Exinde dubitatur, an aliquando validum fuerit baptismum collatum in nomine Domini seu in nomine Jesu.

II. 1) Veteres quidam theologi dixerunt baptismum collatum *in nomine Jesu* esse validum, quia hoc nomine tota Trinitas comprehenditur. Ita *Petrus Lombardus* [5]. Haec tamen sententia est omnino reprobanda.

2) Alii docuerunt baptismum solo nomine Jesu collatum esse per se irritum, sed apostolos ex dispensatione divina aliquando hoc solo nomine valide baptizasse, «ut nomen Christi, quod erat odiosum judaeis et gentilibus, honorabile redderetur». Ita *S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus*, et alii plures [6]. Haec opinio, admissa dispensatione divina, non est contra fidem, sed obsoleta est.

3) Communiter hodie defendunt theologi baptismum solo nomine Jesu collatum nunquam fuisse validum, et apostolos nunquam illum contulisse nisi in nomine trium personarum SS. Trinitatis. Ita *Suarez, Vazquez, Sylvius, Liberius a Jesu* [7], et ex recentioribus fere omnes [8].

III. Haec ultima sententia magis mihi probatur, et secundum eam exponenda sunt loca S. Scripturae, quae contrarium innuere videntur.

1) Nunquam supponebat Apostolus quempiam sine invocatione trium personarum SS. Trinitatis posse baptizari. Cum enim invenisset Ephesi quosdam discipulos, qui dicerent se nunquam, si Spiritus San-

---

[1] *Act.*, 2, 38.
[2] *Act.*, 8, 16.
[3] *Act.*, 10, 48.
[4] *Act.*, 19, 5.
[5] *IV Sent.*, dist. 3, n. 5; ML **192**, 844.
[6] **S. Thomas,** *III p.*, q. 66, a. 6 ad 1; **S. Bonaventura,** *In IV Sent.*, dist. 3, p. 1, a. 2, q. 2 ad 3; **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 3, q. 2, «De quinto».
[7] **Suarez,** *De sacramentis*, disp. 21, sect. 3, n. 11; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 143, c. 2; **Sylvius,** *In III p.*, q. 66, a. 6; **Liberius a Jesu,** *Controv.*, t. 3, tr. 2, disp. 1, controv. 5.
[8] Cfr. **Katschthaler,** *De sacramentis*, n. 206 et in nota.

ctus erat, audivisse, miratus est et interrogavit eos: *In quo ergo baptizati estis?* [1].

2) *S. Augustinus* ait: «Si autem etiam, non nominatis Patre et Spiritu Sancto, in nomine Jesu Christi jussi sunt baptizari (*Act.* 2, 38), et tamen intelliguntur non baptizati nisi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti» [2].

3) Traditio communis inde ab exordio Ecclesiae requisivit invocationem trium personarum SS. Trinitatis ad legitimam formam baptismi, et nullibi constat dispensationem ab hac lege apostolis aliquando concessam fuisse.

Hinc multo probabilius puto nunquam apostolos quempiam baptizasse nisi in forma expressa a Christo apud Matthaeum [3].

4) Textus autem *Actuum Apostolorum*, in quibus nonnulli dicuntur baptizati in nomine Jesu aut in nomine Christi, non significant aliquos fuisse baptizatos verbis *in nomine Christi*, sed illos fuisse baptizatos baptismo Christi, id est, baptismo, qui fuit institutus a Christo, ad differentiam baptismi Joannis [4].

214. Objicies. Duae contra hanc explicationem obstant graves difficultates.

I. *S. Ambrosius* ait: «Baptizati sunt itaque in nomine Jesu Christi... Plenum autem (baptisma), si Patrem, et Filium, Spiritumque Sanctum fatearis. Si unum neges, totum subrues. Et quemadmodum, si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum Sanctum: fide autem nec Patrem nec Filium nec Spiritum Sanctum abneges, plenum est fidei sacramentum; ita etiam, quamvis et Patrem et Filium et Spiritum Sanctum dicas, et aut Patris aut Filii aut Spiritus Sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium... Nunc consideremus, utrum, quemadmodum in Christi nomine plenum esse legimus baptismatis sacramentum, ita etiam Sancto tantum Spiritu nuncupato, nihil desit ad mysterii plenitudinem. Rationem sequamur, quia, qui unum dixerit, Trinitatem signavit... Rationi copuletur auctoritas: in Spiritu quoque recte nos baptizari posse Scriptura indicat, dicente Domino: *Vos autem baptizabimini in Spiritu Sancto*» [5].

Resp. 1) *S. Ambrosius* non videtur hic agere de forma sacramenti baptismi, quia, si de forma baptismi haec intelligerentur, absurda sequerentur, quae non licet tanto Patri tribuere. Sequeretur enim a) validum esse baptismum nomine solius Spiritus Sancti collatum, quod nemo unquam admisit; et b) e contra irritum esse baptismum collatum in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti a ministro, qui mala fide minuat personarum potestatem.

2) Probabilius loquitur S. Doctor de *forma professionis fidei emittendae ab adultis ante baptismum*, et docet adultos, si sermone confi-

---

[1] *Act.*, 19, 3.
[2] *Contra Maxim.*, lib. 2, c. 17, n. 1; ML **42,** 783.
[3] *Matth.*, 28, 19.
[4] Ita rem explicant **Liberius a Jesu,** *Controv.*, t. 3, tr. 2, disp. 1, controv. 5; **S. Alphonsus,** lib. 6, n. 112; **Pesch,** *De sacramentis*, n. 380; **Knabenbauer,** *Comment. in Actus Apostolorum*, c. 2, v. 38.
[5] *De Spiritu Sancto*, lib. 1, c. 3, n. 42-45; ML **16,** 742 sq.

teantur Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, fide tamen trinitatem personarum in Deo negaverint, sine fructu baptismum recipere [1].

3) Ipse *S. Ambrosius* alibi saepe requirit invocationem trium personarum ad valorem baptismi [2].

II. *Nicolaus I* ad bulgaros scribens ait: «A quodam judaeo, nescitis utrum christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos adseritis, et quid de iis sit agendum consulitis. Hi profecto, si in nomine sanctae Trinitatis vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt unum quippe idemque est, ut Sanctus exponit Ambrosius, constat eos non esse denuo baptizandos» [3].

Resp. 1) Aliqui dicunt Nicolaum I ex lectione verborum S. Ambrosii deceptum fuisse, et qua doctorem particularem errorem tradidisse. Ita *Cano, Soto, Bellarminus, Billuart,* et alii [4].

2) Alii benignius et verius explicant sensum verborum, dicentes Pontificem non agere de forma baptismi, sed *de intentione ministri.* Illico enim hortatur bulgaros inquirere utrum talis judaeus fuerit christianus an paganus, vel saltem factus fuerit christianus, ut inde deducerent ipsum habuisse veram ac necessariam intentionem.

QUAESTIO X

DE MINISTRO BAPTISMI

ARTICULUS I

QUIS SIT MINISTER BAPTISMI SOLEMNIS

215. Status quaestionis. 1) Baptismus potest administrari a) *solemniter* cum omnibus caeremoniis, quas Ecclesia praescribit; et b) *privatim,* in casu necessitatis, per solam applicationem materiae et formae cum intentione supra baptizandum. Hinc unus est minister baptismi solemnis, qui ut minister Ecclesiae publicus solemniter baptizat, et alter minister baptismi privati, qui, urgente necessitate, sine caeremoniis administrat sacramentum. In hoc articulo disserendum est de ministro baptismi solemnis, de altero in sequenti.

2) Minister baptismi solemnis potest esse *ordinarius,* qui ex sua ordinatione ad hoc est generaliter deputatus; et *extraordinarius,* qui non generaliter sed in casibus extraordinariis speciali quadam ratione ad baptizandum vocatur.

---

[1] Ita mentem S. Ambrosii explicant **Estius,** *In IV Sent.,* dist. 3, § 5; **Pesch,** *De sacramentis,* n. 388; **Van Noort,** *De sacramentis,* n. 188; **Honoratus del Val,** *De baptismo,* n. 98; et alii.

[2] Cfr. *De mysteriis,* c. 4, n. 20; ML **16,** 411.

[3] *Responsa ad consulta bulgar.,* c. 104; **Mansi,** 15, 432.

[4] **Cano,** *De locis,* lib. 6, c. 8; **Soto,** *In IV Sent.,* dist. 3, a. 6; **Bellarminus,** *De sacramento baptismi,* lib. 1, c. 3; **Billuart,** *De baptismo,* diss. 1, a. 4, § 2.

3) Quaeritur, quis sit minister ordinarius et extraordinarius baptismi solemnis.

216. Error. Fuerunt antiqui haeretici, qui dicerent mulieres esse ministros baptismi solemnis [1].

217. THESIS I. **Minister ordinarius baptismi solemnis est solus sacerdos.**

Nota. 1) Omnis sacerdos est minister ordinarius baptismi solemnis ex parte sacramenti, sed ex parte baptizandorum ad liceitatem indiget jurisdictione. Hinc episcopus in sua dioecesi et parochus in sua paroecia sunt ministri ordinarii baptismi *ex officio;* alii sacerdotes, qui ab episcopo vel a parocho licentiam accipiunt baptizandi, sunt ministri ordinarii *ex delegatione.*

2) Quando parochiarum institutio non fuit in Ecclesia introducta, sacerdotes indigebant episcoporum delegatione seu licentia ad baptizandum, ut jurisdictione pollerent in subditos, sed, facta parochiarum divisione, parochi habent jurisdictionem a jure, et baptizant ex officio. Hoc prae oculis habendum est, ut textus SS. Patrum intelligantur.

Arg. 1) *S. Ignatius:* «Non licet sine episcopo neque baptizare neque agapem celebrare» [2]. *Constitutiones apostolicae:* «Neque reliquis clericis potestatem baptizandi facimus, nisi tantum episcopis et presbyteris, ministrantibus diaconis» [3]. *Gelasius I:* «Absque episcopo vel presbytero baptizare non audeant (diaconi), nisi praedictis fortasse officiis longius constitutis necessitas extrema compellat» [4].

2) *Concilium florentinum:* «Minister hujus sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare» [5].

3) *Codex Juris Canonici:* «Minister ordinarius baptismi solemnis est sacerdos; sed ejus collatio reservatur parocho vel alii sacerdoti de ejusdem parochi vel Ordinarii loci licentia, quae in casu necessitatis praesumitur» [6].

218. THESIS II. **Minister extraordinarius baptismi solemnis est diaconus, qui de licentia Episcopi loci vel parochi justa de causa concedenda utitur sua potestate.**

Pars 1.ª

Arg. 1) Episcopus in ordinatione diaconi haec verba pronuntiat: «Diaconum enim oportet ministrare ad altare, *baptizare,* et praedicare» [7].

His verbis certe confertur diacono potestas aliqua, quam non habent simplices laici.

---

1 Cfr. **S. Epiphanius,** *De haeresibus,* haer. 42, n. 4; MG **41,** 699; et **Tertullianus,** *De praescript.,* c. 41; ML **2,** 68.

2 *Smyrn.,* 8, 2; MG **5,** 713.

3 *Const. apot.,* lib. 3, c. 11; MG **1,** 788.

4 *Ep. ad episc. Luc.,* c. 7; ML **59,** 51.

5 *Decretum de armenis;* **Denz-Bannw.,** 696.

6 *Codex Juris Canonici,* can. 738, § 1.

7 *Pontificale Romanum,* p. 1, «De ordinatione diaconi».

2) *Codex Juris Canonici* ait: «Extraordinarius baptismi solemnis minister est diaconus» [1].

Pars 2.ª

Minister extraordinarius dicitur, qui licentia episcopi vel parochi indiget ad munus obeundum.

Tertullianus ait: «Dandi quidem (baptismum) habet jus summus sacerdos, qui est episcopus; dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate propter Ecclesiae honorem» [2].

Codex Juris Canonici: «Qui tamen (diaconus) sua potestate ne utatur sine loci Ordinarii vel parochi licentia, justa de causa concedenda, quae ubi necessitas urgeat, legitime praesumitur» [3].

Corollarium. Diaconus itaque, ubi accipit licentiam episcopi vel parochi, potest baptismum solemniter ministrare.

ARTICULUS II

IN CASU NECESSITATIS QUIS VALEAT BAPTIZARE

219. Errores. 1) *Rebaptizantes,* auctore Agrippino episcopo carthaginiensi, docuerunt haereticos, schismaticos et paganos non posse valide conferre baptismum in casu necessitatis, et eos, qui ex haeresi in Ecclesiam venirent, rebaptizandos esse [4].

2) *Calvinus* contendit «perperam fieri, si privati homines baptismi administrationem sibi usurpent... Quod autem multis abhinc saeculis, adeoque ab ipso fere Ecclesiae exordio usu receptum fuit, ut in periculo mortis laici baptizarent, si minister in tempore non adesset, non video, quam firma ratione defendi queat» [5].

220. THESIS. **In casu necessitatis quaelibet persona ratione utens, sive vir sive mulier, potest valide et licite baptizare.** *Est de fide.*

Arg. 1) *Ex conciliis.* Concilium lateranense IV ait: «Sacramentum vero baptismi... a quocumque rite collatum proficit ad salutem» [6]. Concilium florentinum: «In causa autem necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, immo etiam paganus et haereticus, baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae, et facere intendat, quod facit Ecclesia» [7].

2) *Ex SS. Patribus. S. Hieronymus:* «Si necessitas cogit, scimus etiam licere laicis (baptizare)» [8].

3) *Rationes congruentiae* exponit *Angelicus* his verbis: «Ad miseri-

---

[1] *Codex Juris Canonici,* can. 741.
[2] *De baptismo,* c. 17; ML **1,** 1326.
[3] *Codex Juris Canonici,* can. 741.
[4] Cfr. **Druvenius,** *De re sacramentaria,* apud **Migne,** *Cursus completus theologiae,* t. 20, p. 1373 sqq.
[5] *Instit.,* lib. 4, c. 15, n. 20.
[6] *Concil. lat. IV,* cap. 1; **Denz-Bannw.,** 430.
[7] *Decretum pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 696; Cfr. *Codex Jur. Can.,* can. 742, § 1.
[8] *Dial. adv. Lucif.,* n. 9; ML **23,** 173.

cordiam ejus, qui vult omnes homines salvos fieri, pertinet, ut in his, quae sunt de necessitate salutis, homo de facili remedium inveniat... Et ideo... institutum est... ut minister baptismi etiam sit quicumque non ordinatus, ne propter defectum baptismi homo salutis suae dispendium patiatur» [1].

221. Corollarium. Ordinem tamen sequentem inter ministrantes exigit *Rituale Romanum* ad liceitatem: «Si adsit sacerdos, diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico, et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius femina sciret formam vel modum baptizandi» [2].

«Patri aut matri suam prolem baptizare non licet, praeterquam in mortis periculo, quando alius praesto non est, qui baptizet» [3].

Quilibet catholicus praeferendus est semper sub gravi sacerdoti schismatico aut haeretico.

Mortale peccatum est adsumere laicum praesente sacerdote catholico.

ARTICULUS III

QUID DE PATRINIS IN BAPTISMO

222. I. Certum est *ad validitatem* baptismi non esse necessarium adhibere patrinum.

II. Ad liceitatem vero in baptismo solemni sub gravi [4] et in baptismo privato saltem sub consilio unus tantum, sive vir sive mulier, vel ad summum unus et una, adhibeatur.

Hoc constat ex vetustissima consuetudine inde a tempore saltem Tertulliani exsistente [5], et ex praecepto Ecclesiae [6].

Ratio suadet hoc Ecclesiae praeceptum diligenter servare. Sicut enim in generatione carnali parvulus natus indiget nutrice et paedagogo, ita etiam in spirituali regeneratione, quae adsimilatur generationi carnali, «requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis et paedagogi, informando et instruendo eum quasi novitium in fide de his, quae pertinent ad fidem et vitam christianam» [7].

III. Ut quis *valide* sit patrinus, oportet, ut

«1. Sit baptizatus, rationis usum adsecutus et intentionem habeat id munus gerendi».

«2. Ad nullam pertineat haereticam aut schismaticam sectam, nec sententia condemnatoria sit excommunicatus aut infamis infamia juris aut exclusus ab actibus legitimis, nec sit clericus depositus vel degradatus.»

---

1 *III p.*, q. 67, a. 3.
2 *Tit.* 2, c. 1, n. 13.
3 *Codex Juris Canonici*, can. 742, § 3.
4 **S. Alphonsus,** lib. 6, n. 158.
5 *De baptismo*, c. 18; ML **0,** 1330.
6 Cfr. *Codex Juris Canonici*, can. 762, § 1.
7 **S. Thomas,** *III p.*, q. 67, a. 7.

«3. Nec sit pater vel mater vel conjux baptizandi.»

«4. Ab ipso baptizando ejusve parentibus vel tutoribus, aut, his deficientibus, a ministro sit designatus».

«5. Baptizandum in actu baptismi per se vel per procuratorem physice teneat aut tangat, vel statim levet seu suscipiat de sacro fonte aut de manibus baptizantis» [1].

IV. «Ut autem quis *licite* patrinus admittatur, oportet»:

«1. Decimum quartum suae aetatis annum attigerit, nisi aliud justa de causa ministro videatur.»

«2. Non sit propter notorium delictum excommunicatus vel exclusus ab actibus legitimis vel infamis infamia juris, quin tamen sententia intercesserit, nec sit interdictus aut alias publice criminosus vel infamis infamia facti.»

«3. Fidei rudimenta noverit.»

«4. In nulla religione sit novitius vel professus, nisi necessitas urgeat et expressa habeatur venia superioris saltem localis.»

«5. In sacris ordinibus non sit constitutus, nisi accesserit expresa Ordinarii proprii licentia» [2].

V. Tenetur patrinus:

1) In actu collationis baptismi per se vel per procuratorem tangere physice baptizandum, vel saltem immediate post baptismum de sacro fonte levare seu suscipere illum de manu sacerdotis [3], et, ubi agitur de infantibus usu rationis carentibus, nomine eorum respondere sacerdoti, profitendo fidem, abrenuntiando diabolo, et promittendo observantiam mandatorum.

2) *Post baptismum* defectu genitorum instruere baptizatos in fide et moribus vitae christianae, eosque in via salutis dirigere. Apposite ad rem *S. Thomas:* «Qui suscipit aliquem de sacro fonte, adsumit sibi officium paedagogi, et ideo obligatur ad habendam curam de ipso, si necessitas immineret, sicut eo tempore et loco, in quo baptizati inter infideles nutriuntur. Sed, ubi nutriuntur inter catholicos christianos, satis possunt ab hac cura excusari, praesumendo, quod a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum suum modum saluti spiritualium filiorum curam impendere» [4].

VI. **Effectus.** «Cognationem spiritualem contrahunt tantum cum baptizato baptizans et patrinus» [5], etiam in baptismo privato.

---

1 *Codex*, can. 765.
2 *Codex*, can. 766.
3 *Rituale rom.*, tit. II, c. 2, n. 21; *Codex*, can. 765.
4 *III p.*, q. 67, a. 8.
5 *Codex*, can. 768.

QUAESTIO XI

DE SUBJECTO BAPTISMI

ARTICULUS I

UTRUM ET QUIBUS DISPOSITIONIBUS ADULTI BAPTIZANDI SINT

223. Status quaestionis. Adultorum nomine hic veniunt, qui usum rationis adepti sunt. Amentes, etsi provecti, infantibus aequiparantur.

224. THESIS I. **Quilibet homo adultus nondum baptizatus est subjectum baptismi, et tenetur baptizari.**

Arg. 1) Quilibet homo tenetur jure divino, ubi potest, ad corpus Ecclesiae pertinere, ut salutem aeternam possit adipisci. Sed homo per solum baptismum incipit ad corpus Ecclesiae pertinere. Ergo [1].

2) Apostoli receperunt a Christo praeceptum baptizandi omnes gentes .Ergo omnes homines tenentur baptismum suscipere.

225. Corollarium. Dilationem baptismi in adultis merito damnarunt unanimi consensu SS. Patres. «Es extra paradisum, catechumene, ajebat *S. Gregorius nyssenus*, socius exsilii Adae primi nostri parentis. Nunc autem ostio tibi aperto ingredere, unde es egressus, et *ne tardes*, ne, si forte mors inciderit, ea tibi obstruat aditum» [2].

Non tamen est facile determinare, quando urgeat graviter haec obligatio. In genere dicitur illa obligare *quam primum moraliter* fieri potest, sed hoc aliquam latitudinem admittit.

In periculo mortis certe urget sine mora. *Extra periculum mortis* non videtur esse grave peccatum baptismum adultorum per aliquot menses protrahere, imo expedit aliquantulum protrahi, ubi necessitas instructionis conferendae id exigere noscatur. Unde haec obligatio extra periculum mortis urget, quando *digne et convenienter* baptismus conferri potest.

226. THESIS II. **Adulti valide suscipiunt baptismum, si solam habeant intentionem habitualem.**

Arg. 1) *Requiritur intentio saltem habitualis*, quia nemo ratione utens novas obligationes suscipit nec Ecclesiam ingreditur, nisi prius aliquando hoc voluerit. Unde ad valorem baptismi necessaria est in subjecto adulto intentio semel habita et non retractata [3].

2) *Non est necessaria intentio actualis*, tum quia humanae fragilitati

[1] Homo incipit ad animam Ecclesiae pertinere per fidem, spem et caritatem, aliaque dona spiritualia cum voto baptismi.

[2] *De baptismo*, § «Accedit»; MG **46**, 418.

[3] Cfr. **Suarez,** *De baptismo*, disp. 24, sect. 1, n. 5; **Salm. morales,** tr. 2, c. 6, p. 3, n. 40.

est saepe impossibilis; tum quia aliis sacramentis suscipiendis non est necessaria.

3) *Neque est necessaria intentio virtualis*, quia in suscipiendis sacramentis, in quibus subjectum nihil agit, non requiritur intentio virtualis.

227. Corollarium. 1) Quamquam non liceat consensum vi aut metu extorquere, nihilominus consensus ita extortus sufficit ad valorem baptismi, quia est simpliciter voluntarius ac secundum quid involuntarius. Consensus autem simpliciter voluntarius sufficit ad valide recipiendum baptismum. Expresse hoc docuit Innocentius III in epistola «Majores Ecclesiae causas» ad archiepiscopum arelatensem [1].

2) Dormientes et amentes, qui ante somnum vel ante amentiam petierunt baptismum, valide, et, si adsit periculum mortis, licite possunt baptizari, quia habent intentionem habitualem. Non tamen licet eos in somno vel amentia sine necessitate baptizare.

228. THESIS III. **Ad fructuosam baptismi receptionem requiruntur in adulto intentio habitualis, fides recta, et attritio supernaturalis de peccatis personalibus.**

Requiritur:

1) *Intentio habitualis*, sine qua nefas est accedere ad recipiendum baptismum.

2) *Fides recta.* Christus Dominus misit apostolos docere omnes gentes et baptizare. Prius commisit eis docere omnes gentes, ut crederent, deinde baptizare. Unde Philippus exegit fidem ab eunucho, ut baptizaretur, dicens: *Si credis ex toto corde, licet* (baptizare) [2]. Et Christus ait: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* [3]. Ecclesia quoque catechumenos instruit in fide, ut ad baptismum suscipiendum praeparentur.

3) *Attritio supernaturalis de peccatis personalibus.* Hoc diserte docuit S. Petrus, cum judaeis inquirentibus, quid agere deberent, respondit: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum* [4]. Haec attritio «debet esse, ut ajunt *Salmanticenses morales*, supernaturalis actus, absolutus et efficax voluntatis, includens detestationem peccatorum et propositum non peccandi de caetero ex motivo supernaturali, et per auxilium gratiae elicitus» [5].

Dixi *de peccatis personalibus*, quia de peccato originali, quod natura contraximus, non datur attritio nec ullus dolor proprie dictus.

ARTICULUS II

UTRUM INFANTES BAPTIZANDI SINT

229. Status quaestionis. Ex infantibus alii sunt filii catholicorum, alii filii acatholicorum. Non parum interest determinare, qui eorum possint ac debeant baptizari.

---

[1] **Denz-Bannw.**, n. 411.
[2] *Act.*, 3, 37.
[3] *Marc.*, 16, 16.
[4] *Act.*, 2, 38.
[5] *Tract.* 2, c. 6, n. 52.

230. Errores. Plures haeretici, diversis ducti rationibus, docent infantes non esse baptizandos.

1) Novimus ex S. Cypriano Fidum episcopum in Africa, qui, legem circumcisionis baptismo applicans, nolebat infantes baptizare ante octavum a nativitate diem [1].

2) *Anabaptistarum* theoriam exponunt protestantes in *Confessione Augustana* his verbis: «Damnant anabptistas, qui improbant baptismum puerorum, et affirmant pueros sine baptismo salvos fieri» [2].

3) *Michael Servet* abominabatur baptismum puerorum.

4) *Erasmus* permittebat baptizare infantes, sed docebat parvulos sic baptizatos, cum pervenerint ad usum rationis, interrogandos esse, an velint baptismum ratum habere.

5) Juxta modernistas «usus conferendi baptismum infantibus evolutio fuit disciplinaris, quae una ex causis exstitit, ut sacramentum resolveretur in duo, in baptismum scilicet et poenitentiam» [3].

231. THESIS I. **Infantes valide baptizantur ante usum rationis.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Christus expresse ait: *Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos; talium est enim regnum Dei. Amen dico vobis; Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud* [4]. Hinc parvuli possunt ingredi regnum Dei. Sed nemo potest sine baptismo ingredi regnum caelorum. Ergo.

2) *Ex conciliis.* Concilium milevitanum II: «*Quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat... a. s.* [5].

Concilium tridentinum: *Si quis dixerit parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse; ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut praestare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae, a. s.* [6].

3) *Ex traditione.* Sanctorum Patrum una est vox in hac materia. *S. Irenaeus:* «Omnes enim venit (Christus) per semetipsum salvare; omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes, et parvulos, et pueros, et juvenes, et seniores» [7]. *Origenes:* «Ecclesia ab apostolis traditionem suscepit etiam parvulis baptismum dare» [8]. *S. Augustinus,* loquendo de paedebaptismo, ait: «Hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit, hoc a majorum fide percepit; hoc usque in finem perseveranter custodit» [9].

4) *Ratio theologica idem suadet.* Cum enim Deus neminem velit perire, parvulis ante usum rationis decedentibus aliquod remedium praeparavit ad salutem. Nullum autem remedium potest ipsis proficere nisi baptismus, quia ab Adamo descendentes contrahunt peccatum originale, quod ipsis remitti non potest nisi per baptismum. Ergo.

---

1 Cfr. **S. Cyprianus,** *ep.* 59, n. 2; ML **3,** 1050.
2 *Confessio Augustana,* art. 9.
3 Decreto *Lamentabili,* prop. 43; **Denz-Bannw.,** 2043.
4 *Marc.,* 10, 14-15.
5 *Can.* 2; **Denz-Bannw.,** 102.
6 *Sess.* 7, *De baptismo,* can. 13; **Denz-Bannw.,** 869.
7 *Adv. haer.,* lib. 2, c. 22, n. 4; MG **7,** 784.
8 *In ep. ad rom.,* lib. 5, n. 9; MG **14,** 1047.
9 *Serm.* 176, n. 2; ML **38,** 950.

232. THESIS II. **Infantes filii catholicorum debent baptizari, antequam usum rationis adipiscantur.**

I. *Infantes in articulo mortis constitutos omnino baptizandos esse ex se liquet.* Sunt enim in extrema necessitate, in qua lex divina naturalis urget parentes aliosque remedium unicum infantibus applicare.

Hinc quilibet foetus humanus certo animatus absolute, et, ubi dubitatur de ejus vita, sub conditione baptizandus est.

Imo, «si mater praegnans mortua fuerit, foetus quam primum caute extrahatur, ac, si vivus fuerit, baptizetur» [1].

Veteres generatim theologi docuerunt foetum in utero matris nunquam posse baptizari, tum quia, qui nondum natus est, renasci nequit, tum quia corpus infantis, antequam nascatur, non potest ablui [2]; sed, inventis mediis, quibus corpus infantis in utero matris exsistens possit ablui, recentiores exsistimant puerum, cum praevidetur non vivum nasciturum, baptizari posse et debere. Nihilominus S. Congregatio Concilii die 16 Martii 1897, mandavit puerum sic in utero matris baptizatum, si postea vivus nascatur, sub conditione esse rebaptizandum [3].

Caetera de his rebus relinquimus moralistis.

II. *Infantes filii catholicorum extra articulum mortis quamprimum baptizandi sunt, praecepto saltem ecclesiastico* [4].

Cum infantes saepe in tenera aetate periculo mortis exponantur, Ecclesia merito praecipit, ut recenter nati baptizentur. «Opportune parochus, ait *Rituale Romanum*, hortetur eos, ad quos ea cura pertinet, ut natos infantes... quam primum fieri potest,... deferant ad ecclesiam, ne illis sacramentum tantopere necessarium nimium differatur cum periculo salutis» [5]. *Concilium florentinum* docet baptismum puerorum «non esse per quadraginta aut octoginta dies seu aliud tempus... differendum» [6]. Unde *Leo XIII* «abusum s. baptismatis in hebdomadas, in menses, imo et in annos pueris differendi» vocavit «iniquum, ecclesiasticis sanctionibus contrarium, detestabilem, in Deum simul impium ac homines» [7].

Quae dilatio sit in hac materia peccatum mortale non est facile definire. Fortasse non erit peccatum grave dilatio, quae non excedat mensem.

233. THESIS III. **Filii acatholicorum, rationis usu compotes, qui libere baptismum postulant, possunt licite baptizari.**

Arg. Unusquisque, quando rationis usum habet, est sui juris in his, quae sunt de necessitate salutis aeternae, et mediis a Deo designatis tenetur se sanctificare. Unde genitores nequeunt filios a legibus divinis adimplendis avertere. Adest autem lex divina de baptismo suscipiendo.

---

[1] *Rituale rom.*, tit. 2, c. 1, n. 17 (ed. 1917).
[2] Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 68, a. 11.
[3] *Ephem. lit.*, a. 1897, p. 628.
[4] Probari non potest exsistere legem divinam, quae obliget baptizare infantes ante usum rationis extra articulum mortis.
[5] *Tit. II*, c. 1, n. 15.
[6] *Decreto pro jacobistis;* **Denz-Bannw.,** 712.
[7] *Ep. ad episc. anglonen. et tursien.*, 13 Aug. 1899. *Ephem. lit.*, a. 1899, p. 660.

Ergo unusquisque, cum ad usum rationis pervenerit, jure postulat baptismum, etsi genitores ad id sese opponant, et sacerdos potest eum aqua baptismatis regenerare.

Aliquando tamen potest prudenter dilatio suaderi.

234. THESIS IV. **Infantes filii acatholicorum, invito utroque parente, valide, sed extra periculum mortis, quousque eripiantur a potestate parentum, et nisi praevideantur eos fore perpetuo amentes, illicite baptizantur.**

Pars 1.ª Valide baptizantur.

Nota. *Durandus* respondet ad rem: «Si autem parentes infideles talium parvulorum sint liberi, cum parvuli eorum non possint eis licite auferri et alterius curae subjici, viventibus parentibus et invitis, tunc non apparet, quod si tales parvuli de facto baptizentur invitis parentibus, quomodo suscipiant verum sacramentum, quia non concurrit voluntas suscipiendi, nec directa nec interpretativa, quarum tamen altera necessario requiritur» [1].

Sed haec Durandi opinio communiter rejicitur a theologis.

Arg. Baptismus parvulorum non dependet a voluntate parentum, sed, appositis rebus necessariis, quae ad essentiam sacramenti requiruntur, valide confertur. Hinc *S. Augustinus* optime ait: «Non enim scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium vel ministrantium fide; sed: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto*» [2].

Pars 2.ª Extra periculum mortis illicite baptizantur.

Arg. 1) Nunquam habuit Ecclesia consuetudinem baptizandi infantes acatholicorum, invitis parentibus [3]. Ecclesiae autem usus magnam habet auctoritatem in his praesertim, quae pertinent ad administrationem sacramentorum.

2) Cum infantes baptizantur, invitis parentibus, producitur collisio jurium. Parentes enim natura habent jus retinendi apud se filium, et Ecclesia acquirit jus educandi baptizatum. Cui relinquendus erit parvulus? Subtrahi nequit a parentibus, nisi laedantur eorum jura, relinquere eum sub dominio parentum esset traducere baptizatum in apostasiam [4].

Dixi a): *Invito utroque parente.* Si enim alteruter genitorum velit baptizare filium, et adsit fundata spes, ut parvulus non traducatur in errorem, cessat collisio jurium, et potest baptizari infans. Ratio est obvia, quia, consentiente uno parente, eliditur jus paternum, et praevalet jus Ecclesiae.

Accurate tamen examinandum est semper, an propter circumstantias speciales adsit grave periculum perversionis, quo exstante, abstinendum est a baptismo conferendo.

Dixi b): *Extra periculum mortis.* Si enim infans in gravi periculo

---

1 *In IV Sent.*, dist. 4, q. 7, n. 13.
2 *Ep.* 98 *ad Bonifacium*, n. 2; ML **33**, 360.
3 Cfr. **S. Thomas**, *II-II*, q. 10, a. 12.
4 Cfr. **Salmanticenses morales**, tr. 2, c. 6, n. 22.

mortis constituatur, reperitur in extrema necessitate, in qua succurrendum est ipsi contra voluntatem et jus parentum, quia major est necessitas pueri quam jus paternum [1].

Quodsi postea puer invaluerit et supervixerit, per se subtrahendus est a potestate parentum, quia Ecclesia per baptismum jus acquirit illum catholice educandi. In praxi tamen hoc difficile non raro erit ob resistentiam parentum et dispositiones legis civilis.

Dixi c): *Quousque eripiantur a potestate parentum.* Ubi autem infantes jure vel injuria a parentibus subtrahuntur et traduntur tutoribus, qui consentiant in eorum baptismum, possunt baptizari, quia nulla fit injuria parentibus.

Dixi d): *Nisi praevideatur eos fore perpetuo amentes.* Qui enim baptizat perpetuo amentes, succurrit necessitatem patientibus, quin ullam injuriam inferat parentibus, vel baptizatos exponat periculo perversionis.

ARTICULUS III

AN BAPTISMUS ITERARI POSSIT

235. I. *Certe tenendum est baptismum valide collatum nunquam iterari posse.* Est contra marcionitas, qui baptismum semel in infantia et bis in aetate adulta hominibus conferebant [2]; et contra anabaptistas, qui docent homines in infantia baptizatos denuo esse rebaptizandos.

Arg. 1) *Ex concilio tridentino.* «Si quis dixerit verum et rite collatum baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad poenitentiam convertitur, a. s.» [3].

2) *Ex ratione.* Baptismus est regeneratio spiritualis; administratur in similitudinem mortis Christi; imprimit characterem; et confertur praesertim ad delendum peccatum originale. Sed regeneratio spiritualis debet esse una, sicut una est hominis nativitas; baptismus debet esse unus, sicut mors Christi fuit una; sacramenta characterem imprimentia non sunt iteranda; ac tandem remedium peccati originalis nunquam iterandi non est repetendum. Ergo baptismus valide collatus nunquam est iterandus [4].

236. II. *Quoties, peracto examine, adsit prudens dubium de validitate baptismi alicui collati, oportet iterari baptismum sub conditione.*

Ratio est obvia, quia, ubi agitur de validitate sacramentorum, sequenda est opinio tutior.

Dixi *quoties adsit prudens dubium*, quia levis suspicio, timor aut scrupulus praesertim timoratorum, non sufficiunt ad repetendum baptismum sub conditione, sed dubium sive juris sive facti, debet esse fundatum ac rationabile, ut iteretur baptismus.

Ex his infere: 1) Pueri ad valvas ecclesiae vel hospitii expositi

---

[1] *Codex Juris Canonici*, can. 750, § 1.
[2] Cfr. **S. Epiphanius,** *Haer.* 42, n. 3; MG **41,** 699.
[3] *Sess.* 7, can. 11, *De baptismo;* **Denz-Bannw.,** 867
[4] Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 66, a. 9.

baptizandi sunt sub conditione, etiamsi ferant schedulam collo appensam cum declaratione baptismi collati, quia rationabiliter dubitari potest de validitate baptismi a personis incognitis collati [1].

2) Repetendus est baptismus sub conditione, quoties adhibita fuit materia vel forma dubia [2].

3) Rebaptizandi sunt sub conditione infantes, qui apud haereticos vel etiam apud catholicos indifferentes nati sunt, et nullo documento vel testimonio testis fidedigni probari potest eos aliquando fuisse baptizatos.

4) Baptismus ab obstetrice vel a persona laica collatus censendus est certe validus, et, si post maturum examen certo moraliter constet omnia ad baptismum necessaria adhibita fuisse, non est iterandus, sed si, peracto casus examine, rationabiliter suspicetur sacramentum non fuisse rite administratum, renovandus est baptismus. Animadvertendum est personas saeculares, mulieres praesertim, plerumque turbari, cum in casu necessitatis baptismum conferre coguntur [3].

237. III. *Quoad baptizatos ab haereticis* specialis regula data est a S. Congregatione S. Officii his verbis: «In conversione haereticorum a quocumque loco, vel a quacumque secta venerint, inquirendum de validitate baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur in singulis casibus examine, si compertum fuerit aut nullum aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem pro tempore et locorum ratione, investigatione peracta, nihil sive pro validitate, sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de baptismi validitate supersit, tum sub conditione secreto baptizentur. Demum, si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abjurationem seu professionem fidei» [4].

Operae pretium est hic animadvertere in omnibus protestantium sectis, si excipiantur *ritualistae*, dubiam esse administrationem baptismi [5].

QUAESTIO XII

DE EFFECTIBUS BAPTISMI

ARTICULUS I

UTRUM INFANTIBUS ET ADULTIS INFUNDANTUR IN BAPTISMO HABITUS GRATIAE, VIRTUTUM ET DONORUM

238. Status quaestionis. Tum infantes tum adulti possunt valide recipere baptismum. Unde quaerendum est, an omnes recipiant in baptismo habitus gratiae, virtutum et donorum.

---

1 Cfr. **Salmanticenses morales,** tr. 2, c. 6, n. 64.
2 Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 66, a. 9 ad 4.
3 Cfr. **Billuart,** *De baptismo*, diss. 1, a. 5.
4 *Decretum S. Officii*, 20 Nov. 1878; *Acta S. Sedis*, vol. 11, p. 606.
5 Cfr. **Tanquerey,** *De sacramentis*, n. 447.

239. Errores. 1) *Lutherus* ait: «Baptismus neminem justificat, nec ulli prodest, sed fides in verbum promissionis, cui additur baptismus» [1].

2) «Quidam antiqui, ait *Angelicus*, posuerunt, quod pueris in baptismo non dantur gratia et virtutes; sed imprimitur eis character Christi, cujus virtute, cum ad perfectam aetatem venerint, consequuntur gratiam et virtutes» [2].

240. THESIS. **Tum infantibus tum adultis obicem non ponentibus baptismus confert habitus gratiae sanctificantis, virtutum et donorum supernaturalium.** *Est de fide.*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolo teste *salvos nos fecit* (Deus) *per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti... ut justificati gratia ipsius, haeredes simus secundum spem vitae aeternae* [3]. Unde baptismus merito dicitur *regeneratio spiritualis.*

2) *Concilium viennense* in Gallia ait: «Opinionem... quae dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes, tanquam probabiliorem, et dictis sanctorum et doctorum modernorum theologiae magis consonam et concordem, sacro approbante concilio, duximus eligendum» [4].

3) Tum infantes tum adulti per baptismum fiunt membra Christi et acquirunt jus ad vitam aeternam. Sed nemo fit membrum Christi nec acquirit jus ad vitam aeternam nisi per gratiam sanctificantem, quae descendit a Christo capite et nos facit haeredes regni caelorum. Ergo.

Scholion. Fides catholica nos docet contra wiclefistas, lutheranos et calvinistas, per baptismum imprimi characterem in anima, prout declaravimus supra, dum de effectibus sacramentorum.

ARTICULUS II

UTRUM PER BAPTISMUM REMITTANTUR OMNIA PECCATA

241. Status quaestionis. 1) Ex baptizandis alii sunt infantes, alii adulti. Infantes habent solummodo peccatum originale, adulti simul cum originali possunt habere peccata personalia.

2) In peccato duo sunt consideranda, culpa scilicet et poena. De remissione culpae agimus in praesenti, de remissione poenae acturi in articulo sequenti.

3) Quaerimus ergo, an omnia peccata tum originale tum personalia remittantur per baptismum.

242. Error. Novatores saeculi XVI dixerunt peccata non tam remitti quam tegi per baptismum. «Quod ergo, ait *Lutherus*, baptismo tribuitur ablutio a peccatis, vere quidem tribuitur, sed lentior et mollior est significatio, quam ut baptismum exprimat» [5]. Et secunda ejusdem Lutheri pro-

---

1 *De capt. babylon.*, «De sacramento baptismi», § «Ita baptismus».
2 *III p.*, q. 69, a. 6.
3 *Tit.*, 3, 5.
4 *Constitutio* «De summa Trinitate et fide catholica»; **Denz-Bannw.**, 483.
5 *De captivitate babyl., De baptismo*, § «Quod ergo».

positio a Leone X damnata sic se habet: «In puero post baptismum negare remanens peccatum est Paulum et Christum simul conculcare» [1].

243. THESIS. **Per baptismum vere remittuntur omnia peccata tum originale tum personalia baptizati, si baptizatus non ponat obicem.** *Est de fide.*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Princeps Apostolorum Spiritu Sancto repletus ait ad viros israelitas: *Baptizetur unusquisque vestrum... in remissionem peccatorum vestrorum* [2]. Et Ananias dixit Saulo: *Exurge, et baptizare, et ablue peccata tua* [3].

2) *Ex conciliis. Concilium florentinum:* «Hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpae, originalis et actualis» [4].

Concilium tridentinum: «Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam adserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari, a. s.» [5].

3) *Ex SS. Patribus. S. Ambrosius:* «Aqua est ergo, qua caro mergitur, ut omne abluatur carnale peccatum. Sepelitur illic omne flagitium» [6]. *S. Hieronymus:* «Omnia nobis baptismate condonata sunt crimina, nec post indulgentiam judicis metuenda est severitas» [7]. *S. Augustinus:* «Salus ergo hominis in baptismate facta est, quia dimissum est, quod peccati a parentibus traxit, vel quidquid etiam proprie ante baptismum ipse peccavit» [8].

4) *Ex ratione theologica.* Baptizamur in Ecclesia, ut salvi efficiamur, juxta illud S. Petri: *Quod et vos nunc similis formae salvos facit baptisma* [9]. Sed nemo existens in peccato mortali potest salvus fieri, quia nihil inquinatum intrabit in regnum caelorum. Ergo.

244. Scholion. Novatores ex una parte deprimunt et ex altera parte ultra modum extollunt effectus baptismi. *Lutherus* docuit, ut diximus, post baptismum remanere in parvulo peccatum; et deinde ait: «Ita vides, quam dives sit homo christianus sive baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutem suam quantiscumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas. Caetera omnia, si redeat vel stet fides in promissionem divinam baptismo factam, in momento absorbentur per eamdem fidem, imo veritatem Dei» [10]. Unde juxta Lutherum baptismus non remittit peccata

---

1 *Prop.* 2 a Leone X Bulla «Exsurge, Domine», diei 15 Junii 1520 damnata; **Denz-Bannw.,** 742. Lutherus deinde scripsit librum «Adversus exsecrabilem Antichristi Bullam», et in eo adserit hunc articulum esse ab Apostolo traditum.

2 *Act.*, 2, 38.

3 *Act.*, 2, 16.

4 *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 696.

5 *Sess.* 5, can. 5; **Denz-Bannw.,** 792.

6 *De mysteriis*, c. 3, n. 11; ML **16,** 409.

7 *Ep.* 69, *ad Ocean.*, n. 4; ML **22,** 657.

8 *Contra duas ep. pelag.*, lib. 3, n. 5; ML **44,** 591.

9 *I Petri*, 3, 21.

10 *De capt. babyl.*, «De baptismo»; § «Ita vides».

praecedentia, et deinde sola fides promissionum baptismi remittit peccata post baptismum commissa.

Haec doctrina est perniciosissima et habenas laxat vitae christianae. Unde damnata est in concilio tridentino his verbis: *Si quis dixerit baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere, a. s.* [1].

ARTICULUS III

UTRUM PER BAPTISMUM REMITTANTUR OMNES POENAE PRO PECCATIS CORAM DEO LUENDAE

245. In peccato saltem mortali inveniuntur aversio a Deo bono incommutabili et conversio ad creaturas bonum commutabile. Aversioni a Deo debetur poena aeterna, conversioni ad creaturas poena temporalis. Discutiendum est, an hujusmodi poenae remittantur per baptismum.

246. THESIS. **Omnes poenae peccatis tum originali tum personalibus debitae et coram Deo luendae remittuntur per baptismum.**

Arg. 1) Juxta Apostolum *nihil nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu* [2]. Unde concilium tridentinum docet ita baptizatos fieri haeredes regni caelestis, «ut nihil eos ab ingressu caeli remoretur» [3].

2) *Concilium florentinum* ait: «Hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpae originalis et actualis, *omnis quoque poenae*, quae pro ipsa culpa debetur» [4].

3) *Tertullianus:* «Exempto scilicet (per baptismum) reatu, eximitur et culpa» [5].

Dixi: *poenae... coram Deo luendae*, quia poenae temporales criminibus juxta leges humanas in judicio civili debitae non remittuntur per baptismum.

Item poenalitates hujus vitae, quae sunt peccati originalis et actualium consequentiae, ut fames, sitis, aerumnae, concupiscentia, mors, etc., et non tam personam quam totam naturam respiciunt, in hac vita non tolluntur per baptismum, quia non sunt proprie poenae pro peccatis coram Deo luendae, sed consectaria corruptionis naturae, et virtute baptismi tollentur in ultima resurrectione [6].

247. Scholion I. *Lutherus* et post ipsum plures reformatores saeculi XVI non sine fidelium scandalo dixerunt baptizatos fieri solius fidei non universae legis Christi implendae debitores, legibus ecclesiasticis non adstringi, neque votis religiosis coram Deo ligari [7].

---

1 *Sess.* 7, can. 6, *De baptismo;* **Denz-Bannw.,** 862.
2 *Rom.*, 8, 1.
3 *Sess.* 5, § 5; **Denz-Bannw.,** 792.
4 *Decret. pro armenis*; **Denz-Bannw.,** 696.
5 *De baptismo*, c. 5; ML **1,** 1314.
6 Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 69, a. 3; **Salm. morales,** tr. 2, c. 5, n. 25.
7 Cfr. **Lutherus,** *De captiv. babylon.*, «De sacram. baptismi».

Sed haec absurde dicta sunt. Quare concilium tridentinum statuit: *Si quis dixerit baptizatos per baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universae legis Christi servandae, a. s.* [1].—*Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctae Ecclesiae praeceptis, quae vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, a. s.* [2].—*Si quis dixerit ita revocandos esse homines ad baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quae post baptismum fiunt, vi promissionis in baptismo ipso jam factae irrita esse intelligant, quasi per ea et fidei, quam professi sunt, detrahatur et ipsi baptismo, a. s.* [3].

Scholion II. Alii plures effectus non immerito tribuuntur baptismo in traditione christiana. Sic 1) *Cooptat nos et subjicit auctoritati ac jurisdictioni sanctae matris Ecclesiae.* Quare baptismus dicitur janua, qua quis Ecclesiam ingreditur. «Vitae spiritualis, ait concilium tridentinum, janua est; per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae» [4]. 2) *Illuminat baptizatos,* quatenus dicitur sacramentum fidei, quo objecta supernaturalia cognoscimus. 3) *Aperit nobis regnum caelorum,* removendo obstacula, quae nos detinent ab introitu gloriae.

Scholion III. Hic meminisse juvat ea, quae superius diximus, dum de sacramentis in genere, n. 104, baptismum, si quando ficte suscipitur, recedente fictione, reviviscere, ac producere gratiam sanctificantem, necnon remittere peccata cuncta, tum originale, quod contractum est, tum personalia, quae ante baptismum commissa sunt, tum etiam poenas pro ipsis coram Deo luendas [5].

QUAESTIO XIII

DE NECESSITATE BAPTISMI

ARTICULUS I

UTRUM BAPTISMUS SIT AD SALUTEM NECESSARIUS

248. Status quaestionis. 1) Recolenda sunt omnino, quae diximus in *prolegomenis,* n. 12, de necessario ejusque divisione.

2) Necessarium hypotheticum pro salute obtinenda potest esse de *necessitate medii,* quod natura sua vel institutione divina ita est necessarium ad salutem, ut sine eo nequeat salus obtineri, quamvis involuntarie omittatur; sic gratia sanctificans est necessaria ad vitam aeternam; et *de necessitate praecepti,* quod ex voluntate Superioris ita nos obligat, ut sine eo salus obtineri non possit, si voluntarie omittatur,

---

1 *Sess.* 7, can. 7, *De baptismo;* **Denz-Bannw.,** 863.
2 *Sess.* 7, can. 8, *De baptismo;* **Denz-Bannw.,** 864.
3 *Sess.* 7, can. 9, *De baptismo;* **Denz-Bannw.,** 865.
4 *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 696.
5 Cfr. **S. Thomas,** *III p.,* q. 69, a. 10.

bene tamen si involuntarie relinquatur, ut auditio missae in die festo.

3) Aliquid est necessarium ad salutem de necessitate medii in re, ut fides et gratia sanctificans; aliud in voto, ut sacramentum poenitentiae in peccatore.

His praelibatis, facilis est solutio quaesiti.

249. Errores. 1) *Pelagiani*, qui negabant exsistentiam peccati originalis, dixerunt baptismum non esse necessarium ad salutem.

2) *Wiclefistae* pariter et *zwingliani*, diversis ducti rationibus, impugnarunt necessitatem baptismi [1]

3) Juxta Bucerum baptismus non est necessarius ad salutem pro infantibus praedestinatis.

250. Opiniones obsoletae. 1) *Cajetanus*, relata SS. Augustini et Thomae doctrina, qua dicitur nullum esse infantibus remedium ad salutem nisi baptismum re susceptum, addit: «Nec doctrinae huic ex praesenti articulo patenter habitae obstat, si quis diceret tunc salvari parvulos in voto parentum, quo scilicet desiderant eos recipere baptismum: maxime in casu necessitatis» [2].

2) Aliqui recentiores dixerunt infantes, qui in vita baptismo ablui non potuerunt, statim ante mortem votum suscipiendi baptismum emissuros, et gratiam suscepturos, qua adipiscantur salutem [3]; vel in ipsa morte probabiliter liberatum iri a peccato originali [4].

251. THESIS I. **Baptismus re susceptus extra casum martyrii est necessarius necessitate medii ad salutem pro infantibus.**

Arg. 1) *Ex sacra Scriptura.* Servator noster ait apud Joannem: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* [5]. His verbis docemur baptismum esse necessarium pro omnibus, quibus aliunde subveniri non potest. Sed infantibus extra casum martyrii subveniri non potest nisi per baptismum. Ergo.

2) *Ex conciliis. Concilium milevitanum II:* «Parvuli... ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, quod generatione traxerunt» [6]. Concilium florentinum: «Per ipsum membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae. Et, cum per primum hominem mors introiverit in universos, nisi ex aqua et spiritu renascimur, non possumus, ut inquit Veritas, in regnum caelorum introire» [7]. Omnia concilia, cum docent infantes esse baptizandos, semper fundantur in necessitate baptismi ad salutem declarata a Christo in Evangelio.

3) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Noli credere, nec dicere, nec docere infantes, antequam baptizentur, morte praeventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus» [8]. Rursum: «Potest proinde recte dici parvulos sine baptismo de corpore exeuntes in damnatione omnium mitissima futuros. Multum autem fal-

---

1 Cfr. **Bellarminus,** *De sacramento baptismi*, lib. 1, c. 4.
2 *In III p.*, q. 68, a. 2; et *In III p.*, q. 68, a. 11.
3 Ita **Klee,** *Dogm.*, t. 3, p. 160.
4 **Schell,** *Dogmat.*, 479.
5 *Joan.*, 3, 5.
6 *Can.* 2; **Denz-Bannw.,** 102.
7 *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 696
8 *De anima*, lib. 3, c. 9; ML **44,** 516.

lit et fallitur, qui eos in damnatione praedicat non futuros» [1]. «Nulla igitur ex nostro arbitrio, praeter baptismum Christi, salus aeterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura divina, humanis omnibus ingeniis praeferenda» [2].

4) *Ex theologorum auctoritate.* Theologi scholastici hoc constanter docuerunt. Unde *Angelicus:* «Non potest eis (infantibus) alio remedio subveniri nisi per sacramentum baptismi» [3].

5) Hujus doctrinae ratio demonstrativa nulla potest adduci nisi voluntas Dei, quae res ita disposuit, ut nemo nisi per baptismum vel ejus vices supplentia martyrium aut votum, adipisceretur salutem.

Id tamen suadet ratio congruentiae. Nam, sicut generatio naturalis est necessaria ad vitam naturalem, ita regeneratio spiritualis requiritur ad vitam aeternam. Unde baptismus, qui est lavacrum regenerationis spiritualis, necessario requiritur ad vitam aeternam in infantibus, qui nequeunt elicere votum recipiendi baptismum.

Dixi: *Extra casum martyrii*, quia martyrium pro Christo toleratum supplet etiam in parvulis defectum baptismi, sicut dicetur inferius. Unde *S. Augustinus* ajebat: «Nemo fit membrum Christi, nisi aut baptismate in Christo, aut *morte pro Christo*» [4].

252. THESIS II. **Baptismus in re vel in voto est necessarius necessitate medii ad salutem pro adultis.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Dominus Jesus absolute ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* [5].

2) Concilia ex hoc textu deducunt necessitatem baptismi pro omnibus. Unde concilium tridentinum haec habet: «Translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum... post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non potest, sicut scriptum est: *Nisi quis renatus fuerit*, etc. [6].

3) Pius PP. X merito damnavit sequentem modernistarum propositionem: «Communitas christiana necessitatem baptismi induxit, adoptans illum tanquam ritum necessarium eique professionis christianae obligationes adnectens» [7].

253. Corollarium. Hanc necessitatem recipiendi baptismum imposuit Christus, cum declaravit sine baptismo esse impossibile introire in regnum Dei [8], et cum apostolos misit praedicare evangelium omni creaturae et baptizare omnes gentes [9]. Hoc Christi praeceptum obligat

---

1 *De peccatorum meritis et remissione*, lib. 1, c. 16; ML **44,** 120.
2 *De pecc. meritis et remissione*, lib. 1, c. 23; ML **44,** 128. Cfr. **Innocentius I,** *Ep. ad Concil. milev.*, n. 5; ML **20,** 592.
3 *III p.*, q. 68, a. 3. Cfr. **Liberius Jesu,** t. 3, tr. 2, disp. 3, controv. 1.
4 *De anima et ejus origine*, lib. 1, c. 9; ML **44,** 480.
5 *Joan.*, 3, 5.
6 *Sess.* 6, c. 4; **Denz-Bannw.,** 796.
7 Decreto *Lamentabili*, prop. 42; **Denz-Bannw.,** 2042.
8 *Joan.*, 3, 5.
9 *Matth.*, 28, 19.

directe adultos, et indirecte parvulos, quatenus eorum parentes adstringuntur baptismum filiis administrare.

Disputari solet, an etiam lege ecclesiastica teneantur omnes recipere baptismum. Aliqui affirmant. Sed alii cum Salmanticensibus [1] melius docent homines nondum baptizatos non posse lege ecclesiastica ad aliquid obligari. Hoc confirmat concilium tridentinum dicens: «Cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus» [2].

Indirecte tamen lex ecclesiastica obligat tum adultos, quatenus Ecclesia applicat ipsis praeceptum Christi, tum parvulos, quatenus parentes catholicos adstringit baptizare filios.

254. Scholion. *Quandonam inceperit baptismus obligare.*

1) Juxta S. Bernardum aliqui suo tempore docuerunt baptismum obligasse, ex quo Christus dixit Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit*, etc. [3]. Sed hoc sine fundamento dictum est, et communiter docent theologi obligationem baptismi non incepisse ante mortem Christi, in qua consummata sunt omnia Veteris Testamenti praecepta legalia.

2) Alii volunt baptismum obligasse ex eo momento, quo Christus post passionem resurrexit. Ita *S. Thomas, Gabriel a S. Vincentio, Billuart*, et alii [4].

3) Alii dicunt legem baptismi incepisse, cum Dominus post resurrectionem suam misit apostolos docere omnes gentes et baptizare [5]. Ita *Catechismus S. Pii V* et alii [6].

4) Alii denique contendunt baptismum obligasse ex die Pentecostes omnes homines (*Coninch*); vel successive, prout legis promulgatio in dissitis provinciis innotuit hominibus (*Suarez, Katschthaler, Pesch* et alii) [7].

Magis mihi probatur sententia, quae docet obligationem baptismi incepisse statim post mortem et resurrectionem Christi, quando jam consummata et mortua sunt omnia legalia, et mortua est circumcisio.

Angelicus Doctor expresse hanc opinionem tenuit dicens: «Necessitas utendi hoc sacramento indicta fuit hominibus post passionem et resurrectionem; tum quia in passione Christi terminata sunt figuralia sacramenta, quibus succedit baptismus, et alia sacramenta novae legis, tum etiam quia per baptismum configuratur homo passioni et resurrectioni Christi, in quantum moritur peccato, et incipit novam justitiae vitam; et ideo oportuit Christum pati prius et resurgere, quam hominibus indiceretur necessitas configurandi se morti et resurrectioni ejus» [8].

---

[1] **Salmanticenses morales,** tr. 2, c. 5, n. 19.
[2] *Sess.* 14, c. 2; **Denz-Bannw.,** 895.
[3] *Joan.*, 3, 5.
[4] **S. Thomas,** *III p.*, q. 66, a. 2; **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramento baptismi*, disp. 2, q. 7; **Billuart,** *De baptismo*, diss. 1, a. 2, § 2.
[5] *Matth.*, 28, 19.
[6] *Part.* 2, c. 1, n. 21.
[7] **Suarez,** *De legibus*, lib. 10, c. 4, n. 13 sqq.; **Katschthaler,** *De sacramentis*, n. 276 in nota; **Pesch,** *De sacramentis*, n. 417.
[8] *III p.*, q. 66, a. 2.

ARTICULUS II

UTRUM BAPTISMUS SUPPLERI POSSIT TAM IN PARVULIS QUAM IN ADULTIS PER MARTYRIUM

255. Status quaestionis. 1) Martyrium, μαρτυριον, est vox graeca, quae significat *testimonium*, quia qui mortem pro Christo subit, suo sanguine testificatur veritatem suae religionis. Unde martyres recte vocantur *testes*.

Martyrium definitur: *Perpessio mortis vel lethalis cruciatus in odium fidei vel ob exercitium virtutis christianae inflicta et patienter tolerata.* Duo, ut vides, in martyrio consideranda sunt, poena scilicet in odium fidei vel alicujus virtutis christianae inflicta, et actus voluntatis martyris mortem vel lethalem cruciatum tolerantis. Ex parte operis est poena in odium Christi, fidei vel alterius virtutis christianae, inflicta, et dicitur opus operatum a tyranno positum; et ex parte patientis est actus fortitudinis, ut expresse docet *S. Thomas* [1], ac bene probat *Billuart* [2]; et dicitur opus operantis ipsius martyris.

Ex hoc duplici adspectu bene colligit *Gener* [3] duplex esse martyrii genus, adultorum scilicet et infantium.

Ad verum martyrium in adultis requiruntur: 1) *Fides* et *attritio supernaturalis* de peccatis forte commissis. 2) *Acceptatio libera* mortis vel lethalis cruciatus propter Christum vel saltem propter aliquam virtutem christianam sine voluntate se defendendi. 3) *Mors* in odium Christi vel alicujus virtutis christianae illata et revera sequuta [4].

In infantibus sufficit, ut mors a tyranno inferatur in odium Christi vel christianae religionis.

Infantibus aquiparantur perpetuo amentes, qui non aetate sed carentia rationis sunt vere pueri.

Discutiendum hic venit, an martyrium, quod vocatur baptismus sanguinis, suppleat baptismum aquae tam in parvulis quam in adultis.

Martyrium certe non producit characterem sicut baptismus aquae. Quaestio est de remissione culpae ac poenae et de productione gratiae.

256. Errores. *Gnostici* olim et *valentiniani* negarunt quempiam per martyrium purgari a peccatis et salvari, quia martyrium dementiam esse dixerunt non actum virtutis. «Nec simplicitas ista, ajebant, sed vanitas imo dementia (est) pro Deo mori» [5].

257. THESIS I. **In infantibus martyrium supplet baptismum aquae quoad remissionem culpae et poenae.**

Nota. 1) *Armachanus* et *Adrianus* apud Suarez et Tournely [6] dicebant infantes ab Herode propter Christum interfectos non fuisse salvos, nisi prius circumcisionem acceperint.

---

1 *II-II*, q. 124, a. 1 et 2.

2 *De fortitudine*, diss. 1, a. 2.

3 *Theolog. dogm. scholastica*, part. 3, tr. 2, lib. 2, c. 3, § 2.

4 «Martyres non facit poena sed causa». **S. Augustinus,** *Enarrationes in ps.* 34, n. 13; ML **36,** 340.

5 **Tertullianus,** *Adv. gnosticos scorpiace*, c. 1; ML **2,** 146.

6 **Suarez,** *De sacramentis*, disp. 29, sect. 1, n. 3; **Tournely,** *De baptismo*, q. 2, a. 2.

2) *Jacobus de Vitriaco* pariter apud Tournely docuit infantes christianorum, ubi a paganis in odium fidei sine baptismo interficiuntur, non salvari.

3) *Alensis* docet baptismo aquae plures salvari quam baptismo sanguinis, quia ille «plures personas liberat, scilicet parvulos et adultos...; baptismus autem sanguinis liberat paucos, scilicet *adultos*» [1].

Communiter tamen tenent Doctores infantes esse capaces martyrii, et ubi in odium Christi vel religionis christianae necantur, sive fuerint filii catholicorum sive paganorum, justificari ac salvos fieri.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Dominus Jesus ait in Evangelio: *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est... Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam* [2]. Infantes autem, qui occiduntur in odium Christi vel religionis christianae, confitentur Christum coram hominibus. Sic sancti Innocentes ab Herode occisi «non loquendo sed moriendo confessi sunt» [3].

2) *Ex praxi Ecclesiae.* Infantes, qui ab Herode propter Christum occisi sunt, «in honorem martyrum receptos commendat Ecclesia», ut recte ait *S. Augustinus* [4]. Ex infantibus autem, qui occisi sunt ab Herode in Bethlehem et finibus ejus a bimatu et infra, plures certe carebant circumcisione. Nihilominus omnes indiscriminatim colit Ecclesia ut sanctos.

3) *Ex auctoritate S. Thomae.* «Pueri, quamvis liberum arbitrium non habeant, si occidantur pro Christo, in suo sanguine baptizati salvantur» [5].

258. Thesis II. **In adultis pariter martyrium supplet vices baptismi aquae quoad remissionem culpae et poenae.**

Arg. 1) Testimonia S. Scripturae supra allata valent etiam pro adultis. Hi enim, cum sanguine effuso Christum confitentur coram hominibus, merentur, ut Christus eos confiteatur coram Patre suo; et, dum vitam temporalem amittunt pro fide servanda, inveniunt vitam aeternam in caelis fruendam. Unde meritum martyrii commendat Christus dicens: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* [6].

2) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Quicumque etiam non recepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur fonte baptismatis» [7]. *S. Cyrillus hierosol:* «Si quis baptisma non recipiat, salutem non habet, solis martyribus exceptis, qui etiam sine aqua regnum recipiunt» [8]. Unde merito *Innocentius III* repetit in Decretalibus dictum

---

1 *IV p.*, q. 8, m. 9, a. 5.
2 *Matth.*, 10, 32 sqq.
3 *Breviarium rom.*, orat. Sanctorum Innocentium.
4 *De libero arbitrio*, lib. 3, c. 23, n. 68; ML **32,** 1204.
5 *In IV Sent.*, dist. 4, q. 3, a. 3, sol. 3 ad 1.
6 *Joan.*, 15, 13.
7 *De civ. Dei*, lib. 13, c. 7; ML **41,** 381.
8 *Catech.* 3, n. 10; MG **33,** 440.

S. Augustini: «Injuria est pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari» [1].

Dices. Angelicus Doctor, loquendo de martyrio, ait: «Effusio sanguinis non habet rationem baptismi, si sit sine caritate» [2]. Sed caritas per se remittit culpam. Ergo martyrium non supplet vices baptismi quoad remissionem culpae.

Resp.—*Dist. ant.* Effusio sanguinis seu martyrium non habet rationem baptismi, si sit sine caritate, sive praecedente sive in ipso martyrio a Deo communicata, *conc.;* sine caritate praecedente actum martyrii, *neg.* Ultro concedimus in martyrio gratiam habitualem et caritatem a Deo infundi, sed haec caritas non praecedit semper actum martyrii, sed ipsa sanguinis effusione a Deo communicatur animae, martyrio vices baptismi supplente.

259. Scholion. *An martyrium suppleat vices baptismi in infantibus et adultis ex opere operato vel ex opere operantis.*

Dupliciter potest intelligi per aliquod opus gratiam conferri ex opere operato: 1) Ex opere operato *active*, quatenus in opere est transeunter aliqua virtus instrumentalis activa, ut in sacramentis novae legis, est virtus instrumentaliter producens gratiam ex opere operato active. 2) Ex opere operato *passive*, quatenus ad positionem operis Deus infallibiliter confert animae gratiam, suppositis dispositionibus subjecti, quamvis independenter a merito suscipientis, ut diximus Deum in circumcisione Veteris Testamenti eam conferre solitum fuisse pueris judaeorum.

Hoc ita praelibato, mihi probatur sententia, quae docet martyrium supplere vices baptismi tam in infantibus quam in adultis ex opere operato, non active, sed passive, quoad remissionem culpae et poenae.

Hanc sententiam probant sequentia argumenta:

1) *S. Cyprianus* diserte ait: «Numquid potest vis baptismi esse major aut potior, quam confessio, quam passio, ut quis coram hominibus Christum confiteatur et sanguine suo baptizetur?» [3]. Baptismus autem est efficax ex opere operato.

2) *S. Thomas:* «Baptismus sanguinis non habet hoc (efficaciam ad liberandum hominem a culpa et poena) tantum ex opere operante, neque quantum ad poenam, qua aliquis martyrium excipit; quam contingit non esse sufficientem ad satisfaciendum pro peccato; neque quantum ad devotionem justae voluntatis; quia contingit, quod voluntate majori caritate informata aliquis sine martyrio non potest ab omni poena liberari, sed hoc habet ex imitatione passionis Christi» [4].

3) Martyrium in infantibus est certe efficax ex opere operato, quia infantes non habent merita operantis. Ergo est etiam efficax in adultis. Non enim potest rationabiliter supponi martyrium esse inefficacius in adultis quam in infantibus.

---

[1] *In III Decret.*, tit. 41, c. 6, § 2. **S. Augustinus,** *Serm.* 159, c. 1; ML **38,** 868.

[2] *III p.*, q. 66, a. 12 ad 2.

[3] *Ep. 73 ad Jubajanum,* n. 21; ML **3,** 1168.

[4] *In IV Sent.*, dist. 4, q. 3, sol. 3 ad 1. Rursum: «Passio pro Christo suscepta... obtinet vim baptismi; et ideo purgat ab omni culpa et veniali et mortali, nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhaerentem». *III p.*, q. 87, a. 1.

260. Corollaria. Ex dictis facile deducuntur quaedam corollaria scitu digna:

1) Martyrium in infantibus certe supplet vices baptismi et remittit ex opere operato peccatum originale quoad culpam et poenam.

2) Martyrium in adultis, absolute loquendo, id est, ubi adhibentur omnes dispositiones ad verum martyrium requisitae, supplet vices baptismi fluminis, et remittit peccatum originale, necnon peccata actualia tum mortalia tum venialia, quoad omnem culpam et poenam, adeo ut animae martyrum Novi Testamenti immediate post mortem in caelum conscendant.

3) *Quoad dispositionem peccatoris*, ut martyrium remittat peccata et conferat peccatori gratiam sanctificantem, non est una Doctorum sententia, sed multo probabilior est doctrina, quae tenet contritionem perfectam non esse necessario praemittendam, sed requiri et sufficere attritionem supernaturalem [1].

S. Thomas diserte adserit martyrium purgare animam ab omni culpa et veniali et mortali, nisi invenerit voluntatem peccato actualiter inhaerentem [2]. Ut autem voluntas non sit peccato actualiter inhaerens, requiritur et sufficit attritio supernaturalis. Hinc non est ad hoc necessaria contritio perfecta, qua sine martyrio remittitur peccatum et confertur gratia, sed requiritur attritio supernaturalis, qua voluntas detestatur peccata.

4) Dixi martyrium habere efficaciam ex opere operato, non active sed passive, quoad remissionem culpae et poenae, quia solum in sacramentis, quae conferuntur a ministro nomine Christi, invenitur virtus instrumentalis activa ad producendam gratiam active. Martyrium e contra, a tyranno illatum, non habet virtutem instrumentalem activam transeuntem ad producendam gratiam, sed ad ejus positionem Deus confert gratiam, et remittit peccata quoad culpam et poenam.

ARTICULUS III

UTRUM BAPTISMUS FLAMINIS SEU PERFECTA CARITAS SUPPLEAT BAPTISMUM AQUAE QUOAD REMISSIONEM CULPAE ET COLLATIONEM GRATIAE.

261. Status quaestionis. 1) Baptismus flaminis dicitur ab amoris igne, quem accendit Spiritus Sanctus in corde per contritionem perfectam.

Porro contritio, quae est dolor de peccatis commissis, est duplex; una imperfecta, qua detestamur peccata commissa ob rationes inferiores, id est, non ob offensam Deo summe bono ac perfecto illatam, sed propter foeditatem peccati, ob amissam beatitudinem, etc., et dicitur

---

[1] **Suarez** expresse docet hominem, qui est in peccato mortali, instante martyrio teneri, per se loquendo, praemittere contritionem perfectam, sed aliquando sufficere attritionem «saltem ex accidente seu intercedente bona fide per ignorantiam probabilem juris aut facti». *De sacramentis*, disp. 29, sect. 3, nn. 8-9.

[2] *III p.*, q. 87, a. 1 ad 2.

attritio; alia peffecta, qua detestamur peccata, quatenus sunt offensa Dei summe boni ac perfecti, et vocatur *contritio.*

2) Attritio, quae dicitur contritio imperfecta, non habet efficaciam ad remittenda peccata et producendam gratiam, ut omnes facile concedunt.

3) Contritio perfecta, sicut in adultis baptizatis supponit votum confitendi peccata, ita in adultis non baptizatis includit desiderium et votum recipiendi baptismum.

4) Hinc quaeritur, an contritio perfecta cum voto recipiendi baptismum aquae, quae vocatur baptismus flaminis, suppleat vices baptismi fluminis quoad remissionem peccatorum et productionem gratiae.

262. Error. Bajus docuit caritatem perfectam et sinceram, tam in catechumenis quam in poenitentibus posse esse sine remissione peccatorum [1].

263. Opinio singularis. *Estius* dixit «neque ordinarie neque frequenter, ac multo minus semper, sed raro fieri, ut ante actualem sacerdotis absolutionem peccator sit absolutus coram Deo» per contritionem [2]. Voluit tamen aliquando hoc contingere posse, ut in articulo mortis, cum sacerdos haberi non potest; cum petitio absolutionis esset scandali aut alterius peccati incurrendi occasio, difficultas adeundi opportuno tempore confessarium, etc.

264. THESIS. **Contritio perfecta, quae est cum caritate perfecta, supplet baptismum aquae quoad remissionem peccatorum et productionem gratiae.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Christus Dominus ait discipulis in sermone: *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum* [3]. In contritione autem perfecta includitur dilectio Dei super omnia. Ergo, qui emittit actum perfectum contritionis et caritatis, diligitur a Deo et sanctificatur.

2) *Ex concilio tridentino.* «Etsi contritionem hanc, ait, aliquando caritatem perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam» [4].

3) *Ex doctrina Ecclesiae.* S. Pius V damnavit sequentem Baji propositionem: «Caritas perfecta et sincera, quae est *de corde puro et conscientia bona* et fide non ficta (I Tim., 1, 5), tam in catechumenis quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum» [5].

4) *Ex S. Augustino.* «Invenio, inquit, non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex baptismo deerat, posse supplere; sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non possit» [6].

265. Corollarium. Ex his facile colligitur contritionem perfectam

---

1 *Prop.* 31 damnata a Pio V, 1 Oct. 1567; **Denz-Bannw.,** 1031.
2 *In IV Sent.*, dist. 17, § 2.
3 *Joan.*, 14, 21.
4 *Sess.* 14, c. 4; **Denz-Bannw.,** 898.
5 **Denz-Bannw.,** 1031.
6 *De baptismo,* lib. 4, c. 22; ML **43,** 173.

semper producere gratiam sanctificantem in anima, adeo ut contritio perfecta informis non sit possibilis. Contritio siquidem perfecta, licet non parum distinguatur a conceptu caritatis, secum tamen fert amorem caritatis. Caritas autem, qua Deus diligitur super omnia, nequit compati in eodem subjecto cum peccati culpa gravi.

266. Scholion I. *De voto seu desiderio baptismi, quod includitur in contritione perfecta.*

Non parum disputatum est inter theologos circa naturam hujus voti.

Magister Cano opinatur contritionem perfectam cum voto implicito baptismi sufficere ad remissionem peccatorum, sed ad salutem aeternam consequendam requiri contritionem perfectam cum voto explicito [1]. Sed haec distinctio vix concipitur in tanto viro. «Hanc... theologiam, ait *Soto*, ut exilitatem ingenii mei ingenue fatear, persuadere mihi nunquam potui» [2].

Verius, ut reor, dicitur contritionem cum voto implicito baptismi recipiendi sufficere ad gratiam et salutem aeternam consequendam. Hoc expresse docuit *Angelicus* dicens: «Remissionem peccatorum aliquis consequitur ante baptismum, secundum quod habet baptismum in voto, vel explicito vel implicito» [3].

267. Scholion II. Discutitur hic, an contritio perfecta, sicut remittit culpas et confert gratiam, extinguat pariter poenam peccatis debitam.

Ad quod dicendum est cum Angelico Doctore non totam poenam peccatis debitam extingui per contritionem sed partem tantum, majorem vel minorem, secundum quod fuerit major vel minor intensio doloris ac caritatis. «Cum realiter suscipit baptismum, ait *S. Thomas*, fit plenior remissio, quantum ad liberationem a tota poena» [4].

---

[1] *Relectio de poenitentia*, p. 5, concl. 3.
[2] *In IV Sent.*, dist. 5, q. un., a. 2, § «Hanc autem».
[3] *III p.*, q. 69, a. 2 ad 2. Cfr. **Salmanticenses**, *De poenitentia*, disp. 4, n. 14.
[4] *III p.*, q. 69, a. 2 ad 2.

SECTIO III

DE CONFIRMATIONE

QUAESTIO XIV

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS SECUNDUM SE

ARTICULUS I

UTRUM CONFIRMATIO SIT VERUM SACRAMENTUM

268. I. **Nomina confirmationis.** Confirmatio saepe ab antiquis a materia remota vocari consuevit *chrisma*, et a graecis μυρον, id est *unguentum;* a materia proxima *unctio* vel etiam *impositio manuum;* et ab effectibus *signaculum, sigillum* et *confirmatio*, quia per confirmationem roboramur et quasi ratificamur in fide.

269. II. **Definitio.** Confirmatio recte definitur: *Signum sensibile, quo baptizatus a legitimo ministro per chrismationem et manuum impositionem sub praescripta verborum forma in gratia roboratur et ut miles Christi signatur.*

270. III. **Errores.** 1) De novatianis ait *Theodoretus:* «Iis, quos baptizant, sanctissimum chrisma non praebent» [1]. Ex hoc loco aliqui negligentiam in administranda confirmatione alii haeresim in ejus admissione novatianis impingunt.

2) *Albigenses* dicuntur confirmationem rejecisse. Ad eos referri videntur haec Alani de Insulis verba: «Sunt etiam haeretici, qui derogant aliis quibusdam sacramentis, ut confirmationi, ordini et extremae unctioni. Dicunt enim nullam esse virtutem sacramenti confirmationis, cum nec in Evangelio, nec in aliis libris Novi Testamenti legatur esse instituta a Christo vel ab ejus discipulis» [2].

3) *Novatores* pariter negant confirmationem esse sacramentum. *Lutherus* ait: «Nihil legimus Christum uspiam de confirmatione promisisse... Quare satis est pro ritu quodam ecclesiastico seu caeremonia sacramenti confirmationem habere, similem caeteris caeremoniis consecrandae aquae aliarumque rerum» [3]. *Melanchthon:* «Ritus confirmationis, quem nunc episcopi retinent, quid est nisi inanis umbra?» [4]. *Calvinus:* «Posterior autem

---

1 *Haereticarum fabularum comp.*, lib. 3, § 6; MG **83,** 407.
2 *Contra haereticos*, lib. 1, c. 66; ML **210,** 369.
3 *De capt. babyl.*, «De confirmatione»; § «Nos autem».
4 *Loci communes*, «De confirmatione et unctione;» § «Sed ritus».

aetas, re prope obliterata, fictitiam nescio quam confirmationem pro Dei sacramento posuit» [1].

4) *Antonius de Dominis* denique adseruit: «Neque in Evangelio ullus est locus, qui vel a longe innuat hanc institutionem et mandatum de danda confirmatione» [2].

271. THESIS. **Dogma catholicum est confirmationem esse verum Novae Legis sacramentum a Christo Domino institutum.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Nonnulli veteres theologi, ut *Alensis, Scotus, Biel,* et alii [3], censuerunt hanc doctrinam ex sacris litteris probari non posse, sed recentiores, re melius pensata, unanimiter tenent argumentis S. Scripturae efficaciter probari confirmationem esse verum sacramentum.

In Actibus Apostolorum legitur: *Cum audissent apostoli, qui erant Hierosolymis, quod Samaria recepisset verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem, qui, cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Jesu. Tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum* [4]. Rursum: *His auditis, baptizati sunt (ephesii) in nomine Domini Jesu. Et, cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos* [5].

Communiter docent hodie theologi in his locis agi de confirmatione, et designari omnia, quae sunt necessaria ad verum sacramentum. Est enim a) *signum sensibile,* manuum scilicet impositio; b) *causativum gratiae,* quatenus confert Spiritum Sanctum; c) *a Christo institutum,* quia a nemine potest institui signum conferens gratiam.

2) *Ex concilio tridentino.* Solemnem de hoc definitionem edidit concilium tridentinum his verbis: *Si quis dixerit confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse, et non potius verum et proprium sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quamdam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant, a. s.* [6]. Unde merito reprobata est sequens modernistarum propositio: «Nihil probat ritum sacramenti confirmationis usurpatum fuisse ab apostolis; formalis autem distinctio duorum sacramentorum, baptismi scilicet et confirmationis, haud spectat ad historiam christianismi primitivi» [7].

3) *Ex SS. Patribus. Tertullianus* certe distinxit confirmationem a baptismo, cum dixit per aquam nos «emundari», et Spiritui Sancto praeparari». «Egressi de lavacro perungimur benedicta unctione... Carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit, quomodo et ipsius ba-

---

[1] *Institutiones,* lib. 4, c. 19, n. 5.

[2] *De Republica ecclesiastica,* lib. 5, c. 5, n. 7.

[3] **Alensis,** *IV p.,* q. 9, m. 1; **Scotus,** *In IV Sent.,* dist. 7, q. 1, «Supponitur»; **Biel,** *In IV Sent.,* dist. 7, a. 1.

[4] *Act.,* 8, 14 sqq.

[5] *Act.,* 19, 5 sqq.

[6] *Sess.* 7, can. 1, *De confirmatione;* **Denz-Bannw.,** 871. *Concilium eliberitanum,* a. 305, can. 38 et 77, praecipit, ut baptizati in necessitate, imo et baptizati a diacono, ad episcopum deferantur ad manus impositionem»; **Mansi,** 2, 12. Et *Concilium laodicenum,* a. 320, can. 48: «Oportet eos, qui illuminantur, post baptisma inungi supercaelesti chrismate et esse Christi participes»; **Mansi,** 2, 572.

[7] Decreto *Lamentabili,* prop. 44; **Denz-Bannw.,** 2044.

ptismi carnalis usus, quod in aqua mergimur; spiritualis effectus, quod delictis liberamur. Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans et invitans Spiritum Sanctum» [1].

S. Cyprianus: «Quia (samaritani) legitimum et ecclesiasticum baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat; sed tantummodo, quod deerat, id a Petro et Joanne factum est, ut oratione pro iis habita et manu imposita invocaretur et infunderetur super eos Spiritus Sanctus (*Act.*, 8, 14 sqq.); quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, et per nostram orationem ac manuum impositionem Spiritum Sanctum consequantur, et signaculo dominico consummentur» [2].

S. Hieronymus adserit «hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe a majoribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem Sancti Spiritus manus impositurus excurrat» [3].

S. Augustinus: «In hoc unguento sacramentum chrismatis vultis interpretari; quod quidem genere visibilium signaculorum sacramentum est, sicut ipse baptismus» [4].

In sacramentario Serapionis habetur oratio pro consecrando chrismate confirmationis, qua Deus invocatur, ut dignetur operari in oleo «operationem divinam ac caelestem, ut baptizati et uncti... tanquam regenerati ac renovati per lavacrum regenerationis, ipsi quoque participes fiant doni Spiritus Sancti, et hoc sigillo confirmati permaneant stabiles et immobiles» [5].

Qui alia velit SS. Patrum testimonia, adeat Vitasse [6].

Frustra conatur *Antonius de Dominis* probare haec SS. Patrum effata referri ad ritum baptismi, in quo etiam fit chrismatis unctio.

Sancti etenim Patres in praefatis et aliis testimoniis tria docent, scilicet: 1) in chrismatione et manuum impositione, de qua loquuntur, infundi gratiam et Spiritum Sanctum ad robur, quod non fit in ritu superaddito ad baptismum; 2) chrismationem et manuum impositionem fieri super baptizatos ac liluminatos; in ritu autem baptismi post infusionem aquae non fit manuum impositio; 3) ministrum hujus chrismationis et manuum impositionis esse solum episcopum, dum minister baptismatis non est solus episcopus.

272. Scholion. *De tempore institutionis hujus sacramenti.*

Cum auctor omnium sacramentorum fuerit Christus, ut probavimus superius, certum est hoc sacramentum fuisse immediate a Christo institutum, sed quando fuerit institutum, non certo constat.

---

1 *De baptismo*, cc. 6-7; ML **1,** 1314 sqq.
2 *Ep. 73 ad Jubaianum*, n. 9; ML **3,** 1160.
3 *Adv. lucif.*, n. 9; ML **23,** 172.
4 *Contra litt. Petiliani*, lib. 2, c. 104; ML **43,** 342.
5 **Funk,** *Didascalia apost.*, II, 186.
6 *De confirmatione*, p. 1, q. 1, c. 1 sqq. Praecipue consulendi sunt: **S. Irenaeus,** *Adv. haer.*, lib. 1, c. 21, nn. 3-4; MG **7,** 663 sqq.; **S. Clemens alex.,** *Strom.*, lib. 2, c. 3; MG **8,** 942; **Hippolythus,** *Fragmenta in Dan.*, 1, 18; MG **10,** 694; Auctor **S. Ambrosius,** *De sacramentis*, lib. 3, c. 2; ML **16,** 443; *De mysteriis*, c. 6; ML **16,** 415; **S. Augustinus,** *Contra litt. Petiliani*, lib. 2, c. 104; ML **43,** 342; **S. Basilius,** *De Sp.*

1) *S. Thomas* ait: «Christus hoc sacramentum instituit, non exhibendo sed promittendo secundum illud: *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*» [1]. Promissio Spiritus Sancti juxta Victoriam [2] fuit institutio confirmationis.

2) *Sotus* et alii [3] putaverunt Christum in ultima coena expresisse hanc promissionem. Unde Catechismus S. Pii V quidam epistolae, quae S. Fabiano Papae tribuitur, innixus, adserit Christum in ultima coena docuisse apostolos modum conficiendi chrisma, sed alii merito animadvertunt praedictam epistolam ad falsas decretales pertinere.

3) Melius igitur dicendum videtur Christum instituisse sacramentum confirmationis post suam a mortuis resurrectionem, quando per dies quadraginta apparens discipulis saepe locutus est de regno Dei.

4) Nunquam tamen Christus in vita, neque apostoli ante diem Pentecostes administrarunt hoc sacramentum, quidquid in contrarium dicat *Bachonus* [4], quia, ut bene arguit *S. Thomas* [5], in confirmatione datur plenitudo Spiritus Sancti, quae non debuit dari ante solemnem Spiritus Sancti adventum.

ARTICULUS II

DE MATERIA CONFIRMATIONIS

273. 1) Ut ex generali notione materiae et formae sacramentorum constat, materia in quolibet sacramento est illa res (materia, caeremonia vel actio), quae per formam determinatur, atque cum forma constituit compositum, quod dicitur sacramentum, et significat gratiam.

Cum in administratione confirmationis simul cum forma adhibeantur chrisma, chrismatio, et impositio manuum, non parum disputatur, quaenam eorum sit materia essentialis hujus sacramenti.

2) S. Lucas in *Actibus Apostolorum* solum meminit impositionis manuum [6], sed S. Joannes et S. Paulus loquuntur de unctione, ut de signo gratiae [7].

Sancti Patres saepe nominant tum *manuum impositionem*, tum *chrisma*, tum *unctionem*.

3) Quod ad praxim attinet, Ecclesia graeca solummodo adhibet unctionem, dum Ecclesia latina inter ungendum adhibet manuum impositionem [8].

Haec cum ita sint, plures excogitati sunt a theologis dicendi modi.

Sancto, c. 27; MG **32,** 187; **S. Chrysostomus,** *In Actus Ap.*, hom. 18, n. 3; MG **60,** 144; **S. Cyrillus hieros.,** 3 *mystag.*; MG **33,** 1090.

[1] *III p.*, q. 72, a. 1 ad 1.

[2] *De sacramento confirmationis*, in principio.

[3] *In IV Sent.*, dist. 7, q. un., a. 1.

[4] *In IV Sent.*, dist. 7, q. 1, a. 1.

[5] *III p.*, q. 72, a. 1 ad 1.

[6] *Act.*, 8, 17; et 19, 6.

[7] *I Joan.*, 2, 27; *II Cor.*, 1, 21-22; **Cornely** negat hunc locum ad confirmationem referri. *Comm. ad II Cor.*, 1, 21.

[8] Cfr. *Revue d'Histoire Ecclesiastique*, 1912, p. 257 et 467 sqq.

274. Placita theologorum. 1) Aliqui dixerunt materiam confirmationis esse solam manuum impositionem, quae chrismationem praecedit, quaeque fit, dum dicitur: «Omnipotens sempiterne Deus». Ita *Aureolus, Habert, Sirmondus*, et alii [1]. Addidit Sirmondus unctionem esse caeremoniam accidentalem ab Ecclesia pro majori solemnitate introductam.

Hanc opinionem hodie omnes merito rejiciunt. S. Congregatio de Propaganda Fide die 6 Augusti 1840 declaravit confirmationem, in qua prima manuum protensio omissa fuerat, «non esse repetendam sub conditione» [2].

2) Alii docent solam unctionem esse materiam essentialem sacramenti confirmationis. Ita *Durandus, Sotus, Bellarminus*, et alii [3]. Ubi autem eis objicitur apostolos administrasse confirmationem sola manuum impositione, respondet *Valentia* [4] ex Waldensi sententia apostolos adhibuisse tum manuum impositionem, tum chrismationem, illam tanquam meram caeremoniam, istam vero ut materiam essentialem.

3) Nonnulli insinuarunt tum manuum impositionem sub oratione «Omnipotens, sempiterne Deus» tum unctionem seorsim esse materiam essentialem confirmationis, adeo ut una vel altera sufficiat. Pro hac sententia referuntur *Tapper, Morinus, Mayer*, etc. In hac sententia non videtur quilibet episcopus habere facultatem eligendi unam vel alteram ex his materiis pro administranda confirmatione, sed, supposita designatione materiae in genere a Christo, Ecclesiae datam fuisse facultatem eligendi ad libitum manuum impositionem vel unctionem, vel, ut admittit *Estius* [5], facultatem eligendi manuum impositionem pro uno tempore et unctionem pro caeteris temporibus tanquam materiam validam confirmationis [6].

4) Alii denique multo probabilius et hodie multo communius tenent chrismationem una cum manuum impositione esse materiam confirmationis, adeo ut chrismatio et manuum impositio, quae simul fiunt, constituant materiam essentialem hujus sacramenti. Ita *Guillermus Parisiensis, S. Thomas*, et recentiores communiter [7].

275. THESIS. **Materia confirmationis est chrismatio simul cum manuum impositione episcopi.**

Arg. 1) Confirmatio in veteri traditione aliquando chrismatio, interdum vocabatur manuum impositio, non quod una tantum earum fuerit materia hujus sacramenti, sed quod totum sacramentum nomine partis per synecdochen non raro exprimeretur. Sanctus Lucas manuum impositionem tantum nominat [8], dum *S. Theophilus, Tertullianus, S. Cyprianus* et alii eam vocant unctionem [9]. Omnes tamen videntur idem sacramentum designare. Quare plures SS. Patres, utrumque modum complecti volentes, unctionem saepe simul cum manuum impositione expresserunt. Auctor *Exegesis in psalmorum librum* inter opera S. Bedae ait: «Illa unctio, quae per manus impositionem ab episcopis (fit)...

---

[1] **Aureolus,** *In IV Sent.*, dist. 7, q. 1; **Habert,** *In notis ad Euchologium graecorum;* **Sirmondus,** *in utroque antirrhetico.*

[2] *Collectanea*, 905.

[3] **Durandus,** *In IV Sent.*, dist. 7, q. 2; **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 7, q. un., a. 2; **Bellarminus,** *De sacramento confirmationis*, c. 8.

[4] *In III p.*, disp. 5, q. 1, p. 1 «Itaque».

[5] *In IV Sent.*, dist. 7, § 7.

[6] Cfr. **Van Noort,** *De sacramentis*, n. 250.

[7] **Guillermus Parisiensis,** *De sacramento confirmationis*, versus finem; **S. Thomas,** *III p.*, q. 72, a. 2; et *In ep. ad Hebr.*, c. 6, lect. 1.

[8] *Act.*, 8, 12 sqq.; et *Act.*, 19, 6.

[9] **S. Theophilus,** *Ad Autolyc.*, lib. 1, n. 12; MG **6,** 1041; **Tertullianus,** *De baptismo*, c. 7; ML **1,** 1315; **S. Cyprianus,** *Ep.* 73, n. 9; ML **3,** 1160.

vulgo confirmatio dicitur»[1]. Et *Rabanus Maurus* addit: «Potestas et privilegium apud solum episcopum constat, quod sacrum chrisma ipse conficiat, et baptizatum per manus impositionem cum ipso chrismate consignet»[2].

2) *Benedictus XIV* expresse docet manuum episcopi impositionem fieri in ipsa unctione, «cum sine admotione atque impositione manus inungi nequeat illius frons, qui confirmatur»[3]. Non autem prima manus extensio versus confirmandos, dum primas recitat preces, est proprie manus impositio.

3) *S. Thomas* in III parte solum docet chrisma esse materiam convenientem non unicam confirmationis, et complendus esse videtur ex his, quae tradidit in commentariis ad hebraeos[4].

276. Corollarium. Ex hoc sequitur unctionem simul et manuum episcopi impositionem esse adeo essentialem ad validitatem sacramenti confirmationis, ut, si alterutra desit, non conficiatur sacramentum. Ubi fit chrismatio, nequit deesse manuum impositio, quia omnis inunctio est simul manus impositio. Sola autem manuum impositio non conficit sacramentum.

277. Scholion. Plura restant adhuc singillatim consideranda et explicanda circa materiam confirmationis. Speciali explicatione indigent chrisma, unctio et manuum impositio.

1) **Chrisma.** Chrisma, quod a concilio florentino vocatum est materia confirmationis[5], et a theologis communiter dictum est materia remota, est *oleum olivarum balsamo commixtum et ab episcopo benedictum.*

a) *Oleum olivarum.* De necessitate sacramenti oportet esse oleum ex olivis expressum. Caetera enim liquida, ut petroleum, oleum amigdalarum, etc., quae ob similitudinem nomen olei in commercio obtinent, non sunt proprie oleum.

b) *Balsamo commixtum.* Concilium florentinum ait ad rem: «Materia (confirmationis) est chrisma, confectum ex oleo... et balsamo... per episcopum benedicto»[6]. Rationem convenientiae hujus commixtionis reddit *Angelicus* dicens: «Admiscetur autem balsamum propter fragrantiam odoris, quae redundat ad alios»[7].

Non parum disputant theologi, an balsamum de necessitate sacramenti vel de necessitate praecepti tantum sit oleo adhibendum.

Plures iique eximii theologi docuerunt balsamum de necessitate sacramenti esse adhibendum oleo, ut fiat verum chrisma. Ita *Bellarminus, Suarez, Berti, Sylvius, Liberius a Jesu, Lehmkuhl* et alii bene multi[8].

---

[1] *In psalm. lib. Exegesis,* ps. 26, v. 1; ML **93,** 614.
[2] *De clericorum institutione,* lib. 1, c. 28; ML **107,** 313.
[3] *De synodo dioecesana,* lib. 13, c. 19, § 16.
[4] Cfr. **Bulsano,** § 557, n. 2.
[5] *Decreto de armenis;* **Denz-Bannw.,** 697.
[6] *Decreto de armenis;* **Denz-Bannw.,** 697.
[7] *III p.,* q. 72, a. 2.
[8] **Bellarminus,** *De sacramento confirmationis,* c. 8; **Suarez,** *De sacramentis,* disp. 33, sect. 1, n. 10; **Berti,** *De theologicis disciplinis,* lib. 32, c. 5, § 3; **Sylvius,** *In III p.,* q. 72, a. 2; **Liberius a Jesu,** *Controv.,* t. 3, tr. 3, disp. un., controv. 2, n. 39; **Lehmkuhl,** *De sacramento confirmationis,* c. 1, § 2.

Alii, etiam graves theologi, docent balsamum esse oleo permiscendum de necessitate praecepti, vel divini ut aliqui cum Soto [1] volunt, vel ecclesiastici, ut aliis placet. Ita *Cajetanus, Victoria, Valentia, Gabriel a S. Vincentio, Mendive, Pesch*, et alii [2].

Utraque sententia est vere probabilis, sed secunda magis mihi probatur. Caeterum, ubi sacramentum confirmationis administretur cum solo oleo sine mixtione balsami, repetendum erit sub conditione.

c) *Ab episcopo benedictum.* Concilium florentinum hoc iterum declaravit, quando docuit chrisma esse conficiendum ex oleo et balsamo «per episcopum benedicto» [3]. Codex pariter Juris Canonici ait: «Chrisma, in sacramento confirmationis adhibendum, debet esse ab episcopo consecratum» [4].

Disputatur a theologis, num ad validitatem vel ad liceitatem chrisma ab episcopo benedici oporteat.

Aliqui volunt chrisma esse ab episcopo benedicendum ex necessitate sacramenti. Fundantur in concilio florentino, in quo dicitur chrisma conficiendum esse ex oleo et balsamo «per episcopum benedicto» [5]. Ita *Suarez, Gonet, Billuart* et alii non pauci [6].

Alii docent benedictionem chrismatis esse necessariam necessitate sacramenti, sed posse Romanum Pontificem simplici presbytero committere, ut acutoritate delegata possit consecrare chrisma. Adlegant concilium toletanum I, quod refert morem in aliquibus locis fuisse introductum, ut presbyter benediceret chrisma [7]. Et addunt Eugenium IV dedisse facultatem conficiendi sacrum chrisma Fabiano de Bahia ad indos anno 1444 icturo [8]. Ita *Scotus, Victoria, Cajetanus, Valentia, Wirceburgenses*, et alii [9].

Alii dicunt benedictionem episcopalem chrismatis esse quidem necessariam necessitate praecepti seu ad liceitatem, quia sic insinuatum est in concilio nicaeno I [10], et ordinatum in concilio carthaginensi II [11], toletano I [12], et florentino [13], non autem esse necessariam necessitate sacramenti seu ad validitatem, quia, ut dicunt, omnia conciliorum et

---

[1] *In IV Sent.*, dist. 7, q. un., a. 2.

[2] **Cajetanus,** *In III p.*, q. 72, a. 1 et 2; **Victoria,** *Summa de sacramentis, De confirmatione;* **Valentia,** *In III p.*, disp. 5, q. 1, p. 2; **Gabriel a S. Vincentio,** *De confirmatione*, disp. 2, q. 1; **Mendive,** *De confirmatione*, n. 18; **Pesch,** *De confirmatione*, 504.

[3] *Decreto de armenis;* **Denz-Bannw.,** 697.

[4] *Codex Juris Canonici*, can. 781.

[5] *Decreto de armenis;* **Denz-Bannw.,** 697.

[6] **Suarez,** *De sacramentis*, disp. 33, sect. 2, n. 2; **Gonet,** *De sacramento confirmationis*, disp. 6, n. 45; **Billuart,** *De confirmatione*, diss. un., a. 4.

[7] *Concilium toletanum I*, can. 20. **Mansi,** 3, 1002.

[8] **Wadingus,** *Annales Ord. fr. min.*, t. 11, p. 209; Romae, 1734.

[9] **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 7, q. 1 «Hic patet»; **Victoria,** *De sacramentis*, q. 43; **Cajetanus,** *In III p.*, q. 72, a. 3; **Valentia,** *In III p.*, disp. 5, q. 1, p. 2; **Wirceburgenses,** *De sacramento confirmationis*, n. 164.

[10] *Concilium nicaenum I*, can. 69; **Mansi,** 2, 976.

[11] *Concilium carthag. II*, can. 3; **Mansi,** 3, 693.

[12] *Concilium toletanum I*, can. 20; **Mansi,** 3, 1002.

[13] *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 697.

Summorum Pontificum effata non de validitate sed de liceitate agunt materiae. Ita *Bulsano* et recentius *Mendive* [1].

Probabilius mihi videtur chrisma, ut sit materia idonea confirmationis, de necessitate sacramenti ab episcopo esse benedicendum, posse tamen a Papa, non ab episcopo, simplicem sacerdotem delegari, ut valide illud benedicat.

Necessitas hujus benedictionis ad validitatem fulcitur magna auctoritate S. Inquisitionis. Eadem namque videtur esse ratio de materia confirmationis ac de materia extremae unctionis. Sacra autem Congregatio Inquisitionis sub die 13 Januarii 1655 decrevit citra temeritatem et errorem doceri non posse «sacramentum extremae unctionis oleo, episcopali benedictione non consecrato, ministrari valide»; et die 14 Septembris declaravit iterum in casu necessitatis parochum ad validitatem sacramenti extremae unctionis uti non posse oleo a se benedicto. Ergo a pari in sacramento confirmationis.

Non videtur tamen haec benedictio episcopalis ita esse a Christo determinata, ut non fuerit Romano Pontifici relicta facultas delegandi simplicem presbyterum, ut chrisma valide benedicat. Imo hoc aliquando factum esse probant historiae seu facta, quae retuli.

2) **Unctio** fieri debet in fronte confirmandi, manu episcopi, et in forma crucis.

a) *In fronte confirmandi.* Profundissimus Victoria [2] docuit unctionem in fronte esse de necessitate praecepti tantum non de necessitate sacramenti; sed alii multo communius tenent unctionem in fronte ad validitatem sacramenti requiri. *Tertullianus* confirmationem vocat «signaculum frontium» [3]; et *S. Cyrillus hierosolimitanus* ait: «Oleo caput tuum impinguavit in fronte per signaculum, quod habes Dei, ut efficiaris effigies signaculi, sanctificatio Dei» [4].

Hoc supponunt omnes SS. Patres, hoc praecipiunt ritualia cuncta, hoc suadet ratio, quia ibi facienda est unctio christiani ad robur, ubi debiles erubescunt [5].

b) *Manu episcopi,* nullo instrumento mediante.

Voluerunt aliqui praeceptum quidem dari, ut manu pontificis in fronte fiat unctio, sed ad validitatem nihil refferre, an manu fiat vel mediante instrumento. Ita *Gabriel a S. Vincentio* [6].

Probabilius tamen dicendum puto ad validitatem sacramenti confirmationis requiri, ut unctio fiat immediate manu ministri, nullo mediante instrumento. Ita docet communis fere sententia cum Suarez, Liberio a Jesu et aliis [7]. Ratio est, quia impositio manus episcopi, quae

---

[1] **Bulsano,** *De confirmatione,* § 557; **Mendive,** *De confirmatione,* n. 18-20.

[2] *De sacramentis,* q. 51. Sub gravi praecepto adhibendum est chrisma benedictum intra annum, nisi a Papa dispensetur.

[3] *Adv. Marcionem,* lib. 3, c. 22; ML **2,** 382.

[4] *Catech.* 22 (myst. 4), 9; MG **33,** 1101.

[5] Cfr. **S. Thomas,** *III p.,* q. 72, a. 9. Apposite ad rem Concilium florentinum: «Ideoque in fronte, ubi verecundiae sedes est, confirmandus ungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat». *Decretum pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 697.

[6] *De sacramento confirmat.,* disp. 2, q. 3 «Tertio difficultatur».

[7] **Suarez,** disp. 33, sect. 3, n. 3; **Liberius a Jesu,** *Controv.,* t. 3, tr. 3, disp. un., controv. 2, n. 41.

fit in ipsa unctione frontis, est essentialis ad validam administrationem hujus sacramenti. Hanc sententiam vocat Ballerini «plusquam probabilem» [1].

c) *In forma crucis.* Merito docet *Gabriel a S. Vincentio* [2] formationem crucis in fronte esse essentialem in hoc sacramento, quia est ritus perennis Ecclesiae respondens verbis ministri *Signo te signo crucis.*

ARTICULUS III

QUAE SIT FORMA SACRAMENTI CONFIRMATIONIS

278. Status quaestionis. Forma cujuslibet sacramenti constituitur verbis, quae profert minister, cum adhibet ejus materiam. Cum autem diversae fuerint auctorum opiniones circa materiam confirmationis, variae quoque fuerunt sententiae circa ejus formam.

279. Error. Calvinus, postquam negavit exsistentiam sacramenti confirmationis, in examen revocavit verba *Consigno te signo sanctae crucis,* quibus catholici confirmationem conferunt, et in illis, licet pulchre ac venuste dictis, non invenit verbum Dei, quod Spiritus Sancti praesentiam promittat [3].

280. Placita theologorum. 1) Aliqui voluerunt orationem *Omnipotens, sempiterne Deus,* quam episcopus recitat manibus extensis versus confirmandos, esse formam sacramenti confirmationis.

Sed diximus superius extensionem manuum episcopi, quae chrismationem praecedit, non esse materiam confirmationis, atque ideo orationem *Omnipotens, sempiterne Deus,* non esse formam hujus sacramenti.

2) Alii, sicut adsignant duplicem materiam, primam scilicet manuum impositionem et chrismationem, pro confirmatione, ita pariter volunt formam confirmationis esse verba, quae dicuntur in applicatione unius vel alterius materiae, id est, orationem *Omnipotens, sempiterne Deus,* si sacramentum conferatur sola manuum impositione, verba autem *Signo te signo crucis,* etc., si illud administretur chrismatione.

281. Doctrina probabilior. 1) Sacra Scriptura solum dicit apostolos orare solitos fuisse super iis, quibus manus imponebant [4]. Qualis fuerit hujusmodi oratio, non potest facile explicari. Nihilominus, dici potest quaelibet verba, etiam adsertoria, quae a ministro confirmationis in chrismatione pronuntiantur, latiori sensu esse orationem.

2) Juxta probabiliorem sententiam, quam cl. *Billot* et *Van Noort* [5] admittunt, dicendum mihi videtur formam confirmationis non in specie infima sed generice tantum fuisse a Christo determinatam, et facultatem fuisse Ecclesiae concessam, ut eam in specie determinaret.

Hinc illa verba ab Ecclesia excogitata, quae significant collationem gratiae vel donorum Spiritus Sancti ad robur, quaeque pronuntiantur a ministro inter chrismandum, sunt forma legitima confirmationis.

---

1 *Opus theol. morale,* vol. 4, p. 570.
2 *De sacramento confirmationis,* disp. 2, q. 3, «Circa qualitatem».
3 *Institut.,* lib. 4, c. 19, n. 5.
4 *Act.,* 8, 17.
5 **Billot,** *De sacramentis,* th. 32; **Van Noort,** *De sacramentis,* n. 256.

282. THESIS. **In Ecclesia latina vera est sequens forma: «Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti»; et in Ecclesia graeca legitima est forma: «Signaculum doni Spiritus Sancti».**

Arg. 1) Forma latinorum disertis verbis praescripta est a concilio florentino [1]. Forma vero graecorum essentialiter non differt a forma latinorum, ut mox videbimus.

2) Cum materia et forma sacramentorum conficiant unum compositum, debent esse simul. Unde rationem formae confirmationis ferunt illa verba, quae a ministro sacramenti pronuntiantur in chrismatione et manuum impositione. Sed ab antiquissimis jam temporibus episcopi latini et graeci inter chrismandum pronuntiant verba in thesi relata. Ergo [2].

3) In sacramento confirmationis accipiunt fideles gratiam ad robur spiritualis pugnae. Unde per formam hujus sacramenti oportet significari gratiam corroborantem. In formis autem graeca et latina, quas retulimus, significatur gratia per modum roboris, quia cum dicitur *Con-*

[1] *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 697.

[2] In primis Ecclesiae saeculis aliquae formae sacramentorum non divulgabantur. Unde **Pseudo-Dionysius,** *De Ecclesiastica Hierarchia,* c. 7, parte 3, § 10; MG **3,** 582; adseruit nefas esse invocationes perfectivas scripto interpretari; et **Innocentius I** (a. 416) ad Decentium ep. eugubinum scribens ait: «Verba vero (confirmationis) dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere». **Denz-Bannw.,** 98.

Nihilominus certum est in Ecclesia tum latina tum graeca formam aliquam in chrismatione adhibitam fuisse. «Dehinc, ajebat **Tertullianus,** manus imponitur, per benedictionem advocans, et invitans Spiritum Sanctum». *De baptismo,* c. 8; ML **1,** 1316.

Forma hodierna graecorum in scripto apparet in concilio Cp. I, can. 7, (excerpto ex ep. Ecclesiae Cp. ad Martyrium ep. antiochenum saeculo V). Cfr. **Hefele,** *Histoire des conciles,* 2, pp. 38-39.

Forma latinorum, quae certe exsistebat juxta laudatam epistolam Innocentii I (a. 416), sed non videtur fuisse in scriptis exarata usque ad saeculum VIII, primo quidem sub diversis verbis, quae idem substantialiter significabant, et deinde sub iisdemmet, quibus nunc constat, verbis.

En aliquae varietates tum graecorum tum latinorum.

Formae graecorum.

Signaculum doni Spiritus Sancti (Euchologium graecorum).

Ungendo ungo te in Deo omnipotente, in Christo Jesu, et in Spiritu Sancto, ut sis operarius habens fidem perfectam et vas ipsi gratum (Testamentum D. N. J. Chr., p. 131).

Chrismate sancto, suavitate odoris Christi, signaculo verae fidei, complemento doni Spiritus Sancti signatur N. in nomine P. et F. et Sp. S.! (Jacobitae).

Chrismate Christi Dei, suavi verae fidei odore, sigillo et complemento doni Spiritus Sancti obsignatur N. servus Dei, in nomine P. et F. et Sp. S. (Maronitae).

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti; unctio gratiae Spiritus Sancti. Amen. (Copti.)

Formae latinorum.

Signo te signo crucis, et consigno te chrismate salutis, in nomine P. et F. et Sp. S. (Rituale romanum).

Signet te Deus sigillo fidei suae in consignatione fidei, in nomine P. et F. et Spiritus Sancti.

Vide alias formulas apud **Martène,** *De antiquis Ecclesiae ritibus,* lib. 1, c. 2, a. 4.

firmo te, vel *signaculum doni Spiritus Sancti,* significatur animam in gratia confirmari, corroborari ac sigillari. Hinc forma latina et graeca non re sed accidentaliter distinguuntur. *Confirmo te* idem significat ac *corroboro te* in gratia ad pugnam; et *signaculum doni Spiritus Sancti* idem est ac *sigillo* vel *obsigno te* in gratia recepta ad robur.

Omnes formae his aequivalentes, quotquot circumferuntur, et in usu fuerunt vel sunt in aliquibus ecclesiis, certe validae sunt, quamvis unusquisque teneatur ex praecepto formam suae ecclesiae adhibere.

283. Scholion. *Quae sint verba essentialia in forma latinorum.*

Nou parum disputatur de hoc inter theologos.

1) Aliqui dicunt omnia verba, quibus constat relata forma, exceptis particulis *et* vel *in*, esse essentialia, adeo ut eorum omissio (non vero aequivalentium subrogatio) invalidum reddat sacramentum. Ita *Suarez, Salmanticenses, S. Alphonsus,* et alii [1].

2) Alii putant verba *Signo te signo crucis,* et *chrismate salutis,* non esse essentialia, et eorum omissionem constituere mutationem accidentalem, imo et probabile censent invocationem trium personarum Patris, et Filii et Spiritus Sancti non esse de essentia. In hac sententia sufficeret dicere: *Confirmo te;* vel, ut aliis placet, *Confirmo.* Ita *Amicus* [2].

Haec, licet speculative in utramque partem disputari queant, practice tamen probabilitate carent, quia praecepto concilii florentini tenemur integram formam adhibere.

ARTICULUS IV

QUI SINT EFFECTUS SACRAMENTI CONFIRMATIONIS

284. Duo referuntur confirmationis effectus, character scilicet et gratia sanctificans. De utroque breviter disserendum est.

285. THESIS I. **In confirmatione imprimitur character in anima.** *Est de fide* [3].

Arg. 1) Concilium tridentinum expresse hoc declaravit dicens: *Si quis dixerit in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione et ordine, non imprimi characterem in anima... unde ea iterari non possunt, a. s.* [4].

2) *S. Augustinus* ait: «Sacramentum chrismatis... in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus; sed potest esse et in hominibus pessimis... Discerne ergo visibile sacramentum, quod esse et in bonis et in malis potest, illis ad praemium, illis ad ju-

---

[1] **Suarez,** *De sacram.*, disp. 33, sect. 5; **Salmanticenses morales,** tr. 3, c. 2, p. 3; **S. Alphonsus,** lib. 6, n. 168.

[2] Disp. 13, sect. 3. Hujus sententiam circa invocationem trium personarum defendit **Pesch,** *De sacramentis,* n. 526, et approbare videtur cl. **Honoratus del Val,** *De confirm.*, c. 1, a. 2.

[3] Est contra Lutherum, Calvinum, aliosque novatores, qui non solum negant confirmationem esse verum sacramentum, verum etiam irrident doctrinam catholicorum circa characterem confirmationis.

[4] *Sess.* 7, can. 9, *De sacramentis in genere,* **Denz-Bannw.,** 852.

dicium, ab invisibili unctione caritatis, quae propria bonorum est» [1]. Visibile sacramentum in hoc loco S. Augustini est character, qui manet in bonis et in malis, unctio vero caritatis est gratia.

3) Confirmatio confertur homini per modum consecrationis, et sicut res consecratae semper manent consecratae, ita etiam homines confirmati semper ferunt sigillum confirmationis.

4) Homo per confirmationem deputatur ad pugnam spiritualem in rebus fidei et morum. Ergo in confirmatione accipit specialem potestatem ad hanc pugnam. Haec autem specialis potestas est character.

286. Corollarium I. *Confirmatio valide collata, quamvis ab haereticis collata fuerit, iterari non potest.*

Haec siquidem est proprietas sacramentorum, quae imprimunt characterem, ut iterari non possint.

Sancti Patres crebro docuerunt confirmatione nos tanquam milites Christi signari ac sigillari. Sicut autem milites signaculum militiae indelebiliter gerunt, et nunquam bis signantur, ita pariter fideles confirmati gerunt signaculum militiae christianae, et parati sunt ad pugnam spiritualem adversus hostes vitae christianae [2].

De haereticis ad fidem conversis ajebat *S. Stephanus:* «Si qui ergo a quacumque haeresi venient ad vos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illis imponatur *in poenitentiam*» [3]. Haec autem manus impositio *in poenitentiam* non erat confirmatio sed reconciliatio et admissio in societatem fidelium, ut ex SS. Patrum testimoniis constat [4].

Objicies. *S. Augustinus* diserte docuit confirmationem iterari posse, cum ait: «Manus autem impositio non sicut baptismus repeti non potest; quid est enim aliud nisi oratio super hominem?» [5].

Resp. *S. Augustinus* in praefato loco per manus impositionem non intelligit confirmationem, sed reconciliationem eorum, qui ab haeresi veniunt. Ipse S. Doctor sensum explicat dicens: «Manus autem impositio, si non adhiberetur ab haeresi venienti, tanquam extra omnem culpam esse judicaretur. Propter caritatis autem copulationem... manus haereticis correctis imponitur» [6].

Manuum impositio fieri solebat in confirmatione, poenitentia et ordine, et, quoties de ea a SS. Patribus agitur, accurate investigandum est, de qua impositione sit sermo in subjecta materia.

Corollarium II. *Character confirmationis supponit in anima characterem baptismi.* Sicut confirmatio non potest valide conferri homini non baptizato, ita character confirmationis non potest imprimi homini ante baptismum.

287. Scholion. *An character confirmationis realiter distinguatur a charactere baptismali:*

1) Aliqui dicunt characterem confirmationis differre a charactere

---

1 *Contra litteras Petiliani*, 2, 104; ML **43,** 342.
2 Cfr. **Vitasse,** *De confirmatione*, p. 3, q. 3, a. 1. (Apud **Migne,** 21, 1110.)
3 *Ep. ad Cyprianum;* **Denz-Bannw.,** 46.
4 Cfr. **Van Noort,** *De sacramentis*, n. 260.
5 *De baptismo*, lib. 3, c. 16; ML **43,** 149.
6 *De baptismo*, lib. 5, c. 23, n. 33; ML **43,** 193.

baptismali solum extensive, quatenus per ipsum homo deputatur ad munus militis in pugna christiana contra hostes fidei.

2) Alii defendunt illum differre a charactere baptismali intensive, quatenus potestas, quae est character, «in gradu intensiori in confirmatione infunditur quam in baptismo» [1].

3) Multo communius et multo probabilius docent scholastici characterem confirmationis realiter et specifice differre a charactere baptismali. Ita *S. Thomas* et omnes thomistae [2].

Haec ultima sententia videtur verior, quia in confirmatione homo deputatur ad munus specifice diversum a munere, quod recipit in baptismo, et oportet characterem, quo insignitur, esse pariter diversum.

288. THESIS II. **Confirmatio auget gratiam sanctificantem in homine.** *Est de fide.*

Arg. 1) Concilium tridentinum expresse declaravit confirmationem esse *verum et proprium sacramentum* [3]; et omnia sacramenta conferre gratiam sanctificantem [4]. Unde sequitur confirmationem conferre gratiam sanctificantem.

2) S. Scriptura testatur per manuum impositionem, quae fit in confirmatione, dari Spiritum Sanctum. Spiritus autem Sanctus non datur nisi per gratiam gratum facientem, quia, ut ait *S. Thomas*, «secundum solam gratiam gratum facientem mittitur et procedit temporaliter persona divina» [5]; et «apostolis dicitur datus Spiritus Sanctus ad operationem miraculorum, quia data est eis gratia gratum faciens cum signo manifestante» [6].

3) *Traditio in Ecclesia constans* hoc docuit. Unde Patres crebro affirmant per confirmationem conferri nobis Spiritum Sanctum; et concilium florentinum ait: «Per confirmationem augemur in gratia» [7].

4) *Ratio hoc suadet*, quia, sicut baptismus, qui est primum sacramentum et janua Ecclesiae, nos regenerat, et initiat in vita spirituali, conferens nobis primam gratiam, ita confirmatio, quae nos ordinat ad vitam perfectiorem, auget gratiam sanctificantem.

Simul cum gratia sanctificante in confirmatione infunduntur homini dona Spiritus Sancti. Unde in collatione hujus sacramenti ait minister: «Emitte in eos septiformem Spiritum tuum Sanctum Paraclitum de caelis» [8].

Ratio specialis hujus gratiae, quatenus est effectus confirmationis, in eo consistit, quod roborat christianum, ut audacter confiteatur nomen Christi, et constanter fidem catholicam teneat [9]. Ad rem optime conci-

---

1 Apud **Vitasse,** *De confirmatione*, p. 3, q. 3, a. 2. (Apud **Migne,** 21, 1112.)
2 **S. Thomas,** *III p.*, q. 72, aa. 5-6.
3 *Sees.* 7, can. 1, *De confirmatione;* **Denz-Bannw.,** 871.
4 *Sess.* 7, can. 6, *De sacramentis in genere;* **Denz-Bannw.,** 849.
5 *I p.*, q. 43, a. 3.
6 *I p.*, q. 43, a. 3 ad 4.
7 *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 695.
8 *Pontificale rom.*, «De confirmandis».
9 Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 72, a. 5 et 7.

lium florentinum: «Effectus autem hujus sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est apostolis in die Pentecostes, ut videlicet christianus audacter Christi confiteatur nomen» [1]. Confirmatio itaque confert christiano augmentum gratiae roborantis cum jure ad auxilia specialia ad pugnam spiritualem contra hostes fidei.

Corollarium. Confirmatio est sacramentum vivorum et *per se* producit secundam gratiam seu augmentum gratiae. Duo etenim sunt sacramenta mortuorum, baptismus et poenitentia, quae *per se* producunt primam gratiam; caetera conferunt per se secundam gratiam seu augent gratiam exsistentem in anima.

Aliquando tamen *per accidens* producit primam gratiam. Ut, si quis putans se esse contritum, cum solum sit attritus, accedat ad confirmationem, per hoc sacramentum ex attrito fit contritus, et recipit primam gratiam [2].

ARTICULUS V

QUIS SIT MINISTER CONFIRMATIONIS

289. Status quaestionis. Minister sacramentorum, ut jam supra diximus, est qui confert sacramenta.

Minister confirmationis potest esse *ordinarius*, qui vi sui ordinis sine ulla alterius delegatione valide illam confert; et *extraordinarius*, qui ex vi ordinationis habet auctoritatem incompletam, et indiget delegatione superioris.

Quaeritur hic 1) quis sit minister ordinarius confirmationis; et 2) an simplex sacerdos possit aliquando esse minister extraordinarius.

290. THESIS I. **Solus episcopus est minister ordinarius confirmationis.**

Nota. 1) Photiani imprimis, et deinde waldenses, wiclefitae, et hussitae, docentes episcopos nullatenus esse presbyteris superiores, non patiebantur, ut administratio confirmationis reservaretur episcopis [3]; imo aliqui eorum dicebant episcopos sibi reservasse confirmationem «propter cupiditatem lucri temporalis et honoris» [4].

2) *Armachanus* item (Richardus Radulphus, ecclesiae armachanae in Hibernia archiepiscopus), a Dominico Soto [5] de impudentia et impietate accusatus, sed ab aliis merito vindicatus, docuit facultatem confirmandi per Ecclesiae decreta bene esse episcopis reservatam, sed confirmationem a presbyteris sine delegatione collatam esse validam [6].

3) *Lutherus*, *Melanchthon*, *Calvinus*, aliique novatores, dixerunt confirmationem esse caeremoniam olim utilem, nunc autem prorsus otiosam, episcopis injuste reservatam [7].

---

[1] *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 697.

[2] Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 72, a. 7 ad 2; et **Salmanticenses morales,** tr. 3, c. 3, p. 1. n. 4.

[3] Cfr. **Vitasse,** *De confirmatione*, p. 1, q. 1, a. 1; et p. 2, q. 2, a. 1. (**Migne,** *Cursus completus*, vol. 21, p. 548 sqq.)

[4] *Prop.* 28 *Wiclefi* damnata a Martino V; **Denz-Bannw.,** 608.

[5] *In IV Sent.*, dist. 7, q. un., a. 11, «De hac materia».

[6] *Quaest. armen.*, lib. 11, c. 14.

[7] **Lutherus,** *De captiv. babyl.*, «Non haec dico»; **Melanchthon,** *Loci theol.*, § «De confirmatione»; **Calvinus,** *Instit.*, lib. 4, c. 19, nn. 4-5.

4) *Scotus* et *Biel* [1] non improbant sententiam, quae docet in primitiva Ecclesia non fuisse differentiam inter episcopos et presbyteros, et, si hoc admittatur, simplicem presbyterum posse ex officio confirmare fideles.

Post concilium tridentium nefas est hoc dicere.

Arg. 1) *Ex conciliis.* Concilium florentinum ait: «Ordinarius minister est episcopus. Et cum caeteras unctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi episcopus debet conferre» [2].

Concilium tridentinum: *Si quis dixerit sanctae confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, a. s.* [3].—*Si quis dixerit episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem... a. s.* [4].

Codex Juris Canonici: «Ordinarius confirmationis minister est solus episcopus» [5].

2) *Ex SS. Patribus. S. Joannes Chrysostomus* argumentum ex S. Scriptura attingens haec habet: «Haec (manus imponendi) apostolorum erat praerogativa; ideoque et praepositos—τους κορυφαιους choripheos—Ecclesiae, non alios, videre est hoc facere» [6].

Innocentius I: «De consignandis vero infantibus manifestum est, non ab alio quam ab episcopo fieri licere. Nam presbyteri, licet secundo sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem pontificium solis deberi episcopis, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio Actuum Apostolorum, quae adserit Petrum et Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum. Nam presbyteris sive extra episcopum, sive praesente episcopo, cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum» [7].

3) *Ex ratione.* Rationem congruentiae adsignat *S. Thomas.* Episcopus enim est in Ecclesia sicut dux in exercitu. Et sicut ad ducem exercitus pertinet consignare milites ad pugnandum pro patria, ita ad episcopum spectat consignare fideles ad pugnandum contra hostes fidei.

Corollarium. Cum sacramentum confirmationis conferatur per modum consecrationis, episcopus, etiam haereticus et schismaticus, dummodo rite omnia perficiat, *valide* confirmat. Unde in haeresi vel in schismate rite confirmatos nunquam Ecclesia confirmavit.

Simplex vero sacerdos, nisi habeat Romani Pontificis saltem usu et consuetudine delegatam auctoritatem, *invalide* confirmat, et sic invalide confirmati, denuo sunt ab episcopo vel a sacerdote delegationem Summi Pontificis habente confirmandi.

---

1 **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 7, q. 1 ad 3; **Biel,** *In IV Sent.*, dist. 7, q. un., concl. 3.

2 *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 697.

3 *Sess.* 7, can. 3, *De confirmatione;* **Denz-Bannw.,** 873.

4 *Sess.* 23, can. 7, *De sacramento ordinis;* **Denz-Bannw.,** 967.

5 *Can.* 782.

6 *Homil.* 18, *in Act. Ap.*, n. 3; MG **60,** 144.

7 *Ep.* «Si instituta ecclesiastica» ad Decentium episc. eugubinum, 19 Martii 416; **Denz-Bannw.,** 98.

291. THESIS II. **Ex delegatione Romani Pontificis potest quivis sacerdos simplex esse minister extraordinarius confirmationis.**

Nota. 1) Celebres quidam theologi ante concilium tridentinum dixerunt simplicen presbyterum non posse a Romano Pontifice delegari, ut confirmationem valide conferret. Ita innuerunt *Hugo Victorinus, Petrus Lombardus*, et *Altissiodorensis*, atque expresse docuit *Albertus Magnus* [1].

2) Alii multo communius et verius dixerunt simplicen presbyterum posse ex delegatione Romani Pontificis conferre valide confirmationem. Ita *S. Thomas, Capreolus, Bellarminus, Suarez, Salmanticenses morales*, et alii [2]. Sententia negans juxta Dominicum Soto [3] ecclesiasticis sanctionibus, et juxta Valentiam [4] fidei doctrinae adversatur.

Arg. 1) *Ex conciliis.* Concilium florentinum ait: «Legitur tamen aliquando per Apostolicae Sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum» [5].

Concilium tridentinum, cum definit ministrum *ordinarium* confirmationis esse episcopum, satis innuit ministrum *extraordinarium* esse simplicem sacerdotem.

2) *Ex Ecclesiae usu.* In Ecclesia graeca a saeculo saltem V simplices presbyteri immediate post baptismum infantes confirmabant.

3) Summi Pontifices saepe facultatem confirmandi presbyteris concesserunt. Unde S. *Gregorius Magnus* ad Januarium episcopum calaritanum scripsit: «Ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus» [6]. Id ipsum concessisse dicuntur Nicolaus IV, Joannes XXII, Urbanus V, Eugenius IV, et alii; imo S. Congregatio de Propaganda Fide auctoritate Summi Pontificis recenter episcopis facultatem concessit, ut per simplices presbyteros sibi bene visos confirmatio ministraretur fidelibus.

4) Codex hodiernus Juris Canonici haec habet: «Extraordinarius minister est presbyter, cui vel jure communi vel peculiari Sedis Apostolicae indulto ea facultas concessa est» [7].

Corollarium. Haec facultas extraordinaria Summi Pontificis, quae simplici presbytero dicitur necessaria, ut sacramentum confirmationis valide conferat, potest concedi tacita delegatione, ut videtur esse concessa graecis, vel peculiari Romani Pontificis indulto, ut saepe elargitur in Ecclesia latina.

292. Scholion I. *Disputatur, an episcopi possint delegare simplicem presbyterum ad confirmandum.*

1 Nonnulli exemplo graecorum moti affirmant. Dicunt enim in

---

[1] **Hugo Victorinus,** *De sacramentis*, lib. 2, p. 7, c. 2; ML **176,** 459; **Petrus Lombardus,** *IV Sent.*, dist. 7; ML **192,** 856; **Altissiodorensis,** *Summa*, lib. 4, tr. 5, c. 3; **Albertus M.,** *In IV Sent.*, dist. 7, a. 4.

[2] **S. Thomas,** *III p.*, q. 72, a. 11 ad 1; **Capreolus,** *In IV Sent.*, dist. 7, q. 2; **Bellarminus,** *De confirmatione*, c. 12; **Suarez,** *De sacramentis*, disp. 36, sect. 2, n. 4. **Salmanticenses morales,** tr. 3, c. 4, p. 1, n. 7.

[3] *In IV Sent.*, dist. 7, a. 11.

[4] *In III p.*, disp. 5, q. 2, p. 1.

[5] *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 697.

[6] *Ep.* 26; ML **77,** 696. Apud **Migne** legitur «baptizandos».

[7] *Can.* 782, § 2.

ecclesia graeca usum invaluisse, ut episcopi deputent simplices sacerdotes ad confirmandum.

2) Sed alii, ut videtur, verius negant, quia in documentis tum antiquis tum recentioribus semper requiritur delegatio apostolica, ut presbyter sacramentum confirmationis administret. Quare, ad rationem in contrarium dicendum est sacerdotes simplices in Ecclesia graeca hanc facultatem a tacita quadam Summi Pontificis concessione probabilius accepisse.

Hodie certum est invalidam fore in Ecclesia latina confirmationem a simplici sacerdote per solam delegationem episcopi collatam [1].

293. Scholion II. Quaestio est satis difficilis, quomodo simplex presbyter ex sua ordinatione inhabilis ad confirmandum, ex sola deputatione fiat habilis, praesertim, si prae oculis habeatur confirmationem, ut plures docent, non esse actum jurisdictionis sed ordinis.

1) Aliqui dicunt ad confirmandum *jure divino* requiri *excellentem* quamdam dignitatem, quae episcopis plene competit per suam consecrationem, et presbyteris radicaliter tantum per ordinationem sacerdotalem, atque ideo presbyteros indigere speciali deputatione. Ita *Billuart, Tanquerey,* et alii [2].

2) Alii docent potestatem confirmandi non esse potestatem physicam sed moralem, quae collata est partim per consecrationem internam, et partim per deputationem externam. Episcopo quidem confertur haec potestas integre per consecrationem internam simul cum charactere episcopali, et sic episcopus semper valide confirmat, quamvis in haeresim incidat vel schisma. Presbyteris vero confertur potestas incompleta per consecrationem internam, et deest deputatio externa, ut fiant ministri capaces conferendi confirmationem. Ita *Pesch* [3].

3) Alii volunt tum episcopos tum sacerdotes simplices in sua ordinatione accipere potestatem completam ad confirmandum, et ex natura rei ac jure divino sacerdotem posse valide confirmare, sed jure ecclesiastico munus confirmandi competere episcopis. Si autem tollatur jus et praeceptum ecclesiasticum per dispensationem Ecclesiae, presbyterum posse administrare confirmationem. Ita *Mendive* [4].

4) *Salmanticenses morales* haec habent ad rem: «Papa hujusmodi commissione non mutat essentiale hujus sacramenti, quia essentialis hujus sacramenti minister non est solus episcopus, sed vel hic, vel simplex sacerdos habens talem Summi Pontificis commissionem» [5]. Quod S. *Thomas* radicitus explicat dicens: «Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quaedam, quae sunt superiorum ordinum, committere quibusdam inferioribus; sicut quibusdam presbyteris concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad potestatem episcopalem» [6]. «Cum episcopatus non addat aliquid supra sacerdotium per relationem ad corpus Domini verum, sed solum per relationem ad corpus mysti-

---

1 Cfr. **Benedictus XIV,** *De synodo dioecesana,* lib. 7, c. 8, n. 7.
2 **Billuart,** *De confirmatione,* a. 7; **Tanquerey,** *De sacramentis,* n. 480.
3 *De sacramentis,* 555.
4 *De confirmatione,* c. 3.
5 *Tract.* 3, c. 4, p. 1, n. 10.
6 *III p.,* q. 72, a. 11 ad 1.

cum, Papa per hoc quod est episcoporum summus, non dicitur habere plenitudinem potestatis per relationem ad corpus Domini verum, sed per relationem ad corpus mysticum. Et quia gratia sacramentalis descendit in corpus mysticum a capite, ideo omnis operatio in corpus mysticum sacramentalis, per quam gratia datur, dependet ab operatione sacramentali super corpus Domini verum; et ideo solus sacerdos potest absolvere in foro poenitentiali et baptizare ex officio. Et ideo dicendum, quod promovere ad illas perfectiones, quae non respiciunt corpus Christi verum sed solum corpus mysticum, potest a Papa, qui habet plenitudinem pontificalis potestatis committi sacerdoti, qui habet actum summum super corpus Domini verum, non autem diacono vel alicui inferiori, qui non habet perficere corpus Domini verum» [1].

Juxta hanc doctrinam S. Thomae et Salmanticensium dicendum videtur sacerdotem simplicem per characterem sacerdotalem de jure divino habere potestatem ad confirmandum, non quidem absolute, sed conditione commissionis accipiendae ab eo, qui gaudet plenitudine potestatis in Ecclesia [2].

294. Corollarium. 1) Episcopus, quicumque ille sit, sive catholicus, sive haereticus, sive schismaticus, semper valide confirmat, si ex parte materiae, formae, intentionis et subjecti omnia adhibea, quae necessaria sunt ad validam collationem sacramenti.

2) Ut episcopus licite quempiam confirmet, indiget jurisdictione. Quare «episcopus in sua dioecesi hoc sacramentum etiam extraneis legitime ministrat, nisi obstet expressa proprii eorum Ordinarii prohibitio. In aliena dioecesi indiget licentia Ordinarii loci saltem rationabiliter praesumpta, nisi agatur de propriis subditis, quibus confirmationem conferat privatim ac sine baculo et mitra» [3].

3) Simplex sacerdos sine commissione Papae non potest valide confirmare, neque delegatus extra territorium, quod ipsi adsignatur.

ARTICULUS VI

DE SUBJECTO CONFIRMATIONIS

295. Status quaestionis. Statuendum est imprimis, qui possint valide recipere sacramentum confirmationis, et deinde declaranda veniunt caetera, quae necessitatem sacramenti et dispositiones subjecti respiciunt.

296. THESIS I. **Quilibet homo baptizatus nondum confirmatus est subjectum capax confirmationis.**

Arg. 1) Documenta ecclesiastica nihil in subjecto requirunt ad valide recipiendam confirmationem, nisi baptismum.

---

[1] *In IV Sent.*, dist. 7, q. 3, a. 1, quaest. 3.
[2] Cfr. **Billot,** *De sacramentis*, th. 34.
[3] *Codex Juris Canonici*, can. 783.

2) Praxis erat in primitiva Ecclesia, ut statim post baptismum omnes, etiam infantes, confirmarentur.

3) Ratio hoc suadet, quia, sicut recens nati indigent roborari ac perfici in vita naturali, ita recenter per baptismum renati indigent roborari ad pugnam per confirmationem. Unde omnes post baptismum sunt capaces recipiendi confirmationem. Nulla excipitur aetas vel sexus, nullus hominum status. Infantes et adulti, viri ac mulieres, mente capti atque ratione utentes, dummodo sint baptizati et nondum confirmati, possunt valide confirmari. Ad rem *S. Thomas:* «Perfectio in confirmatione collata non praeexigit aliam perfectionem, sed per eam quis in se ipso perficitur, ut sit idoneus ad pugnam spiritualem. Et quia cuilibet est conveniens et bonum, ut in pugna spirituali fortitudinem habeat, ideo ab hoc sacramento nullus excludi debet, qui sit baptizatus» [1].

Juxta ipsum Angelicum Doctorem in speciali sunt subjectum confirmationis.

a) *Infantes*, quia, licet nequeant actu fidem confiteri vel defendere, possunt accipere characterem et augmentum gratiae cum juribus ad auxilia futurae pugnae.

b) *Mulieres*, quia «quaedam mulieres in pugna spirituali gloriosum reportaverunt ab hoste triumphum, sicut patet de beata Agnete, beata Caecilia et aliis» [2].

c) *Morituri*, «quamvis abstrahantur a pugna, tamen vadunt ad locum praemii, in quo secundum mensuram gratiae datur mensura gloriae» [3].

d) *Perpetuo amentes*, quia sunt capaces majoris gratiae et gloriae, sicut parvuli ante usum rationis [4].

297. THESIS II. **Caeteris paribus satius est confirmationem ad aetatem septem annorum differre, sed, ubi adest legitima in contrarium consuetudo, vel justae rationes suadent eam anticipare, potest antea conferri.**

Nota. 1) In primis Ecclesiae saeculis nulla erat subjecti praescripta aetas pro administranda confirmatione, sed statim post baptismum vel qualibet pueri aetate solebat confirmatio ab episcopo conferri.

2) Nunc etiam in Ecclesia graeca pueri statim post baptismum confirmantur a presbytero facultate delegata, ut neophyti post acceptam gratiam sanctificantem, non priventur multo tempore gratia roborante.

3) In Ecclesia latina a saeculo XIII et deinceps mos invaluit differendi confirmationem parvulis, quousque ad aetatem discretionis pervenissent, tum ut episcopo facilitas daretur adeundi locos dissitos, tum ut ipsi pueri convenienter ad tantum sacramentum accederent [5].

In aliquibus tamen nationibus, ut in Hispania et in tota America latina, antiquus mos confirmandi pueros mox natos ac baptizatos retentus est.

---

[1] *In IV Sent.*, dist. 7, q. 3, a. 2, quaest. 3.

[2] **S. Thomas,** *In IV Sent.*, dist. 7, q. 3, a. 2, quaest. 3 ad 2.

[3] **S. Thomas,** *In IV Sent.*, dist. 7, q. 3, a. 2, quaest. 3 ad 4.

[4] Cfr. **Salmanticenses morales,** tr. 3, c. 3, p. 2.

[5] In Gallia non admittuntur fideles ad confirmationem, quousque fuerint prima communione refecti, quae ibi olim locum habebat versus duodecimum aetatis uniuscujusque annum. Cfr. **Paquet,** *De sacramentis*, disp. 3, q. 2, a. 1.

Pars 1.ª Caeteris paribus satius est confirmationem usque ad annos discretionis protrahere.

1) Catechismus Romanus ait: «Illud observandum est, omnibus quidem post baptismum confirmationis sacramentum posse administrari; sed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis usum habuerint. Quare, si duodecimus annus exspectandus non videatur, usque ad septimum certe hoc sacramentum differre maxime convenit» [1].

2) *Ratio id suadet*, quia pueri usum rationis habentes possunt majori cum reverentia et utilitate quam infantes ante usum rationis hoc sacramentum suscipere.

Pars 2.ª Ubi adest legitima in contrarium consuetudo, vel justae rationes suadent eam anticipare, potest antea conferri.

1) Haec legitima consuetudo, ubi viget, habet pro se antiquum Ecclesiae universalis morem et usum Ecclesiae graecae. Imo providet infantibus de augmento gratiae, cujus sunt capaces, cum auxiliis habituris in futura pugna.

2) Circa rationes, quae suadeant confirmationem anticipare, attendenda sunt haec verba Codicis Juris Canonici: «Nihilominus etiam antea conferri potest, si infans in mortis periculo sit constitutus, vel ministro id expedire ob justas et graves causas videatur» [2].

298. Scholion I. *De dispositionibus ad recipiendam confirmationem necessariis.*

1) Ut sacramentum confirmationis *valide* suscipiatur, in pueris usu rationis carentibus solum requiritur baptismus, et in adultis baptismus et intentio saltem habitualis implicita recipiendi confirmationem.

2) Ut aliquis licite et fructuose confirmetur:

a) *Debet esse in statu gratiae sanctificantis*, quia, ut recte ait *S. Thomas*, «hoc sacramentum datur ad confirmandum, quod prius invenerit, et ideo non debet dari his, qui non habent gratiam» [3]. Sufficit sane gratia obtenta per contritionem, sed consultius est, ut, qui conscii sunt peccati mortalis, sacramento poenitentiae prius se justificent, et, ubi plures adulti adsunt confirmandi, de quorum contritione dubitetur, omnino suadendi sunt, ut sacramentum poenitentiae prius suscipiant, et deinde ad confirmationem accedant.

b) *Adulti debent esse sufficienter instructi* circa rudimenta fidei et circa sacramentum confirmationis, ut conscienter sacramentum suscipiant.

c) *Laudabiliter jejuni ad sacramentum accedent*, sed non datur ad hoc lex specialis.

d) Adhibendus est unus patrinus jam confirmatus, qui sit ejusdem sexus ac confirmandus, et qui in actu chrismationis confirmandum tangat.

---

[1] *Parte* 2, c. 3, n. 18. Cfr. *Codex Juris Canonici*, can. 788.
[2] *Codex*, can. 786.
[3] *III p.*, q. 72, a. 7 ad 2. Cfr. *Codex Juris Canonici*, can. 786.

299. Scholion II. *De obligatione suscipiendi confirmationem.*

1) *Sacramentum confirmationis non est necessarium necessitate medii ad salutem.* Cum enim confirmatio conferat augmentum gratiae, non autem primam gratiam nisi aliquando per accidens, sine hoc sacramento potest homo esse in gratia sanctificante et in via salutis aeternae [1]. Unde «docendum est hoc sacramentum ejusmodi necessitatem non habere, ut sine eo salvus quis esse non possit» [2].

2) *Confirmatio non est necessaria necessitate praecepti divini vel ecclesiastici directi.* Praeceptum enim divinum vel ecclesiasticum obligans directe homines ad recipiendam confirmationem non invenitur in S. Scriptura, in traditione et in legibus ecclesiasticis [3].

Benedictus XIV in Bulla «Etsi pastoralis» dixit quidem fideles a presbyteris graecis in Italia invalide confirmatos «gravis peccati reatu teneri, si, cum possint, ad confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt» [4]. Sed his verbis non diremit quaestionem. Agebat de fidelibus italis, qui confirmationem a presbyteris graecis acceptam putabant esse validam, et contra auctoritatem Romani Pontificis contumaciter insurgebant. Ut eorum contumaciam retunderet, declaravit Pontifex eos sub reatu gravis peccati teneri ad confirmationem, ubi possent, accedere.

3) *Confirmatio est necessaria necessitate praecepti divini et ecclesiastici, non directe sed indirecte et per accidens obligantis.*

Praeceptum hoc suscipiendi confirmationem indirecte obligat, quia ejus omissio a) contemptum involvit; b) scandalum inter fideles causat; et c) subjectum privat auxilio necessario, quod nonnisi per confirmationem posset obtineri. Hodie non virgis ac tormentis obligamur fidei renuntiare, sed scriptis, exemplo et praedicatione fit continuum bellum adversus regnum Christi, et oportet armis spiritualibus, praesertim gratia roborantis confirmationis nos muniri, ut in hac pugna spirituali victoriam reportemus.

Quando episcopus est praesens et ad confirmandum paratus, imo et cum alios confirmat, ad sacramentum pura negligentia non accedere non videtur contemptum involvere, nec excedere peccatum veniale, quidquid alii dicant in contrarium [5].

---

[1] *Codex Juris Canonici*, can. 787.

[2] *Catechismus Romanus*, p. 2, c. 3, n. 16.

[3] Synodus *illiberitana*, can. 38; **Mansi,** 2, 12; *laodicena*, can. 48; **Mansi,** 2, 572; et aliae, confirmationis recipiendae praeceptum continere non videntur, sed tantummodo consilium.

[4] Bulla *Etsi pastoralis*, 26 Maji 1742.

[5] Vide **Billuart,** *De confirmatione*, diss. un., a. 8.

SECTIO IV

DE SACRA EUCHARISTIA

QUAESTIO XV

DE VERA AC REALI PRAESENTIA CHRISTI IN EUCHARISTIA

ARTICULUS I

FIGURAE AC NOMINA EUCHARISTIAE

300. I. **Figurae eucharistiae.** Eucharistia est proculdubio nobilissimum ac praestantissimum donum in Ecclesia a Christo relictum, ut omnes fideles ad ipsum tanquam ad fontem gratiarum semper confugiant, et aquas ad vitam aeternam salientes hauriant.

Praecipua autem Novi Testamenti mysteria in figura contingebant fidelibus Veteris Testamenti [1]. Praesertim hoc sacramentum «praefiguratum est, ut ait *S. Bonaventura*, et praefigurari debuit tum ratione suae dignitatis», ut fama ejus divulgaretur, «tum ratione difficultatis», ut homines ad credendum adsuefierent quadam figurarum manuductione [2]. Unde Lutherus [3] injuste exprobrat catholicis, quod in cultu Sanctissimi Sacramenti meminerint oblationis Melchisedech, panis subcinericii Eliae, mannae patrum, etc. Haec omnia altas habebant significationes, quae praetereundae non sunt, sed attente considerandae.

In eucharistia, sicut in quolibet sacramento, tria sunt consideranda, *sacramentum tantum*, *res et sacramentum*, et *res tantum;* et figurae eucharistiae in Veteri Testamento ad haec tria simul vel ad aliquod eorum referuntur.

1) *Sacramentum tantum* eucharistiae consistit in speciebus panis et vini, ut dicemus inferius, et quantum ad hoc potissimae ejus figurae fuerunt oblatio Melchisedech (*Gen.*, 14, 18); panes propositionis quibus vescebantur mundi (*Lev.*, 24, 5 sqq.); et panis subcinericius Eliae Prophetae (*III Reg.*, 19, 6).

2) *Res simul et sacramentum* in eucharistia est ipse Christus seu

---

1 *I Cor.*, 10, 11.
2 *In IV Sent.*, dist. 8, p. 1, a. 1, q. 1.
3 *De abroganda missa privata*, «Et hanc eorum».

corpus et sanguis Domini Nostri Jesu Christi sub speciebus panis et vini, et quantum ad hoc «figurae ejus fuerunt omnia sacrificia Veteris Testamenti, praecipue sacrificium expiationis, quod fuit solemnissimum» [1].

3) *Res tantum* in eucharistia est gratia cibans, cujus praecipua figura fuit «manna, quod habebat in se omnis saporis suavitatem» [2], et dabatur peregrinantibus in deserto, sicut hodie hoc sacramentum datur peregrinantibus in hac vita.

«Sed agnus paschalis quantum ad haec tria praefigurabat hoc sacramentum. *Quantum enim ad primum* (sacramentum tantum), quia manducabatur cum panibus azymis... *Quantum vero ad secundum* (sacramentum simul et rem), quia immolabatur ab omni multitudine filiorum Israel quarta decima luna, quod fuit figura passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur agnus. *Quantum vero ad effectum* (rem tantum), quia per sanguinem agni paschalis protecti sunt filii Israel a devastante angelo, et educti de aegyptiaca servitute» [3].

301. II. **Nomina eucharistiae.** Plura sunt nomina, quibus hoc sacramentum designamus.

1) Ex institutione Christi vocatur *corpus et sanguis Christi*, quia hoc nomine usus est Christus, cum eam instituit [4], et quia continet corpus et sanguinem Christi.

2) *In scriptis apostolorum* dicta est *coena Domini*, quia instituta est in ultima coena [5]. Hoc nomen novatoribus familiare retinendum est, quia a SS. Patribus saepe usurpatum fuit, et est aptissimum ad designandam eucharistiam.

3) *In scriptis item apostolorum* appellatur *calix*, *panis*, *fractio panis* [6], quia in pane et vino instituta est, et sub eorum accidentibus conservatur.

4) Ab apostolis primo et deinde ab omnibus christianis dicitur *communio* et *communicatio* [7], quia nos cum Christo capite conjungit, et quia in unum conveniunt christiani, ut corpore Christi reficiantur.

5) A Patribus nominatur *eucharistia* Εὐχαριστία, seu gratiarum actio [8], tum quia Christus in ejus institutione gratias Deo egit, tum quia oportet nos in ejus receptione gratias Deo referre.

6) A populo christiano et Ecclesiae ritu appellatur *Sanctissimum Sacramentum*, quia est omnium sacramentorum praestantissimum continens auctorem sanctitatis et perfectionis.

7) Non semel audit *sacrificium*, quia in ejus consecratione verum et idem ac in cruce offertur Deo sacrificium.

8) Vocatur *viaticum*, quia fideles hoc sacramento refecti viam de hoc mundo ad patriam peragunt.

---

[1] **S. Thomas,** *III p.*, q. 73, a. 6.
[2] **S. Thomas,** *III p.*, q. 73, a. 6.
[3] **S. Thomas,** *III p.*, q. 73, a. 6.
[4] *Matth.*, 26, 26 sqq.
[5] *I Cor.*, 11, 20.
[6] *Luc.*, 24, 35; *Act.*, 2, 47.
[7] *I Cor.*, 10, 16.
[8] *Didaché*, c. 9-10; **Journel, 6.**

ARTICULUS II

ERRORES CIRCA VERITATEM REALIS PRAESENTIAE CHRISTI IN EUCHARISTIA

302. 1) A primis jam Ecclesiae saeculis quidam indirecte negaverunt praesentiam realem Christi in eucharistia, cum noluerunt admittere Christum adsumpsisse veram carnem. De docetis ait *S. Ignatius M.* (107): «Ab eucharistia et oratione abstinent, eo quod non confiteantur eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est, quamque Pater benignitate sua suscitavit» [1]. Hos sequuti sunt monophysitae et quotquot negaverunt veritatem corporis Christi.

2) Joannes Scotus Erigena (c. 883), scripto opere *De corpore et sanguine Christi*, quaedam ita obscure circa hoc mysterium exposuit, ut videatur negare praesentiam realem Christi in eucharistia [2], quamvis aliqui eum de errore excusent [3].

3) *Berengarius* Turonibus natus, et andegavensis (Angers) ecclesiae archidiaconus, doctrinam Scoti Erigenae, ut ipse dicebat, sequutus, scripsit librum *De sacra coena*, et dixit Christum post consecrationem esse praesentem in hoc sacramento eo modo, quo Christus dicitur leo, agnus, lapis angularis. Aliqui graves Doctores suspicati sunt Berengarium non realem praesentiam sed transsubstantiationem tantum negasse; sed critici hodierni verius contendunt hunc auctorem realem ac physicam Christi praesentiam impugnasse. Ab Adelmanno, Lanfranco, Guitmundo, Aversano et aliis impugnatus, et a variis Romae ac Galliae conciliis damnatus, inconstanter aliquando se gessit, sed tandem a Gregorio VII communioni Ecclesiae restitutus est [4], et in sinu Ecclesiae anno 1088 obiit [5].

4) *Petrobrussiani* a Petro de Bruis, qui et *henriciani* ab Henrico quodam Petri discipulo dicti sunt, saeculo XII docuerunt Christum fuisse praesentem in eucharistia ab ipso Christo in ultima coena consecrata, non vero in missa celebrata a sacerdotibus.

5) *Waldenses* et *albigenses* saeculo XII, necnon *flagellantes* saeculo XIV inficiati sunt praesentiam realem Christi in eucharistia. Wiclefus juxta alios praesentiam realem, juxta alios transsubstantiationem negavit [6].

6) *Novatores* saeculi XVI varie de hoc erraverunt:

a) *Lutherus*, ut Carlostadio et sacramentariis contradiceret, praesentiam realem Christi in eucharistia defendit saltem tempore sumptionis, accedente fidelium communione [7], sed addit in capite sexto Joannis in totum nec syllabam de sacramento fieri sermonem [8]. Negat praeterea in sacrificio missae transsubstantiationem fieri [9]. Docet deinde sacrificium missae esse «longe impiissimum abusum» [10]; et in eucharistia tempore sumptionis «esse verum panem verumque vinum» simul cum carne et sanguine Christi [11].

---

1 *Ep. ad Smyrnaeos*, 7, 1; MG **5**, 713.

2 **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacram. euchar.*, disp. 6, q. 1; et **Katschthaler,** *De sacramentis*, n. 350.

3 Ejus liber saepe damnatus est.

4 Vide jusjurandum a Berengario praestitum apud **Denz-Bannw.,** 355.

5 Cfr. **Chardonius,** *Histoire des sacrements*, apud **Migne,** *Cursus completus*, t. 20, p. 218; **Hefele-Leclerque,** *Histoire des Conciles*, t. 4, p. 1040 sqq.; **Hergenröther,** *Hist. de la Igl.*, (hisp. versa), t, 3, p. 390 sqq.—Acta Conciliorum vide apud **Mansi,** t. 19, p. 757 sqq.; 837 sqq.; 897 sqq.; et t. 20, p. 516 sqq.

6 In Concilio constantiensi tributa est Wiclefo et damnata haec 3.ª propositio: «Christus non est in eodem sacramento identice et realiter propria praesentia corporali». **Denz-Bannw.,** 583.

7 *In ep. ad argentinenses;* et *De abroganda missa priv.*, «Abunde satis».

8 *De captivitate babylonica Ecclesiae*, «Primum».

9 *De captivitate babylonica Ecclesiae*, «Dedit mihi».

10 *De captivitate babylonica Ecclesiae*, «Tertia captivitas».

11 *De captivitate babylonica Ecclesiae*, «Dedit mihi».

b) *Zwinglius* primo subscripsit Luthero, sed ex quo scripsit anno 1525 librum *De vera et falsa religione*, in sacramentarios deflexit; et in capite *De eucharistia* cum Carlostadio et Oecolampadio defendit verbum *est* in forma consecrationis idem valere ac *significat*, ac proinde eucharistiam nihil aliud esse quam symbolum corporis et sanguinis Christi seu commemorationem passionis ejusdem [1].

c) *Calvinus*, negans veritatem transsubstantiationis et realis praesentiae Christi in eucharistia, docet formam verborum *Hoc est corpus meum* significare «Hoc est symbolum corporis mei» [2]. Addit tamen «non aliter animas nostras carne et sanguine Christi pasci, quam panis et vinum corporalem vitam tuentur et sustinent» [3], quia «quamvis in nos non ingrediatur ipsa Christi caro» tamen «corporis (Christi) participatione non minus laute afluenterque pascimus» [4].

d) *Confessio augustana* pluries mutata sic tandem relicta fuit: «De coena Domini docent, quod cum pane et vino vere exhibeatur corpus et sanguis Christi vescentibus in coena Domini» [5].

e) *Anglicani* post multas vacilationes in catechismo haec dixerunt: «*Quaestio:* Quae est pars externa seu signum in coena Domini? *Resp.:* Panis et vinum, quae Dominus jussit recipi. *Quaestio:* Quae est pars interna seu res significata? *Resp.:* Corpus et sanguis Christi, quae spiritualiter sumuntur ac recipiuntur a fidelibus in coena Domini» [6].

Sed inter religionis articulos tenent articulum 28 his verbis conceptum: «Coena Domini non est tantum signum mutuae benevolentiae christianorum inter sese, verum potius est sacramentum nostrae per mortem Christi redemptionis. Atque adeo rite, digne et cum fide sumentibus, panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi; similiter poculum benedictionis est communicatio sanguinis Christi».

«Panis et vini transsubstantiatio in eucharistia ex litteris probari non potest, sed apertis Scripturae verbis adversatur, sacramenti naturam evertit, et multarum superstitionum dedit occasionem. Corpus Christi datur, accipitur et manducatur in coena, tantum caelesti et spirituali ratione. Medium autem, quo corpus Christi accipitur et manducatur in coena, fides est» [7].

7) *Modernistae* errant, cum dicunt: «Non omnia, quae narrat Paulus de institutione eucharistiae (I Cor., 11, 23-25), historice sunt sumenda» [8].

8) *Critici* denique *hodierni* putant praesentiam realem corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini repugnare legibus physicis, et dogma catholicum esse inventum ecclesiasticum.

---

[1] *Zwinglii opera*, III, p. 258 sqq.

[2] *Instit.*, lib. 4, c. 17, n. 21.

[3] *Instit.*, lib. 4, c. 17, n. 10.

[4] *Instit.*, lib. 4, c. 17, n. 32.

[5] *Confessio augustana*, a. 10, Wormatiae anno 1540 declarata.

[6] «*Question.* What is the outward part or sign of the Lord's Supper?». «*Answer*: Bread and Wine, which the Lord hath commanded to be received.» «*Question*: What is the inward part, or thing signified?» «*Answer*: The Body and Blood of Christ, which are spiritually taken and received by the faithful in the Lord's Supper.» *The Book of common Prayer*, A Catechism.

[7] *Articles of Religion*, art. 28.

[8] Decreto *Lamentabili*, prop. 45; **Denz-Bannw.**, 2045. Vere inaudita sunt in doctrina catholica, quae **Loisy,** *L'Evangile et l'Eglise*, p. 181-183, et p. 199-200, necnon *Autour d'un petit livre*, p. 237-238; **Le Roy,** *Dogme et Critique*, p. 18-20, et 258-259; et alii modernistae dixerunt de praesentia reali Christi in eucharistia.

ARTICULUS III

UTRUM EX S. SCRIPTURA CONSTET VERA, REALIS AC SUBSTANTIALIS PRAESENTIA CHRISTI IN EUCHARISTIA

303. Status quaestionis. Tria praesertim argumenta cum pluribus consectariis solent a S. Scriptura peti in favorem praesentiae realis Christi in eucharistia. *Primum*, ex promissione Christi dandi se ipsum in cibum et potum, prout habetur in Evangelio S. Joannis, capite sexto. *Secundum*, ex institutione eucharistiae in ultima coena, prout narratur a synopticis. *Tertium*, ex institutione pariter, prout legitur in narratione S. Pauli Apostoli, I Cor., 11, 23 sqq.

304. THESIS I. **Ex promissione eucharistiae instituendae, quae legitur in Evangelio S. Joannis, cap. 6, certe demonstratur vera ac realis praesentia Christi in eucharistia.**

Expenditur argumentum.

Tres praecipue partes complectitur caput sextum Evangelii Sancti Joannis.

In prima parte (v. 1-25) refertur miraculum multiplicationis quinque panum et duorum piscium, quibus Christus saturavit hominum quasi quinque millia. Hoc cum vidissent illi homines, dicebant Jesum esse prophetam, et volebant eum facere regem. Jesus autem, videns cogitationes eorum, fugit in montem solus, sed altera die inventus est a turba trans mare Capharnaum (v. 25).

In altera parte (26-60) refertur ad longum sermo Domini de pane coelesti. 26. *Quaeritis me*, inquit, *non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus et saturati estis*. Et cum replicassent judaei: 31. *Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de caelo dedit eis manducare*. Respondit Jesus: 32. *Amen, amen dico vobis. Non Moyses dedit vobis panem de caelo, sed Pater meus dat vobis panem de caelo verum. Panis enim Dei est, qui de caelo descendit, et dat vitam mundo... Ego sum panis vitae; qui venit ad me, non esuriet: et, qui credit in me, non sitiet unquam*. Cum autem murmurarent judaei de illo, quia dixit: 41. *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi;* respondit Jesus: *Nolite murmurare in invicem:* et locutus est eis de fide in ipsum, et ait: *Qui credit in me, habet vitam aeternam* (47).

Sed statim addit de reali manducatione: 48. *Ego sum panis vitae*. 49. *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt* (*Ex.*, 16, 13). 50. *Hic est panis de caelo descendens, ut, si quis ex ipso manducaverit, non moriatur*. 51. *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi*. 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum, et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. 53. *Litigabant ergo judaei ad invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* 54. *Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen, dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. 55. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet*

vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. 56. *Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* 57. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* 58. *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me.* 59. *Hic est panis, qui de caelo descendit. Non sicut manducaverunt Patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.*

In tertia parte (60-71) referuntur effectus sermonis Domini inter auditores, confirmatio doctrinae a Christo traditae, et confessio Petri.

1) In prima parte, licet habeatur quaedam praeparatio ad ea, quae sequuntur, agitur tamen directe de pane materiali, non de eucharistia.

2) In secunda parte, quae complectitur sermonem Domini, est gravis controversia.

a) Plerique protestantes, et quotquot negant ex hac eucharistiae instituendae promissione posse probari praesentiam realem Christi in eucharistia, volunt sermonem Domini intelligendum esse in sensu figurato, quatenus Jesus dicit se esse panem vitae, sicut se dicit vitam hominis.

b) Catholici e contra omnes, uno vel altero excepto, contendunt Christum in hoc sermone locutum fuisse de eucharistia [1]; quamvis non conveniant in determinando versu, in quo Christus incepit agere de cibo et potu eucharistico.

Aliqui volunt totum sermonem a versu 26 referri ad eucharistiam. Ita *Perrone, Pesch, Billot,* et alii [2].

Alii defendunt in sermone Domini duas sectiones esse distinguendas, adeo ut in prima sectione (26-47) Christus locutus fuerit de spirituali manducatione per fidem, et in secunda (48-59) de reali manducatione carnis et sanguinis Christi, quasi gradatim vellet ducere judaeos ad cognitionem eucharistiae. Ita *Maldonatus, Salmanticenses, Wiseman, Franzelin, Knabenbauer, Calmes,* et alii [3].

Resolutio hujus quaestionis domesticae non est necessaria ad probandam vim argumenti de praesentia reali Christi in eucharistia, quia omnes catholici concedunt Christum in secunda saltem sectione sui sermonis certe egisse de cibo eucharistico in sensu proprio. Utraque catholicorum sententia est vere fundata, sed dissimulare non possum facilius explicari quaedam effata Patrum, qui loquuntur de manducando pane vitae per fidem, si distinguantur duae partes sermonis Christi, in quarum prima agatur de cibo spirituali fidei, et in altera de cibo reali eucharistico.

3) In tertia parte (60-71) narrantur opiniones judaeorum circa verba Domini, status animi judaeorum, confirmatio eorum, quae dicta sunt a Christo, et confessio Petri.

---

[1] In Concilio tridentino disputatum est de sensu verborum Domini, sed Patres noluerunt quaestionem dirimere. Cfr. **Pallavicini,** lib. 17, c. 11.

[2] **Perrone,** *De eucharistia,* n. 12 sqq.; **Pesch,** *De sacramentis,* n. 579; **Billot,** *De eucharistia,* th. 38.

[3] **Maldonatus,** *Commentaria in Joannem,* c. 6; **Salmanticenses,** *De SS. eucharistiae sacramento,* disp. 1, n. 2; **Wiseman,** *Lectures on the real presence,* lect. 1-4; **Franzelin,** *De sacramento eucharistiae,* th. 3; **Knabenbauer,** *Comment. in Joannem,* c. 6, 48-59; **Calmes,** *L'Evangile selon S. Jean,* ch. 6.

Quaestio dilucidanda et vis argumenti.

Dilucidandum hic venit, an verba, quae protulit Dominus in secunda sectione sui sermonis (48-59) intelligenda sint in sensu litterali de edenda realiter carne et bibendo sanguine Christi, ut defendunt catholici, vel in sensu metaphorico seu translato, ut volunt protestantes.

Interpretationem catholicorum veram esse et verba Christi in hac sectione (48-59) in sensu litterali ac proprio intelligenda esse probant ipsi sermonis termini, impossibilitas explicandi textum in sensu metaphorico, et interpretatio audientium.

1) *Termini sermonis.* Ait Dominus Jesus: *Ego sum panis vitae... Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* [1]; id est, panis, quem ego dabo est caro mea immolanda pro mundi vita vel salute. Clarius legitur in graeco: *Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro saeculi vita.* His verbis praedixit Jesus sacrificium cruentum crucis, in quo carnem suam esset daturus pro saeculi vita, et simul promisit hanc carnem in cruento sacrificio immolatam tradendam esse in cibum. Sacrificia enim cruenta solent ubique per realem hostiarum manducationem consummari .[2] Unde hanc doctrinam corroborans statim addit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam* [3]. Et ut nemini remaneret de hoc dubium, exclamavit: *Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* [4].

2) *Impossibilitas explicandi verba Domini in sensu metaphorico.* Expressio «carnem alicujus manducare» in sensu metaphorico apud judaeos et orientales solum significat *ipsum calumniari, odio prosequi, perdere* [5]. Hoc sensu ait psaltes: *Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas* [6]; et Job: *Quare persequimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini?* [7]. Sub hac metaphora conqueritur uterque de injuriis sibi illatis. Jesus autem nequivit adhibere metaphorice expressionem de carne sua manducanda, quatenus significabat inferre injurias, quia fecisset hunc sensum: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis,* id est, nisi calumniaveritis Filium hominis, non habebitis vitam in vobis. Hoc esset ridiculum. Nisi ergo admittatur Christum in suo sermone absurda protulisse, verba ejus accipienda sunt in sensu litterali de vera manducatione carnis et potu sanguinis Jesu Christi in eucharistia.

3) *Intelligentia* seu *interpretatio audientium.* Tum judaei tum discipuli, qui praesentes erant, litteraliter verba Domini intellexerunt.

Judaei etenim, scandalizati de praedicatione Jesu, dixerunt: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* (53). Jesus autem, si locutus fuisset metaphorice, debuisset certe in re tanti mo-

---

1 *Joan.*, 6, 48-52.
2 Cfr. **Billot,** *De eucharistia,* th. 38, § 1.
3 *Joan.*, 6, 54-55.
4 *Joan.*, 6, 56.
5 Locutio *sanguinem bibere* in sensu metaphorico vix apud judaeos usurpatur nisi forte in symbolum alicujus vindictae vel poenae.
6 *Ps.* 26, 2.
7 *Job,* 19, 22.

menti tollere scandalum judaeorum et explicare sensum verborum, sed urgentius institit in ipsum, et gravius repetiit carnem suam se daturum, ut manducaretur a fidelibus.

Discipuli vero non solum litteraliter sed crasso modo verba Domini intellexerunt, cum exclamarunt: *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* [1]. «Invitari se, ait *S. Cyrillus alex.*, ad belluinam aliquam crudelitatem putabant (discipuli), ita ut carnibus quidem vesci inhumaniter et sorbere sanguinem juberentur, et quaecumque vel auditu solo horrenda sunt, facere cogerentur» [2]. Hanc discipulorum crassam intelligentiam corrigere volens, ait Jesus: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius?* [3]. Id est, «tunc non scandalizabimini, *cum videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius*» [4]; et videbitis hic non agi de concidenda crudeliter et devoranda inhumaniter mea carne.

Quin tamen retractaret doctrinam de reali manducatione carnis Filii hominis, addidit: *Spiritus est, qui vivificat; caro non prodest quidquam; verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt* [5]; quasi diceret: Caro materialiter tantum devorata non prodest quidquam, sed caro, quam verbis explicui (*verba quae ego locutus sum vobis*) realiter quidem sed modo sacramentali et cum fide manducata spiritus et vita est.

Non obstante hac explicatione, multi discipulorum abierunt, et Jesus interrogavit duodecim: *Numquid et vos vultis abire?* [6]. Tunc edidit Petrus pulcherrimam confessionem dicens: *Ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes* [7].

305. Scholion. Difficultatem non parvam offerunt illa Domini verba: *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam· verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt* [8]. Contendunt protestantes Dominum his verbis modificasse praecedentes expressiones, et satis clare indicasse carnis manducationem non in sensu litterali sed metaphorico de manducatione per fidem intelligendam esse.

Resp. 1) Judaei ac discipuli Domini, qui audito sermone abierunt, non metaphorice sed in sensu litterali haec verba intellexerunt, et nihil suadet ea nunc ad sensum metaphoricum detorquere.

2) Dupliciter poterant judaei ac discipuli manducationem carnis Christi intelligere: a) *Carnaliter et crasso modo* secundum crudelitatem belluinam per immolationem cruentam victimae, ut in sacrificiis fieri consuevit, et hunc modum damnat Christus his verbis: *Caro non prodest quidquam*, ut expresse docet *S. Cyrillus*. b) *Realiter sacramentaliter*, quando cum spiritu devotionis et fidei ipsa caro vere sumitur, et hoc

---

[1] *Joan.*, 6, 61.
[2] *In Joan.*, lib. 4, c. 3; MG **73,** 600.
[3] *Joan.*, 6, 62-63.
[4] **Maldonatus,** *Comment. in Joannem*, c. 6, n. 151.
[5] *Joan.*, 6, 64.
[6] *Joan.*, 6, 68.
[7] *Joan.*, 6, 69. Hoc argumentum dilucide plures theologi exponunt. Videri possunt **S. Thomas,** *In Joannem*, 6; **Perrone,** *De eucharistia*, n. 12 sqq.; **Wiseman,** *Lectures on the real presence*, lect. 1-4; **Franzelin,** *De eucharistia*, th. 3; **Katschthaler,** *De sacramentis*, n. 365 sqq.; **Van Noort,** *De sacramentis*, n. 277 sqq.
[8] *Joan.*, 6, 64.

sensu caro Christi spiritus et vita est. Apposite ad rem *Katschthaler:* «Christus v. 64 nil aliud dicere videtur, quam: Cum vobis vitam aeternam polliceor, si carnem meam comederitis, hoc rudi crassaque ratione esse intelligendum ne credatis, ac si membra mea divellenda essent in frusta, et articulatim singulis distribuenda, ac dentibus comminuenda; sed modo quodam prorsus sublimiori, modo nempe sacramentali, carnem meam in cibum et sanguinem meum in potum vobis daturus sum» [1].

306. THESIS II. **Ex verbis institutionis, prout narratur in synopticis et in epistola S. Pauli ad Corinthios, luculenter ostenditur praesentia realis Christi in eucharistia.**

Textus synopticorum et epistolae S. Pauli Apostoli ad Corinthios sic leguntur:

Matth. 21

26. Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: accipite et comedite: *Hoc est corpus meum.*

27. Et accipiens calicem gratias egit, et dedit eis dicens: Bibite ex hoc omnes.

28. *Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Marc. 16

22. Et, manducantibus illis, accepit Jesus panem, et benedicens fregit, et dedit eis, et ait: Sumite, *hoc est corpus meum.*

23. Et, accepto calice, gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes.

24. Et ait illis: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.*

Luc. 22

19. Et, accepto pane, gratias egit et fregit, et dedit eis dicens: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.*

20. Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.*

I Cor. 11

23. Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem.

24. Et gratias agens fregit, et dixit: Accipite et manducate: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.*

25. Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine; hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.*

Praenotamina. 1) Critici hodierni communiter concedunt epistolam primam S. Pauli Apostoli ad Corinthios, quae scripta dicitur ante annum 58, esse synopticis antiquiorem. Inde fiunt conjecturae circa influentiam hujus epistolae in synopticos, praesertim in Lucam, et circa affinitatem Evangeliorum Matthaei ac Marci. Sed hoc parum referre videtur ad casum. Sive enim admittatur dependentia synopticorum ab epistola prima ad Corinthios sive non, vis argumenti, quod petitur ex verbis institutionis in favorem praesentiae realis Christi in eucharistia, minime labefactatur.

[1] *De sacramentis*, n. 375. Eodem modo textum explicat **S. Augustinus,** *In Joannem*, tr. 27, n. 5; ML **35,** 1617.

2) Quatuor narrationes, quas ad litteram retulimus, substantialiter non differre patet ex verbis. De differentiis earum accidentalibus consulendi sunt commentatores Scripturarum [1].

3) Restat hic probandum ex verbis institutionis, quae in quatuor relationibus inter se conveniunt, rite colligi veram ac realem praesentiam Christi in eucharistia.

Arg. Verba institutionis: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus:* si in sensu litterali ac proprio accipiantur, significant corpus et sanguinem Christi esse vere ac realiter in eucharistia. Sed plurima eaque irrecusabilia fundamenta evincunt ea verba in sensu litterali ac proprio esse accipienda. Ergo.

Protestantes, rationalistae, modernistae, aliique haeretici quoquo se vertunt, ut vim hujus argumenti infirment.

Refert *Bellarminus* suo jam tempore prodiisse librum, in quo ducentae numerabantur haereticorum diversae expositiones vel depravationes verborum: *Hoc est corpus meum* [2].

Aliqui calvinistae vim faciebant in pronomine *hoc*, et dicebant, sive hoc pronomen significet corpus sive panem, non posse admitti doctrinam catholicam. Si significat corpus, facit hunc sensum: *Hoc corpus est corpus meum*, quod est ridiculum. Si significat panem, dicetur: *Hic panis est corpus meum*, quod est falsum.

Alii contendunt verbum *est* idem valere ac *significat* vel *repraesentat*, id est: *Hoc significat* vel *repraesentat corpus meum.*

Loisy defendit verba Christi in institutione eucharistiae fuisse: *Ecce corpus meum* [3].

Hodierni protestantes, qui in rationalismum et modernismum deflectunt, facile concedunt in verbis institutionis, quae retulimus, sermonem esse de manducatione reali corporis et sanguinis Christi, sed contendunt auctores synopticorum et epistolae ad Corinthios ideas elaborasse menti ac intentioni Christi minime conformes.

Alii addunt Christum Dominum, quando verba institutionis protulit nihilo advertisse nisi regno Dei, in quo juxta prophetias messianicas ipse futurus erat in sensu eschatologico cibus et alimentum beatorum, et se ipsum in cibum ac potum discipulis obtulisse pro regno messianico futuro.

Verba institutionis in sensu litterali ac proprio esse accipienda demonstrant sequentia:

1) *Communis regula hermeneuticae,* juxta quam verba S. Scripturae sunt in sensu litterali interpretanda, ubi rationes evidentes contrarium non suadeant. Sed nulla est evidens nec probabilis ratio, quae suadeat verba institutionis in sensu tropico aut metaphorico interpretari. Nec enim natura rei, nec orationis indoles nec circumstantiae postulant praefata verba allegorice aut metaphorice interpretari. Res, quae hic defenditur, possibilis est attenta Dei potentia, indoles orationis sensum litteralem potius quam figuratum exigit, et circumstantiae cunctae, ut ablutio pedum, conditio personarum, etc., vehementer suadent verba Domini in sensu obvio ac litterali intelligere.

---

[1] Cfr. **Batiffol,** *De eucharistie*, p. 123 sqq.

[2] **Bellarminus,** *De eucharistia*, lib. 1, c. 8.

[3] *Les évangiles synoptiques*, t. 2, p. 520. Modernistae autem dicunt: «Non omnia, quae narrat Paulus de institutione eucharistiae *(I Cor.*, 11, 23-25), historice sunt sumenda». Decreto *Lamentabili*, prop. 45; **Denz-Bannw.,** 2045.

2) *Textus narrationis non patitur interpretationem tropicam.* Verba siquidem: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus,* prolata a Christo in momento solemnissimo totius vitae, quando suum condebat testamentum, et praestantissimum instituebat sacramentum, oportebat esse clara directe rem significantia. Unde sensum litteralem exhibebant. Urgentius hoc corroboratur ex verbis, quae sequuntur. De ipso corpore ac sanguine, de quibus loquebatur, adjecit Jesus: *Quod pro vobis datur: quod pro vobis tradetur; qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

3) *Subjecta materia.* Jesus enim in ultima coena testamentum condidit, legem statuit, sacramentum instituit, dogma docuit. Haec autem omnia requirunt, ut verbis et formulis claris in sensu proprio intellectis redactentur, non troporum et metaphorarum figuris involuta tradantur [1].

4) *Conditio personae loquentis.* Dominus noster, quando haec dictabat, Magistrum ac Doctorem se exhibuit, et discipulos atque turbas mysteria redemptionis edocuit. In his autem circumstantiis oportuit, ut locutionibus uteretur simplicibus ac claris, non aequivocis atque metaphoricis.

5) *Locutio graeca* particulis saepe repetitis fit in praesenti emphatica, et sensum verborum litteralem magis determinat. En textus graecus: Τουτο εστιν το σωμα μου, το υπερ υμων διδομενον [2]. Τουτο γαρ εστιν το αιμα μου, τοτες καινης διαθηκης, το περι πολλων εκχυνομενον [3] Harum locutionum sensus hic est: *Hoc, quod do vobis manducandum, est ipsum corpus meum, ipsum, quod pro vobis tradetur. Quod do vobis bibendum, est ipse sanguis meus, ipse, qui pro multis effundetur.* Haec repetitio pronominis demonstrativi est emphatica, et verba locutionis, praesertim in graeco, contrahit ad sensum litteralem et proprium.

6) Ea, quae verbis institutionis adjunxit Apostolus, certe determinant sensum litteralem textus. Apostolus enim, postquam a Deo edoctus enarravit verbis supra relatis factum institutionis, adjunxit: *Itaque, quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo; et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit; non dijudicans corpus Domini* [4]. Qui autem spiritualiter per fidem vel in figura manducat indigne, id est, in peccato corpus Domini, non adeo graviter peccat, ut dicatur esse reus corporis et sanguinis Domini, aut judicium sibi manducare ac bibere.

Aliae quoque rationes, quae videri possunt apud apologetas, vehementer suadent, ut verba institutionis eucharistiae in sensu litterali ac proprio sumantur.

307. Corollarium. Concilium tridentinum merito ad rem scribit: «Quae verba, a sanctis evangelistis commemorata (*Matth.*, 26, 26 sqq.;

---

1 Cfr. **Monsabré,** *Conferencia,* 67.
2 *Luc.*, 22, 19.
3 *Matth.*, 26, 28.
4 *I Cor.*, 11, 27-29

Marc., 14, 22 sqq.; *Luc.*, 22, 19 sq.), cum propriam illam et apertissimam significationem prae se ferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt, indignissimum sane flagitium est... ad fictitios et imaginarios tropos, quibus veritas carnis et sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiae sensum detorqueri»[1].

Objectiones.

308. Obj. 1.° Pronomen *hoc* in verbis institutionis, et in forma hujus sacramenti vel significat panem, speciem panis, vel corpus Christi. Nihil horum potest significare, quia, si significat panem vel speciem panis, facit hunc sensum: *Hic panis seu haec species panis est corpus meum;* quod est falsum. Si significat corpus Christi, etiam enuntiat falsum, quia, cum Christus pronuntiavit *hoc*, nondum erat corpus Christi.

Resp. Pronomen *hoc* in verbis institutionis eucharistiae significat, non panem nec corpus determinate, sed praesentiam rei indeterminate, quae in principio locutionis est substantia panis, et in fine corpus Christi.

Ut hoc plenius intelligatur, notandum est cum cl. *Pesch* [2] duplex esse propositionum genus. Quaedam dicuntur *propositiones mere theoreticae*, in quibus nihil efficitur, atque ideo terminus earum, si sint affirmativae, exsistit ab initio, ut, cum demonstro hominem, possum dicere *hic est homo*, quia ab initio exsistit homo. Aliae sunt *propositiones practicae* seu *effectivae*, in quibus subjectum convertitur substantialiter vel accidentaliter in substantiam vel munus praedicati, ut in hac propositione: *hoc est corpus meum*, substantiam panis convertit Christus in suum corpus; et rex volens creare suum ministrum, pronuntiat: *hic est minister meus*, et hominem, qui in principio locutionis non erat minister, in fine creat ministrum.

In his itaque propositionibus subjectum significat praesentiam rei indeterminate, et praedicatum designat rem, quae efficitur. Haec res, quae efficitur, transeunter est in subjecto, et permanenter in praedicato.

Obj. 2.° Verbum *est* in verbis institutionis et consecrationis eucharistiae idem valet ac *significat*, tum, quia in lingua syriaca verbum significandi exprimitur per particulam *est;* tum, quia S. Scriptura in aliis locis saepe usurpat verbum *est* pro *significat*, ut: *Petra autem erat Christus* [3]; *Semen est verbum Dei* [4]. Quidni idem valeat in verbis institutionis eucharistiae?

Resp.—*Neg. ant.* Tota enim antiquitas christiana et traditio non interrupta omnium saeculorum accepit verbum *est* in hac locutione in proprio sensu.

Ad primam probationem dicendum est in lingua syriaca plura esse verba, quae idem valent ac *significat*. Plusquam quadraginta modos eruditi invenerunt, quibus in lingua syriaca et aramaica possit dici: *hoc significat*, sine verbo auxiliari *est* [5].

Ad secundam probationem negatur consequentia. Nihil enim sequitur ad rem ex eo, quod S. Scriptura in aliis locis adhibuerit *est* pro significat. Saepe etiam adhibuit hanc copulam in sensu litterali et obvio.

Obj. 3.° Christus post institutionem eucharistiae ait discipulis: *Hoc facite in meam commemorationem* [6]. Nihil autem fit in commemorationem personae praesentis sed absentis. Ergo Jesus Christus non remansit in eucharistia praesens.

---

[1] *Sess.* 13, c. 1; **Denz-Bannw.**, 874.
[2] *De sacramentis*, n. 607.
[3] *I Cor.*, 10, 4.
[4] *Luc.*, 8, 11.
[5] Cfr. **Wiseman**, *Horae syriacae*, dissert.
[6] *I Cor.*, 11, 24.

Resp.—*Dist. min.* Nihil fit in commemorationem personae visibiliter praesentis, *conc.*; in commemorationem personae praesentis invisibilis, *neg.* Christus est realiter praesens in eucharistia, sed permanet omnino invisibilis, et sensibus nostris potest dici absens. Hoc sufficit, ut in ejus commemorationem divina altaris mysteria celebrentur. Commemoratio seu memoria aliquando recordat oblita, quandoque trahit absentia, non semel designat invisibilia.

ARTICULUS IV

UTRUM EX TRADITIONE CONSTET REALIS PRAESENTIA CHRISTI IN EUCHARISTIA

309. Status quaestionis. Plura sunt, ut diximus in theologia fundamentali [1], organa traditionis conservandae. Praecipua sunt opera SS. Patrum, decisiones conciliorum, liturgiae variae, inscriptiones archaeologicae, doctrina theologorum, praxis ecclesiarum dissidentium, etc.

Quaeritur, an dogma de reali praesentia Christi in eucharistia vere conservetur in his organis traditionis.

310. THESIS. **Doctrina de reali praesentia Christi in eucharistia constat certissime ex constanti traditione.**

Nota. Antequam testimonia SS. Patrum exhibeamus, operae pretium est animadvertere priscos Ecclesiae Patres non ex professo sed per transennam plerumque egisse de reali Christi praesentia in eucharistia, quia haeretici primorum saeculorum hanc veritatem negare non solebant.

311. I. **Testimonia SS. Patrum.**

S. Ignatius M. de docetis ait: «Ab eucharistia et oratione abstinent, eo quod non confiteantur eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est, quamque Pater benignitate sua suscitavit» [2].

S. Justinus M.: «Hoc alimentum paud nos vocatur eucharistia... Neque enim ut communem panem neque ut communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jesus Christus Salvator noster et carnem et sanguinem habuit nostrae salutis causa, sic etiam illam alimoniam, in qua per precem ipsius verba continentem gratiae actae sunt, ex qua sanguis et carnes nostrae per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus» [3].

S. Irenaeus: «Quomodo autem constabit eis (gnosticis) eum panem in quo gratiae actae sunt, corpus esse Domini sui, et calicem sanguinis ejus, si non ipsum fabricatorem mundi Filium dicant, id est, Verbum ejus, per quod lignum fructificat...? [4].

---

[1] *Theologia fundamentalis*, n. 722 sqq.

[2] *Ep. ad Smyrn.*, c. 7; MG **5**, 713. Nec valet dicere cum quibusdam protestantibus S. Ignatium hic eucharistiam vocare symbolice carnem Christi eo modo, quo alibi (*ad Trallianos*, c. 8) fidem et caritatem vocavit carnem et sanguinem, quia hic expresse determinavit carnem Christi, *quae passa est, et quam Pater suscitavit*, quae symbolice intelligi nequit.

[3] *Apologia*, c. 66; MG **6**, 428-429; **Journel**, 113.

[4] *Adv. haer.*, lib. 4, c. 18, n. 4; MG **7**, 1027.

Tertullianus: «Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima a Deo saginetur» [1].

S. Cyprianus: «Quod non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini sanguinem bibat, sacerdotibus sacrilegus irascitur» [2].

S. Hilarius: «De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione et fide nostra vere caro est, et vere sanguis est; et haec accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo et Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est?» [3].

S. Cyrillus hierosolymitanus: «Quemadmodum enim panis et vinum eucharistiae ante sanctam adorandae Trinitatis invocationem nudus panis et vinum erat, invocatione autem peracta, *panis fit corpus Christi* et *vinum sanguis Christi*» [4].

S. Joannes Chrysostomus: «Hoc, quod in calice est, illud ipsum est, quod ex latere fluxit, et illius sumus participes... Hoc est illud corpus, quod cruentatum fuit, lancea perfossum, quod salutares fontes scaturivit orbi, alium sanguinis, alium aquae... Hoc corpus dedit nobis et tenendum et comedendum, quod intensae dilectionis fuit» [5].

Macarius Magnes, initio saeculi V inter graecos, ait: «Similiter accipiens (Christus) panem et calicem dixit: *Hoc est corpus meum et sanguis*. Non enim typus est corpus, nec typus sanguis, sicut quidam fabulati sunt mente obcoecati, sed secundum veritatem corpus et sanguis Christi» [6]. Hic auctor a saeculo jam V calvinistarum doctrinam rejecit.

S. Ambrosius: «Hoc, quod conficimus, corpus ex Virgine est; quid hic quaeris naturae ordinem in Christi corpore, cum praeter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex Virgine? Vera utique caro Christi, quae crucifixa est, quae sepulta est, vere ergo carnis illius sacramentum est. Ipse clamat Dominus Jesus: *Hoc est corpus meum*. Ante benedictionem verborum caelestium alia species nominatur; post consecrationem corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur; post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis: Amen, hoc est, verum est» [7].

Auctor libri *De sacramentis* fere eadem repetens ait: «Panis iste panis est ante verba sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi... Ergo didicisti, quod ex pane corpus fiat Christi, et quod vinum et aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi caelestis» [8].

---

[1] *De resurrectione*, c. 8; ML **2,** 852.

[2] *De lapsis*, 22; ML **4,** 498. Si corpus et sanguis Christi esset symbolice in eucharistia, non renuntiaretur sacrilegus, qui manibus inquinatis aut ore polluto illa acciperet.

[3] *De Trinitate*, lib. 8, n. 14; ML **10,** 247.

[4] *Catechesis* 19, 7; MG **33,** 1072.

[5] *In Ep. I ad Cor.*, hom. 24, nn. 1-4; MG **61,** 199 et 203.

[6] *Apocritica*, 3, 23; **Journel,** 2166.

[7] *De mysteriis*, c. 9, n. 53; ML **16,** 424.

[8] *De sacramentis*, lib. 4, c. 4; nn. 14 et 19; ML **16,** 458 sqq. Hoc opus, quod inter opera S. Ambrosii invenitur, Nicetae Ramesianensi plures tribuunt.

312. Loca difficiliora SS. Patrum explicantur.

1) *Tertullianus* adversus Marcionem scribens ait: «Hoc lignum (crucis) et Hieremias tibi insinuat dicturis praedicans judaeis: *Venite, injiciamus lignum in panem ejus* (Hier., 11, 19), utique in corpus. Sic enim Deus in Evangelio quoque vestro (Lucae) revelavit, panem corpus suum appellans, ut et hinc jam eum intelligas corporis sui figuram pani dedisse, cujus retro corpus in panem prophetes figuravit, ipso Domino hoc sacramentum postea interpretaturo» [1]. Ergo Tertullianus non praesentiam realem Christi sed figuram corporis Christi in eucharistia admittebat.

Resp. Tertullianus disputabat contra Marcionem, qui nolebat admittere Christum habuisse verum ac reale corpus. Ut adstrueret contra eum veritatem corporis realis Christi, adseruit eucharistiam in Veteri Testamento typice sub nomine panis significatam esse sacramentum, et, ut tale, esse signum corporis Christi, non vacuum et phantasticum, sed vere continens, quod significat. Unde argumentatio Tertulliani erat, prout sequitur: Eucharistia sub nomine panis fuit figura corporis Christi. «Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus» [2]. Ergo Christus habuit reale ac verum corpus.

Tertullianus igitur noluit dicere eucharistiam esse meram figuram et signum vacuum, sed signum et figuram corporis realis, quod continebat. Hanc esse suam mentem satis aperte ipsemet declaravit dicens: «Panis et calicis sacramento jam in Evangelio probavimus corporis et sanguinis dominici veritatem adversus phantasma Marcionis» [3].

Instabis. *Tertullianus* alibi clarius insinuavit verba institutionis intelligenda esse figuraliter, cum ait: «Acceptum panem et distributum discipulis corpus suum illum fecit *hoc est corpus meum* (Luc., 22, 19) dicendo, id est, figura corporis mei» [4].

Resp. In praefatis Tertulliani verbis invenitur hyperbaton vitiosum. Oratio videtur ita construenda, ut verba «id est, figura corporis mei», non apponantur immediate post *corpus meum*, sed post particulam *hoc*, quae in plurium sententia supponit pro pane, et faciat hunc sensum: hoc, id est, figura corporis mei, *est corpus meum* [5].

2) *S. Augustinus* ait: «Non enim dubitavit Dominus dicere: Hoc est corpus meum, *cum signum daret corporis sui* [6]. Et alibi: «Spiritualiter intelligite, quod locutus sum; non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi; spiritualiter intellectum vivificabit vos. Etsi necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi» [7]. Ergo Doctor hipponensis docuit in eucharistia non corpus sed figuram esse corporis Christi.

Resp. *Ad primum locum S. Augustini*, quo abutitur Calvinus [8], dicendum est totum contextum legi oportere. Agebat S. Doctor contra manichaeos, qui aspernabantur Scripturam, quod diceret sanguinem esse animam, et hac de causa prohiberet sanguinem sumere; et volens salvare Scripturam dixit sanguinem esse signum et manifestationem invisibilis animae praesentis, quia sanguine continetur anima in corpore. Quod ut confirmaret, adduxit exemplum eucharistiae, in qua datur species panis, signum visibile corporis Christi invisibiliter praesentis.

---

[1] *Adv. Marcionem*, lib. 3, c. 19; ML **2,** 376.
[2] *Adv. Marcionem*, lib. 4, c. 40; ML **2,** 491.
[3] *Adv. Marcionem*, lib. 5, c. 8; ML **2,** 520. Cfr. **Salmanticenses,** *De eucharistia*, disp. 1, n. 14.
[4] *Adv. Marcionem*, lib. 4, c. 40; ML **2,** 491.
[5] Cfr. **Sylvius,** *In III p.*, q. 75, a. 1 ad 1 ex Patribus; et **Val,** *De SS. eucharistia*, n. 146.
[6] *Contra Adimantum manich.*, c. 12, n. 3; ML **42,** 144.
[7] *Enarrationes in Ps.* 98, 9; ML **37,** 1264.
[8] *Inst.*, lib. 4, c. 17, n. 28.

Ad secundum locum S. Doctoris optime respondet S. Thomas dicens: «Ex hac auctoritate praedicti haeretici occasionem errandi sumpserunt, male verba Augustini intelligentes. Cum enim Augustinus dicit: *Non hoc, corpus, quod videtis, manducaturi estis;* non intendit excludere veritatem corporis Christi; sed quod non erat manducandum in hac specie, in qua ab eis videbatur. Per hoc autem, quod subdit: *Sacramentum, quod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos;* non intendit, quod corpus Christi sit in hoc sacramento solum secundum mysticam significationem; sed spiritualiter dici, id est, invisibiliter et per virtutem Spiritus Sancti. Unde in Joannem exponens id, quod dicitur: *Caro non prodest quidquam*, dicit: Sed quomodo illi intellexerunt; carnem quippe sic intellexerunt manducandam, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur» [1]. Manducationem σαρκοφαγιαν seu capharnaiticam damnavit S. Augustinus, non manducationem realem corporis Christi in sacramento.

313. II. **Testimonia conciliorum.**

Vix ortus est primus error directe negans praesentiam realem Christi in eucharistia, ejus auctor Berengarius coactus est in concilio romano (a. 1079) hanc formulam subscribere: «Ego Berengarius corde credo et ore confiteor panem et vinum... post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de Virgine, et quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, et quod sedet ad dexteram Patris, et verum sanguinem Christi, qui de latere ejus effusus est, non tantum per signum et virtutem sacramenti, sed in proprietate naturae et veritate substantiae» [2].

Concilium lateranense IV (a. 1215) contra albigenses declaravit Jesu Christi corpus et sanguinem in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter contineri [3].

Concilium tridentinum contra novatores edidit hunc canonem: *Si quis negaverit in sanctissimae eucharistiae sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute, a. s.* [4].

314. III. **Liturgiae variae.**

Liturgiarum nomine veniunt ecclesiarum libri rituales, qui preces, formulas ac ritus ad conficienda administrandaque sacramenta continent. Sunt diversi juxta diversitatem ecclesiarum, et dicuntur traditionis conservandae organon satis securum.

Testimonium liturgiarum, quando praesertim est constans ac uniforme, est certe magnae auctoritatis in rebus fidei, quia «legem credendi lex statuit supplicandi» [5]. Porro liturgiae omnes, tum orientales, tum occidentales, constanter tenent doctrinam de praesentia reali Domini nostri Jesu Christi in eucharistia.

Liturgia antiquissima, quae habetur *in Constitutionibus apostolicis*, capite octavo, probabiliter saeculo IV modificata, sed quoad essentia-

---

[1] *III p.*, q. 75, a. 1.
[2] **Denz-Bannw.,** 355.
[3] Cap. «Firmiter»; **Denz-Bannw.,** 430.
[4] *Sess.* 13, can. 1; **Denz-Bannw.,** 883.
[5] De gratia Dei *Indiculus*, seu «praeteritorum Sedis Apostolicae episcoporum auctoritates», c. 11; **Denz-Bannw.,** 139.

lia saeculo I exarata, haec habet: «Poscimus te, ut... super hoc sacrificium mittas Sanctum tuum Spiritum..., ut exhibeat panem hunc corpus Christi tui, et calicem hunc sanguinem Christi tui» [1].

Liturgia hierosolymitana S. Jacobi, saeculo IV jam exsistens, ait: «Mitte Spiritum Sanctum tuum..., ut adveniens efficiat panem istum... corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi... Et mistum, quod est in calice..., efficiat sanguinem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi» [2].

Liturgia S. Basilii: «Panem hunc fac pretiosum corpus Domini et Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. Hunc vero calicem sanguinem Domini et Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui pro mundi vita effusus est» [3].

Liturgiae S. Joannis Chrysostomi, ecclesiae Armeniae, Alexandriae, etcetera, diserte tradunt tum formulas consecrationis, quae significant et efficiunt conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Jesu Christi, tum orationes ac preces, quibus petitur a Deo, ut illa conversio fiat.

Liturgia romana exhibet formulam consecrationis his verbis: *Hoc est enim corpus meum: Hic est enim calix sanguinis mei... qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Post consecrationem addit: «Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, et sanguis, quem potavi, adhaereat visceribus meis».

In liturgia mozarabica dicit sacerdos: «Domine, Deus meus, da mihi corpus et sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi ita sumere, ut per illud remissionem omnium peccatorum merear accipere» [4].

In liturgiis gothica gallicana, liturgia gallorum, ambrosiana, etc., expressiones adhibentur, quae certe significant praesentiam realem Christi in eucharistia.

315. IV. **Testimonia archaeologiae christianae.**

Fideles Ecclesiae primitivae fidem suam in praesentiam realem Christi in eucharistia reliquerunt inscriptam in monumentis archaeologicis.

1) In catacombis romanis exstant picturae, quae certe repraesentant mysterium realis praesentiae Christi in hoc sacramento: a) *In sacellis sacramentorum*, quae visuntur in catacombis S. Callisti, pingitur Christus in medio discipulorum, benedicens panem et piscem in altari superpositos. Notum est autem inter christianos Ecclesiae primitivae in figura piscis Christum designari solitum fuisse [5]. b) *In coemeterio Priscillae* visitur pictura et in ea *Fractio panis*, saeculi II, repraesentans fidelium multitudinem paratam ad convivium, et sacerdotem, qui tenet panem in manibus et calicem coram se positum. Commemorat certe celebrationem sacrificii missae [6]. c) Aliae quoque inveniuntur picturae

[1] *Constit. apost.*, lib. 8, c. 5; MG **1,** 1103.

[2] **Renaudotius,** *Lit. orient.*, t. 2, p. 32 sqq.

[3] **Goar,** *Euchol.*, 169.

[4] *Missale mozarabicum;* ML **85,** 120.

[5] Hujus significationis rationem reddit **S. Augustinus,** dicens: «Horum autem quinque verborum, quae sunt Ιησους χριστος θεου Υιος Σωτηρ, latine *Jesus Christus Dei Filius Salvator*, si primas litteras jungas, erit Ιχθυς, id est, *piscis*, in quo nomine mystice intelligitur Christus». *De Civ. Dei*, lib. 18, c. 23; ML **41,** 580.

[6] Cfr. **Wilpert,** *Fractio panis*, Paris, 1896.

in catacombis, quae exhibent symbola eucharistiae, ut sunt manna deserti, multiplicatio panum, piscis, etc.

Haec omnia certe innuunt fideles, durante persecutione, fidem suam circa realem praesentiam Christi in eucharistia saepe in parietibus pinxisse [1].

2) *Epigraphia* confirmat eamdem doctrinam. Inter omnes inscriptiones, quae nuper inventae sunt, celeberrimum est epitaphium, quod Abercius, episcopus hieropoleos in Phrygia, exeunte saeculo II jussit apponi in suo tumulo his verbis:

«Paulum ego sequebar; fides autem ubique praeibat
Et apponebat cibum ubique Piscem e fonte
Maximum immaculatum, quem prehenderat Virgo casta,
Et hunc attribuebat amicis manducandum perpetuo,
Vinum bonum habens, mistum dans cum pane» [2].

Piscis nomine Christum ex Virgine natum hic significari non obscure tradit Abercius [3].

316. V. **Doctrina theologorum.**

Hanc doctrinam unanimiter tenuerunt theologi.

Guillermus parisiensis ait: «In transsubstantiatione autem nihil omnino remanet de pane praeter novissimum vel ultimum, quod est accidentium sensibilium varietas sive sensibilis forma... Sub forma panis materialis atque visibilis altari, post benedictionem sacerdotalem rite factam, apponitur panis vitae, et sub forma vini visibilis potus vitae. Et intelligimus non solum ipsum Christum solum secundum formam divinitatis panem esse vitae, sed etiam potum vitae. Sed etiam corpus ejus, quod pro nobis in cruce pependit et sanguinem» [4].

Petrus Lombardus: «Hujusmodi autem sacramenti gemina est res; una scilicet contenta et significata; altera significata et non contenta. Res contenta et significata est caro Christi, quam de Virgine traxit, et sanguis, quem pro nobis fudit. Res autem significata et non contenta est unitas Ecclesiae in praedestinatis, vocatis, justificatis et glorificatis. Haec est duplex caro Christi et sanguis» [5].

S. Thomas: «Verum corpus Christi et sanguinem esse in hoc sacramento neque sensu neque intellectu deprehendi potest sed sola fide, quae auctoritati divinae innititur» [6].

Omnes deinde theologi hanc doctrinam fideliter tenuerunt et acerrime defenderunt [7].

317. VI. **Consensus sectarum ab Ecclesia catholica dissidentium.**

Sectae dissidentes sunt veluti rami ab arbore verae Ecclesiae per

---

[1] Cfr. *Diction. archéol.*, v. «Catacombes».

[2] Apud **Kirch,** *Enchiridion fontium hist. eccles.*, n. 155.

[3] Cfr. *Diction. archéol.* et *Diction. théolog. cath.*, v. «Albericius». Circa authenticitatem hujus epitaphii videri potest **Semeria,** *Dogma, Gerarchia, e Culto*, pp. 377-382.

[4] *De sacramento eucharistiae*, fol. 14, col. 3.

[5] *IV Sent.*, dist. 8, n. 4; ML **192,** 857.

[6] *III p.*, q. 75, a. 1.

[7] Qui hoc argumentum de auctoritate theologorum fusius expendere velit, adeat commentatores S. Thomae, apologetas religionis catholicae, et theologos modernos omnium scholarum.

aliquam haeresim vel schisma divulsi. Non tamen in omnibus materiis errant, et in illis, in quibus non errant, conservant doctrinam, quam Ecclesia catholica tenebat tempore separationis earum. Quare consensus sectarum antiquarum habet magnam auctoritatem in hac materia, quia retinet veterem doctrinam Ecclesiae catholicae circa praesentiam realem Christi in eucharistia.

Porro haeretici et schismatici orientales, ut *graeci schismatici ruthe-ni, jacobitae, syri, copti, armeni, monophysitae*, etc., a centro veritatis avulsi, constituunt ecclesias ac sectas particulares, et unanimiter docent Christum vere, realiter ac substantialiter contineri in eucharistia [1].

Ipsi *nestoriani*, quamvis duplicem personam in Christo admittant, realem tamen Christi praesentiam in eucharistia profitentur [2].

Hoc argumentum dilucide exposuit *Lanfrancus* († 1089) contra Berengarium dicens: «Si verum est, quod de corpore Christi tu credis et adstruis, falsum est, quod ab Ecclesia ubique gentium de eadem re creditur et adstruitur. Omnes enim, qui christianos se esse et dici laetantur, veram Christi carnem verumque ejus sanguinem, utraque sumpta de Virgine, in hoc sacramento se percipere gloriantur. Interroga universos, qui linguae latinae nostrarumve litterarum notitiam perceperunt. Interroga graecos, armenos seu cujuslibet nationis quoscumque christianos homines. Uno ore hanc fidem se testantur habere» [3].

Corollarium. His adjunge, si vis, rationes congruentiae, quas lato calamo et utiliter exponunt *S. Thomas, Monsabré* et alii [4].

ARTICULUS V

DE TRANSSUBSTANTIATIONE

318. I. **Usus nominis.** Hoc vocabulum, quamvis Lutherus dicat esse figmentum thomisticum, antequam S. Thomas nasceretur, in usu fuit apud theologos.

Hildebertus siquidem, episcopus cenomanensis, qui anno 1134 obiit, hanc vocem adhibuit.

Paulo post *Stephanus augustodunensis*, qui circa a. 1139 vel 1140 mortuus est, orabat Deum, «ut cibus hominum fiat cibus angelorum, scilicet, ut oblatio panis et vini *transsubstantietur* in corpus et sanguinem Jesu Christi» [5].

Eodem fere tempore, circa annum scilicet 1140-1141 *Rolandus Bandinelli*, qui postea fuit Summus Pontifex sub nomine Alexandri III, in suis *Sententiis* expresse agit de transsubstantiatione panis et vini in hoc sacramento.

---

1 Cfr. **Assemani,** *Bibliotheca orientalis*, II, 39 sqq.; Auctor operis *Perpetuite de la foi*, t. 1, lib. 10; **Franzelin,** *De eucharistia*, th. 14.

2 Cfr. **Assemani,** III, part. 2, p. 209.

3 *De corpore et sanguine Domini*, c. 22; ML **150,** 440.

4 **S. Thomas,** *III p.*, q. 75, a. 1; **Monsabré,** 67.e *Conférence.*

5 *Tract. de sacramento altaris;* ML **172,** 1291.

Consecrato deinde vocabulo a concilio lateranensi IV (a. 1215) [1]; *Guillermus Parisiensis*, *Alexander Alensis*, *S. Thomas* et alii theologi illud ex professo exposuerunt [2]; concilium lugdunense II in professione fidei inclusit [3], et concilium tridentinum expresse docuit conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi *transsubstantiationem* aptissime appellari [4].

319. II. **Errores.** 1) Omnes veteres haeretici, qui ut monophysitae negaverunt Christum Dominum adsumpsisse verum corpus, negaverunt pariter conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi, ac proinde transsubstantiationem inficiati sunt.

2) Transsubstantiationis vocabulum simul et rem impugnant omnes, qui realem Christi praesentiam in eucharistia renuunt admittere. Unde waldenses, albigenses, Wiclefus, Zwinglius, Calvinus, et reformatores saeculi XVI, necnon protestantes plerique et naturalistae hodierni rejiciunt transsubstantiationem.

3) *Durandus* docuit in consecratione, corrupta forma panis, materiam ejus constitui sub forma corporis Christi subito et virtute divina [5].

4) Alii defendunt panem et vinum post consecrationem esse in eucharistia simul cum Christo, vel a) *per consubstantiationem* seu *coexsistentiam panis et vini simul cum corpore et sanguine Christi*, ut vult Lutherus tribuens corpori Christi ubiquitatem, qua possit esse in caelo et in omnibus hostiis consecratis cum pane, in pane et sub pane [6]; vel b) *per unionem hypostaticam* seu *impanationem*, qua panis dicatur hypostatice uniri cum Christo [7]; vel c) *per adsumptionem panis et vini, non quidem a Christo immediate, sed a corpore Christi*, adeo ut possit dici «panis est caro», non tamen «panis est Christus aut Deus». Ita *Joannes* quidam parisiensis saeculo XIV [8].

5) Alii, putantes rationem substantiae esse per se subsistere, et desinere esse substantiam eo solum, quod in alio supernaturaliter sustentetur, volunt transsubstantiationem seu conversionem totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini nostri explicari posse «hac ratione, quod corpus Christi, dum fit substantialiter praesens in eucharistia, sustentat naturam panis, quae hoc ipso et absque alia sui mutatione desinit esse substantia, quia jam non est in se, sed in alio sustentante; adeoque manet quidem natura panis, sed in ea cessat formalis ratio substantiae; et ideo non duae sunt substantiae, sed una sola, nempe corporis Christi». Ita professor *Bayma* [9]. Sacra Congregatio S. Officii die 7 Julii 1875 declaravit «doctrinam transsubstantiationis, prout hic exponitur, tolerari non posse» [10]. Facta siquidem panis et vini conversione, nihil remanet de eorum substantia. Praeterea, ratio formalis substantiae non solum excludit actualem inhaerentiam, sed etiam aptitudinem ad inhaerendum.

6) *Rosmini* scribebat: 29. «In eucharistico sacramento substantia panis et vini fit vera caro et verus sanguis Christi, quando Christus eam facit

---

[1] Cap. *Firmiter;* **Denz-Bannw.,** 430.

[2] **Guillermus Parisiensis,** *De sacramento eucharistiae*, fol. 14; **Alensis,** *IV p.*, q. 10, m. 4, a. 2, § 1; **S. Thomas,** *In IV Sent.*, dist. 8, a. 3.

[3] *Professio fidei Michaelis Palaeologi;* **Denz-Bannw.,** 465.

[4] *Sess.* 13, can. 2; **Denz-Bannw.,** 884.

[5] *In IV Sent.*, dist. 11, q. 3. Hanc sententiam, utpote Concilio tridentino contrariam, plures accusant de errore in fide.

[6] Cfr. **Salmanticenses,** *De eucharistiae sacramento*, disp. 1, n. 34.

[7] Ita **Lucas Osiander,** *De coena Domini*, c. 1, q. 3. Eamdem doctrinam plures tribuunt Ruperto, abbati tuitiensi, aliis reclamantibus. Cfr. **Salmanticenses,** *De eucharistiae sacramento*, disp. 1, nn. 20 et 30; **Hurter,** *Nomenclator litterarius* (1906), t. 2, pp. 28-29.

[8] Cfr. **Waldensis,** *De sacramentis*, t. 2, cc. 23 et 65.

[9] Cfr. **Lahousse,** *De sacramentis*, p. 519.

[10] **Denz-Bannw.,** 1844 sqq.

terminum sui principii sentientis, ipsamque *sua vita vivificat;* eo ferme modo, quo panis et vinum vere transsubstantiantur in nostram carnem et sanguinem, quia fiunt terminus nostri principii sentientis. 30. Peracta transsubstantiatione, intelligi potest corpori Christi glorioso partem aliquam adjungi in ipso incorporatam, indivisam pariterque gloriosam» [1].

7) Scholasticorum quaedam explicationes parum concordant cum vera doctrina de transsubstantiatione, quam tenet Ecclesia, sed de hoc inferius.

320. III. **Vera notio transsubstantiationis.** Transsubstantiatio recte in Ecclesia definitur: *Conversio totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem Christi, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini.*

Transsubstantiatio, sicut et quaelibet conversio, est transitus unius rei in aliam. Non tamen quilibet transitus est transsubstantiatio, quia transitus potest esse unius formae in aliam formam, vel accidentis ad aliud accidens, sed transsubstantiatio est transitus totius substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Christi.

Ut ratio transsubstantiationis integre salvetur, requiruntur sequentes conditiones:

1) Ut terminus *a quo* et terminus *ad quem* sint positivi, quia negatio vel privatio nequit in aliud transire, neque terminare transitum alterius. Unde creatio et annihilatio non sunt neque possunt esse conversiones.

2) Ut terminus *a quo,* qui est substantia panis, desinat esse, et terminus *ad quem,* qui est corpus Christi, incipiat quodammodo esse. Alioquin non daretur verus transitus neque conversio.

3) Ut desitio termini *a quo* et inceptio termini *ad quem* connectantur; seu clarius, ipse terminus *a quo* convertatur in terminum *ad quem,* adeo ut ipsum, quod erat terminus *a quo* seu substantia panis, dicatur et sit postea terminus *ad quem* seu corpus Christi. Non sufficit, ut unum fortuito vel ex condicto succedat alteri, ut, si Deus in eodem instanti unum angelum annihilaret et alterum crearet, non diceretur unum angelum converti in alium.

4) Addi solet quarta conditio, nempe ut aliquid exsistens in termino *a quo* conservetur in termino *ad quem,* utrique termino commune. In mira conversione panis et vini in corpus et sanguinem Christi conservantur eadem accidentia in utroque termino, sicut remanent in conversionibus naturalibus, sed haec conditio non est absolute necessaria, ut recte advertunt *Cajetanus* et *Gabriel a S. Vincentio* [2], quia poterat Christus totam substantiam panis cum omnibus suis accidentibus convertere in corpus suum, et ita efficere transsubstantiationem.

---

[1] *Prop.* 29-30 Rosmini damnatae per decretum S. Officii, die 14 Decembris 1887. **Denz-Bannw.,** 1919 sq.

[2] **Cajetanus,** *In III p.*, q. 75, a. 2; **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramento eucharistiae,* disp. 8, q. 1.

321. THESIS. **Christus fit in eucharistia realiter praesens per conversionem totius substantiae panis et vini in corpus et sanguinem ipsius, seu per transsubstantiationem.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura* [1]. Evangelia synoptica et S. Paulus expresse referunt Christum in ultima coena dixisse: *Hoc est corpus meum* [2]. Probavimus autem supra haec verba litteraliter et efficienter intelligenda esse, ac Christum per ea fieri praesentem in eucharistia. Sed «non est dare aliquem modum, quo corpus Christi verum esse incipiat in hoc sacramento, nisi per conversionem substantiae panis in ipsum» [3]. Ergo Christus fit realiter praesens in eucharistia per conversionem substantiae panis et vini [4].

Diximus in theologia fundamentali, n. 55, hanc propositionem esse conclusionem theologicam, deductam ex una propositione explicite revelata: *Hoc est corpus meum*, et altera naturali, qua dicitur haec verba verificari non posse, nisi fiat praefata conversio. Unde propositio definibilis est et definita ab Ecclesia.

Quare concilium tridentinum ait: «Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta haec synodus declarat, per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi» [5].

2) *Ex conciliis.* a) In concilio romano (a. 1079) coactus est Berengarius profiteri panem et vinum in sacrificio altaris «substantialiter converti in veram et propriam ac vivificatricem carnem et sanguinem Domini nostri Jesu Christi» [6].

b) Concilium lateranense IV (a. 1215): «Corpus et sanguis (Jesu Christi) in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem, potestate divina» [7].

c) Concilium tridentinum edidit sequentem definitionem: *Si quis dixerit in sacrosancto eucharistiae sacramento remanere substantiam panis*

[1] Veteres quidam scholastici, ut **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 11, q. 3, n. 5, et alii putant veritatem hujus theseos non posse efficaciter probari ex S. Scriptura, sed alii cum S. Thoma melius docent hanc doctrinam efficaciter probari ex S. Scriptura.

[2] *Matth.*, 26, 26; *Marc.*, 14, 22; *Luc.*, 22, 19; *I Cor.*, 11, 24.

[3] **S. Thomas,** *III p.*, q. 75, a. 3. **Cajetanus,** *In III p.*, q. 75, a. 2 «Ad evidentiam», contendit hic non agi de potentia Dei extraordinaria, secundum quam possunt excogitari alii modi, paeter conversionem, quibus fiat Christus praesens in eucharistia, sed de potentia Dei ordinaria. Sed haec interpretatio displicet aliis theologis, et videtur a mente S. Thomae aliena. Cfr. **Gonet,** disp. 4, a. 1, n. 19; **Billot,** *De sacramentis*, q. 75, prooem. Interpretes S. Thomae communius censent nullatenus fieri potuisse, ut Christus fieret praesens in hoc sacramento nisi per conversionem substantiae panis et vini. Cfr. **Salmanticenses,** *De eucharistiae sacramento*, disp. 5, nn. 47 sqq.

[4] «Ideo relinquitur, ait **S. Thomas,** quod non possit aliter corpus Christi incipere esse de novo in hoc sacramento, nisi per conversionem substantiae panis in ipsum». *III p.*, q. 75, a. 2.

[5] *Sess.* 13, c. 4; **Denz-Bannw.,** 877.

[6] **Denz-Bannw.,** 355.

[7] **Denz-Bannw.,** 430.

et vini una cum corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem *appellat, a. s.* [1].

3) *Ex SS. Patribus.* SS. Patres usque ad saeculum XII nunquam adhibuerunt vocem transsubstantiationis, sed diserte docuerunt Christum in eucharistia praesentem fieri per conversionem substantiae panis et vini in ipsum.

S. Irenaeus: «Quando mixtus calix et factus panis percipit verbum Dei, et fit eucharistia sanguinis et corporis Christi» [2].

S. Athanasius: «Quandiu quidem preces et invocationes nondum sunt peractae, nihil aliud nisi panis calixque est. Postquam autem peractae fuerint magnae miraeque preces, tunc panis fit corpus, calix autem Domini nostri Jesu Christi sanguis» [3].

S. Cyrillus hierosolymitanus: «Invocatione autem peracta, panis fit corpus Christi et vinum sanguis Christi» [4].

S. Gregorius nyssenus affirmat panem in Dei Verbi corpus *transmutari* [5].

S. Caesarius arelatensis (c. a. 470) rationem hujus doctrinae reddidit dicens: «Quid autem mirum est, si ea, quae verbo potuit creare, possit verbo creata convertere?» [6].

Hanc deinde traditionem Sancti Patres constanter tenuerunt [7].

A saeculo IX clariores adhuc explicationes dederunt Paschasius Radbertus (831) [8] et alii; a saeculo XII disertis verbis transsubstantiationem theologi proposuerunt ac propugnarunt; ac denique hanc appellationem aptissimam esse concilium tridentinum declaravit [9].

322. Corollarium. Ex hoc facile comperies, quomodo et quibus rationibus errores, quos supra commemoravimus, singillatim refutare possis.

1) *Error monophysitarum,* qui negat Christum habuisse verum corpus, caret fundamento in theologia catholica, ut jam diximus et probavimus in tractatu *De Verbo incarnato.*

2) *Haeretici,* qui negant praesentiam realem Christi in eucharistia et exinde rejiciunt transsubstantiationem, satis refutati sunt in speciali quaestione late discussa, in qua ostendimus Christum vere et realiter esse in eucharistia.

3) *Durandi sententia,* quae docet solam formam, non materiam, pa-

---

1 *Sess.* 13, can. 2; **Denz-Bannw.,** 884.
2 *Adv. haer.,* lib. 5, c. 2, n. 3; MG **7,** 1124; **Journel,** 249.
3 *Fragmenta;* MG **26,** 1325; **Journel,** 802.
4 *Catecheses,* 19 (mystagogica 1), 7; MG **33,** 1072; **Journel,** 840.
5 *Oratio catechetica,* 37; MG **45,** 93; **Journel,** 1035.
6 *Hom. 5 de Paschate;* ML **67,** 1056; **Journel,** 2231.
7 Conferendi sunt **S. Ambrosius,** *De mysteriis,* 9, 52; ML **16,** 424; Auctor libri *De sacramentis,* 4, 4, 14; ML **16,** 439; **Journel,** 1339; **S. Joannes Damascenus,** *De fide orthod.,* 4, 13; MG **94,** 1144.
8 *De corpore et sanguine Domini,* 1, 4, etc.; ML **120,** 1270 sqq.
9 *Sess.* 13, can. 2; **Denz-Bannw.,** 884. Cfr. **F. Vernet,** *Dict. de Théol. cath.,* v. 5, 1209 sqq.

nis et vini converti in corpus et sanguinem Christi, contradicit concilio tridentino declaranti totam substantiam panis et vini converti in corpus et sanguinem Jesu Christi.

4) *Consubstantiatio* seu *coexsistentia* substantiae panis et vini simul cum corpore et sanguine Christi, quam defendit Lutherus; sicut et *unio hypostatica* seu *impanatio*, qua panis dicitur hypostatice adsumptus, ut voluit Osiander; imo et *adsumptio panis* a solo corpore Christi ad mentem Joannis parisiensis; non solum contradicunt definitioni concilii tridentini supra relatae, verum etiam «formae hujus sacramenti, in qua dicitur: *Hoc est corpus meum;* quod non esset verum, si substantia panis ibi remaneret; nunquam enim substantia panis est corpus Christi; sed potius esset dicendum: *Hic est corpus meum*» [1].

5) *Explicatio Baymae* non est toleranda juxta responsionem S. Congregationis S. Officii diei 7 Julii 1875.

6) *Sententia Rosminii* proscripta est ab eadem S. Congregatione S. Officii die 14 Decembris 1887 [2].

323. Scholion. *Quaestiones scholasticae circa naturam et indolem transsubstantiationis.*

Ut plenius expendamus materiam transsubstantiationis, promovemus hic scholasticas quaestiones, et in examen revocamus veterum recentiorumque quasdam opiniones.

1) Sententia Durandi, quam aliquantulum modificatam defenderunt nonnulli cartesiani et Rosminius, et qua dicitur materiam panis anima Christi informatam permanere in eucharistia, non potest hodie considerari ut quaestio scholastica, sed potius videtur relinquenda saltem ut contraria doctrinae concilii tridentini.

2) Duo sunt in transsubstantiatione accurate consideranda: a) Desinit esse substantia panis et cessat terminus *a quo;* b) incipit esse Christus et fit praesens terminus *ad quem*. In his explicandis est magna difficultas.

Circa primum. *Desinit esse substantia panis:*

a) Aliqui defendunt substantiam panis desinere esse per annihilationem. Ita *Scotus, Ockam, Biel*, et alii [3].

Sed *S. Thomas, S. Bonaventura, Aegidius romanus, Alensis, Albertus M.*, et alii cum communiori sententia negant substantiam panis et vini desinere esse per annihilationem [4].

Ratio theologica hujus sententiae negativae est, quia transsubstantiatio est vera conversio substantiae panis et vini. Quod autem convertitur, non desinit esse per annihilationem. Unde apposite *S. Bonaventura:* «Communiter ponunt omnes, quod non est annihilatio panis,

---

[1] **S. Thomas,** *III p.*, q. 75, a. 2.

[2] **Denz-Bannw.,** 1919 sq.

[3] **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 11, q. 4, n. 14; **Ockam,** *In IV Sent.*, q. 6, dub. 7; **Biel** *In IV Sent.*, dist. 11, q. 1, a. 3, dub. 6. Hi annihilationem suo modo explicant.

[4] **S. Thomas,** *III p.*, q. 75, a. 3; **S. Bonaventura,** *In IV Sent.*, dist. 11, p. 1, a. 1, q. 3; **Aegidius rom.,** *De corpore Christi*, theorema 1; **Alensis,** *IV p.*, q. 10, m. 5, a. 3, § 3; **Albertus M.,** *In IV Sent.*, dist. 11, a. 7. Conferantur **Capreolus,** *In IV Sent.*, dist. 11, q. 1, a. 1, concl. 2; **Cajetanus,** *In III p.*, q. 75, a. 3; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 183, c. 2; **Salmanticenses,** *De eucharistiae sacramento*, disp. 5, n. 1.

imo in meliorem substantiam commutatio; et ideo transsubstantiatio, non annihilatio, talis conversio est, et sic appellari debet»[1]. Et *S. Thomas:* «Conversio tollitur, posita vel annihilatione substantiae panis, vel resolutione in praejacentem materiam»[2].

b) Alii condemnant quidem vocem annihilationis, sed in re videntur eam admittere. Volunt enim substantiam panis, vel ex vi verborum formae desinere esse, ut succedat corpus Christi[3]; vel ad productionem corporis Christi separari a quantitate et accidentibus, et sic destrui[4]; vel subtractione influxus divini ita funditus perire, ac si prorsus in nihilum redacta esset[5].

Hi tamen dicendi modi revera implicant annihilationem substantiae panis, et non salvant verum conceptum transsubstantiationis.

Si enim substantia panis desinat esse, quin transeat in aliud per conversionem aut per generationem, vel quin resolvatur in praejacentem materiam, vere destruitur ac perit, et, ut volunt aliqui auctores, annihilatur.

Nec salvant verum conceptum transsubstantiationis. Transsubstantiatio siquidem est vera conversio panis et vini, adeo ut unum mutetur in aliud, et id, quod ante consecrationem erat panis et vinum, post consecrationem sit corpus et sanguis Christi.

In sententia autem horum theologorum substantia panis non mutatur in corpus Christi, sed panis desinit esse, ut corpus Christi ipsi succedat. Unde nexus inter desitionem substantiae panis et inceptionem corporis Christi in hoc modo explicandi esset mere accidentalis, et verba consecrationis implicite expellerent substantiam panis, et formaliter substituerent corpus Christi, quin desitio unius ullo modo inferat positionem alterius. Successio autem unius ad alterum non est conversio.

c) Multo communius tum veteres tum recentiores docent substantiam panis et vini in consecratione non annihilari, nec funditus perire aut in nihilum abire, sed totaliter mutari, ac converti in corpus et sanguinem Christi, adeo ut, monstrato corpore Christi eucharistico, possimus vere dicere: *Hoc ante consecrationem erat substantia panis;* vel: *Id, quod prius erat substantia panis, nunc est corpus Christi.* Sic nexus inter desitionem panis et positionem corporis Christi est intrinsecus seu essentialis, et desitio unius infert necessario positionem alterius. Ita *S. Thomas, Capreolus, Cajetanus,* et novissime *Billot*[6].

Circa secundum. Non parum sudant theologi in declarando modo, quo Christus incipit esse praesens in hoc sacramento:

a) Aliqui dicunt corpus Christi fieri praesens in eucharistia per actionem *adductivam,* quae corpus Christi eousque solum in caelo exsi-

---

[1] *In IV Sent.*, dist. 11, p. 1, q. 3.
[2] *III p.*, q. 75, a. 3.
[3] **Vazquez,** *De eucharistia,* disp. 181, c. 12.
[4] **Suarez,** *De eucharistia,* disp. 50, sect. 6, n. 7.
[5] **Lessius,** *De perfectionibus divinis,* lib. 12, n. 109.
[6] **S. Thomas,** *III p.*, q. 7, a. 2 et 3; **Capreolus,** *In IV Sent.*, dist. 11, q. 1, a. 1, concl. 2 et 3; **Cajetanus,** *In III p.*, q. 75, a. 3; **Billot,** *De sacramentis,* q. 75.

stens facit praesens in sacramento. Ita *Scotus*, *Toletus*, *Bellarminus*, *Vazquez*, et novissime *Pesch* et alii [1].

Verum adductio, quocumque tandem modo explicetur, non importat conversionem panis, atque ideo rationem conversionis inexplicatam relinquit.

b) *Lugo*, cui novissime subscribit *Mazzella* [2], haec habet: «Merito displicet sententia, quae transsubstantiationem vocat actionem *adductivam*. Melius ergo dicitur actio *constitutiva* corporis Christi sub speciebus, connotando etiam desitionem substantialem panis; nec enim unitio secundum se, nec desitio secundum se, est adaequate conversio, sed utraque simul componit conversionem constantem ex utraque mutatione, ex desitione et unitione» [3].

Puto tamen per vocem *constituere* nondum explicari rationem conversionis, veramque conversionem magis importare quam desitionem et unitionem.

c) Alii, radicitus rem exponere volentes, dixerunt transsubstantiationem esse actionem *productivam* vel potius *reproductivam*, qua corpus Christi uno modo exsistens sub alio modo efficiatur ex substantia panis. Ita *Suarez*, *Lessius*, *Conninck*, *Gonet*, *Billuart*, *Franzelin*, *Piccirelli*, et alii plures eximii theologi [4].

At nescio, quomodo haec explicatio effugere possit conceptum creationis.

Ut verum fatear, nondum mihi placent, neque doctrinae Angelici Doctoris consonant, theoriae *adductionis*, *constitutionis*, et *productionis* hucusque relatae.

d) *Verior explicatio*. Quamvis probe distinguantur terminus *a quo* et terminus *ad quem* in transsubstantiatione, una tamen solutione puto cum cl. *Van Noort* [5] totam rem explicandam esse.

Nulla est certe vox aptior ad explicandam transsubstantiationem quam *conversio*, et maxime insistendum est huic vocabulo. Unde transsubstantiatio nihil aliud est quam *conversio mirabilis ac singularis totius substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Christi jam exsistentia et non mutata, manentibus dumtaxat speciebus*.

Conversio est transitus panis et vini in corpus et sanguinem Christi. Panis et vinum non annihilantur, non destruuntur, non pereunt, sed transeunt ad aliud esse; et corpus et sanguis Christi non creantur, non adducuntur, non producuntur, sed incipiunt esse terminus conversionis panis et vini in esse sacramentali sine ulla ex parte sui mutatione; quia panis fit corpus Christi. Quare, ut profundissime ait *Billot*, «mirabilis illa et singularis conversio non potest esse nisi unius sub-

---

[1] **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 11, q. 3, nn. 22-23; **Toletus,** *In III p.*, q. 75, a. 4, q. 3, concl. 2; **Bellarminus,** *De eucharistia*, lib. 3, c. 18; **Vazquez,** *De eucharistia*, disp. 181, c. 13, n. 147; **Pesch,** *De sacramentis*, n. 695 sq.

[2] *De sacramentis*, n. 242.

[3] *De eucharistia*, disp. 7, sect. 6, n. 89.

[4] **Suarez,** *De eucharistia*, disp. 50, sect. 4, n. 10; **Lessius,** *De perfectionibus div.*, lib. 12, n. 119; **Conninck,** *De sacramentis*, q. 75, a. 4, dub. 3; **Gonet,** *De eucharistia*, disp. 4, a. 2, **Billuart,** *De eucharistia*, diss. 1, a. 7; **Franzelin,** *De eucharistia*, th. 14; **Piccirelli,** *Disquisitio... de catholico intellectu dogmatis transsubstantiationis*, p. 263 sqq.

[5] *De sacramentis*, n. 348.

stantiae in aliam individuam substantiam praeexistentem et in suo antiquo esse absque mutatione ulla perseverantem, quatenus virtute divina *hoc individuum demonstratum fit illud individuum demonstratum*» [1].

Mirabilis est ac *singularis*, quatenus totum exsistens convertitur in totum exsistens. In conversionibus naturalibus manet idem subjectum in termino *a quo* et in termino *ad quem*, «sed hic et totum convertitur in totum, quia panis fit corpus Christi; et partes etiam convertuntur, quia materia panis fit materia corporis Christi, et forma substantialis similiter fit illa forma, quae est corpus Christi» [2].

In conversionibus naturalibus, imo et in miraculosis *quoad modum*, ut in conversione aquae in vinum in Cana Galilaeae, semper manet aliquod elementum per modum subjecti, quia «naturalis mutatio non potest pertingere usque ad variationem materiae» [3], sed in conversione eucharistica totum convertitur. Hinc «mutatio ista fit de exsistente in exsistens praeter modum aliarum mutationum, quae fiunt etiam ex existentibus in exsistentia, ex quarum inspectione intellectus noster sibi suas conceptiones formavit; et ideo haec conversio videtur esse contra conceptiones intellectus, et propter hoc difficilius ei adsentitur quam creationi, quae est ex omnino non exsistenti, cujusmodi mutationem non vidit» [4].

Totius substantiae panis et vini. Id, quod natum est esse per se et non in alio, dicitur *substantia*, et quod alteri inhaeret tanquam subjecto, vocatur *accidens*. «Substantia autem, in quantum hujusmodi, non est visibilis oculo corporali, neque subjacet alieno sensui, nec etiam imaginationi, sed soli intellectui, cujus objectum est quod quid est» [5]. Totum igitur esse substantiale, quod in pane constituitur materia et forma, convertitur in corpus et sanguinem Christi, quin de ea remaneat materia vel forma, subsistentia vel exsistentia, aut aliquid hujusmodi, quod ad lineam essentialem pertineat, remanentibus dumtaxat accidentibus.

In corpus et sanguinem Christi jam exsistentia et non mutata. Terminus actionis conversivae sunt corpus et sanguis Christi in statu sacramentali, adeo ut vera sit expressio: *Hoc, quod nunc est corpus Christi, antea fuit substantia panis*. «In naturalibus conversionibus transmutatur et id, quod convertitur, et id, in quod convertitur. Illud quidem, quod in alterum convertitur, semper transmutatur corruptione; sed illud, in quod aliquid convertitur, naturaliter convertitur, si quidem sit simplex conversio, transmutatur per generationem, sicut cum aqua generatur ex aere; si autem sit conversio cum additione ad alterum praeexistens, illud, cui additur, transmutatur secundum augmentum, vel saltem per restaurationem deperditi, sicut accidit in nutrimento. Sed hic, illud, in quod fit conversio, erat praeexsistens, et non ei additur, quia, ut dictum est, illud, quod convertitur, convertitur in ipsum, et

---

1 *De sacramentis*, q. 75, «De transsubstantiatione».
2 **S. Thomas,** *In IV Sent.*, dist. 11, q. 1, a. 3, q. 1.
3 *In IV Sent.*, dist. 11, q. 1, a. 3, sol. 1.
4 **S. Thomas,** *In IV Sent.*, dist. 11, q. 1, a. 3, sol. 3 ad 1.
5 **S. Thomas,** *III p.*, q. 76, a. 7.

secundum totum, et secundum omnes partes ejus. Unde hoc, in quod terminatur conversio, nullo modo transmutatur, scilicet corpus Christi, sed solum panis, qui convertitur» [1].

An haec doctrina de immutatione corporis et sanguinis Christi adeo stricte intelligenda sit, ut ne quidem mutationem modalem substantialem admittat; vel solum mutationem physicam excludat, lis est inter domesticos. Mutationem modalem substantialem in corpore et sanguine Christi in eucharistia verificari et solam mutationem physicam et absolutam ab eis excludi defendunt *Capreolus, Valentia, Salmanticenses*, et alii [2]. Alii vero volunt corpus et sanguinem Christi ne modaliter quidem, sed terminative tantum, in transsubstantiatione mutari, quia putant Christum in eucharistia sine ulla mutatione terminare actionem conversivam panis et vini sub speciali ratione. Ita *Cajetanus, Joannes a S. Thoma, Contenson, Billot*, et alii [3].

Uterque dicendi modus est probabilis, et satisfacit difficultatibus, quae in hac materia occurrunt, sed secundus mihi profundior ac probabilior videtur.

Manentibus dumtaxat speciebus. Ut jam in superioribus insinuavi, disputatur in philosophia ac theologia, an in conversione inter terminum *a quo* et terminum *ad quem* necessario intercedat aliquid commune. Affirmat *Suarez* cum aliis [4], et negat *Palmieri* [5].

Quidquid sit de hac quaestione in genere, certum est in conversione eucharistica revera dari terminum utrique extremo communem, quatenus eadem accidentia panis et vini manent integra ante et post consecrationem. De hoc uberius in speciali quaestione.

QUAESTIO XVI

DE MODO QUO CHRISTUS EST IN EUCHARISTIA

ARTICULUS I

AN ET QUOMODO CORPUS CHRISTI UNIATUR SPECIEBUS SACRAMENTALIBUS IN EUCHARISTIA

324. Status quaestionis. Praesens quaestio est pure speculativa, sed difficilis intellectu, imo et a quibusdam satis obscure exposita, quomodo scilicet Christus sit in eucharistia.

S. Thomas egregie ait: «Corpus Christi non est eodem modo in hoc sacramento sicut corpus in loco, quod suis dimensionibus loco commen-

---

[1] **S. Thomas,** *In IV Sent.*, dist. 11, q. 1, a. 3, sol. 1.

[2] **Capreolus,** *In IV Sent.*, dist. 11, q. 1, a. 3 ad 2 Durandi, et ad 2 Aureoli; **Valentia,** *In III p.*, disp. 6, q. 3, p. 3 «Secunda sententia»; **Salmanticenses,** *De eucharistiae sacramento*, disp. 5, n. 23 sqq.

[3] **Cajetanus,** *In III p.*, q. 75, a. 4; **Joannes a S. Thoma,** *In III p.*, disp. 28, a. 2 et 3; **Contenson,** *De eucharistia*, diss. 1, c. 2; **Billot,** *De sacramentis*, q. 75, § 4.

[4] *De eucharistia*, disp. 50, sect. 2, n. 16.

[5] *Ontologia*, th. 31, p. 518.

suratur; sed quodam speciali modo, qui est proprius huic sacramento» [1].

«Per hoc, quod dicimus ipsum esse sub hoc sacramento, significatur quaedam habitudo ejus ad hoc sacramentum» [2].

«Corpus Christi remanet in hoc sacramento non solum in crastino, sed etiam in futuro, quousque species sacramentales manent. Quibus cessantibus, desinit esse corpus Christi sub eis; non quia ab eis dependeat, sed quia tollitur habitudo corporis Christi ad illas species» [3].

Disputatur, an modus essendi Christi huic sacramento proprius seu habitudo Christi ad species, sit aliquid reale, et quid sit.

Esse aliquid reale ipsi corpori Christi intrinsecum non videtur posse negari. Dicunt enim concilia et nos affirmamus corpus Christi esse vere et realiter sub speciebus panis et vini. Ergo ipsis realiter unitur.

In quo consistit haec unio?

325. Placita theologorum. 1) Aliqui veteres theologi docuerunt praesentiam corporis Christi speciebus sacramentalibus non tam unionem esse quam inseparabilitatem seu juxtapositionem ex ordinatione divina. Ita *Ockam, Argentina, Biel,* et alii [4].

Sed in hac sententia non posset explicari, quomodo corpus Christi feratur per accidens ad motum specierum. Si corpus Christi et species sacramentales non uniuntur, remotis speciebus, corpus Christi separabitur, sicut lapis juxtapositus lapidi, cum removetur, separatur ab altero.

2) Alii dicunt corpus Christi uniri speciebus sacramentalibus effective non formaliter, quatenus Deus supplet in accidentibus defectum substantiae per corpus Christi tanquam per instrumentum, et immittit tum corpori Christi tum speciebus virtutem, qua possint sibi ipsis mutuo influere, vel sese mutuo attrahere. Ita *Suarez, Lugo,* et novissime *Pesch,* et *Val* [5].

Sed efficientia, qua defectus substantiae suppletur, non sufficit ad explicandum modum, quo corpus Christi defertur ad infirmos, etc., ad motum specierum.

Virtus autem attractiva, quae speciebus et corpori Christi conceditur, ut sese mutuo uniant, sine fundamento fingitur. Corpus enim Christi, ut dicemus inferius, est hic per modum substantiae. Substantia autem nec attrahitur ab accidentibus, nec attrahit accidentia.

3) Alii volunt species sacramentales et corpus Christi uniri formaliter, sicut continens et contentum, sine imperfectionibus inhaerentiae et informationis, quas important aliae uniones formales. Ita plurimi thomistae et ex extraneis non pauci [6].

326. THESIS. **Species sacramentales et corpus Christi uniuntur in eucharistia unione quadam formali, non tamen per modum inhaerentiae, nec per modum informationis, sed per modum termini continentis et contenti.**

Explicatur. Corpus Christi succedit substantiae panis in eucharistia, et ideo inter species et corpus Christi oportet salvari eam unio-

---

[1] *III p.*, q. 75, a. 1 ad 3.

[2] *III p.*, q. 76, a. 6.

[3] *III p.*, q. 76, a. 6 ad 3.

[4] **Ockam,** *In IV Sent.*, q. 5; **Argentina,** *In IV Sent.*, dist. 10, q. 2, a. ult.; **Biel,** *In IV Sent.*, dist. 10, a. 2, concl. 10.

[5] **Suarez,** *De eucharistia,* disp. 47, sect. 3; **Lugo,** *De eucharistia,* disp. 6, sect. 2; **Pesch,** *De eucharistia,* n. 744; **Val,** *De SS. eucharistia,* n. 169, 4.

[6] Cfr. **Capreolus,** *In IV Sent.*, dist. 10, q. 3, a. 3 ad 1 Scoti; et ad 5 Durandi «Exemplum autem»; **Cajetanus,** *In III p.*, q. 75, a. 1; **Salmanticenses,** *De eucharistiae sacramento,* disp. 6, nn. 12 sqq.

nem, quae erat inter substantiam panis et quantitatem, salvis imperfectionibus. Quantitas autem uniebatur formaliter substantiae panis ante consecrationem per modum termini continentis, et per modum formae, quae inhaeret ac recipitur in subjecto, conferens ipsi extensionem in ordine ad se. Post consecrationem autem unitur, supernaturaliter corpori Christi per modum termini continentis tantum, seclusa inhaerentia et dependentia a subjecto. Unde species sacramentales et corpus Christi uniuntur in eucharistia per modum continentis et contenti sine inhaerentia et dependentia a subjecto. «Non tamen, ait *Angelicus*, substantia corporis Christi est subjectum illarum dimensionum, sicut erat substantia panis» [1]. «Hujusmodi accidentia non sunt in substantia corporis et sanguinis Christi sicut in subjecto» [2].

Suppressis igitur imperfectionibus inhaerentiae et receptionis accidentium in corpore Christi tanquam in subjecto, in caeteris salvanda est inter species sacramentales et corpus Christi, ea unio, quae ante consecrationem erat inter quantitatem et substantiam panis. Sed haec unio ante consecrationem erat formalis per modum continentis et contenti. Ergo species sacramentales et corpus Christi post consecrationem uniuntur formaliter per modum termini continentis et contenti.

ARTICULUS II

AN PRAESENTIA CHRISTI IN EUCHARISTIA SIT LOCALIS

327. I. **Status quaestionis.** *Angelicus Doctor* ait: «Corpus Christi est in hoc sacramento *per modum substantiae*, et non per modum quantitatis» [3]. Ex hoc principio facile deducitur tota theoria scholasticorum circa modum, quo Christus est in eucharistia, sed, quia aliqui despiciunt principia scholasticorum, et alii non satis intelligunt veterum doctrinam, non parva orta est confusio in praesenti quaestione.

328. II. **Opiniones auctorum.** 1) Quidam cartesiani, putantes essentiam corporum consistere in actuali extensione, rem explicare contendunt per condensationem. Docent enim partes corporis humani cum sua figura et ordine situali posse a Deo ita in infinitum quoad extensionem *redigi* ac *condensari*, ut contineantur sub omnibus et singulis specierum moleculis; atque ita de facto «corpus Christi cum figura et ordine situali omnium suarum partium, vi verborum consecrationis reproduci sub omnibus et singulis moleculis speciei panis» [4].

Pluribus rationibus hanc theoriam refutat cl. *Billot* [5], sed, ad praesens quod attinet, sufficit unam tantummodo rationem ex impossibili adducere. Impossibile siquidem est, ut idem corpus Christi sit infinitis dimensionibus molecularibus in eucharistia redactum, dum perfectis dimensionibus est in caelo constitutum.

---

[1] *III p.*, q. 76, a. 5.
[2] *III p.*, q. 77, a. 1.
[3] *III p.*, q. 76, a. 1 ad 3.
[4] **Simonnet,** *De eucharistia*, disp. 5, a. 4.
[5] *De sacramentis*, q. 76, § 1. Ad haec recte addit Angelicus: «Non est tamen adsignare in partibus dimensionum panis, ubi singulae partes corporis Christi jaceant». *In IV Sent.*, dist. 10, q. 1, a. 2, sol. 4 ad 3.

2) *Scholastici* aliter procedunt. Ex philosophia petunt substantiam corpoream realiter a quantitate distingui; tum quia in mysterio eucharistiae substantia panis, quae convertitur in corpus Christi, separatur a quantitate, quae remanet; tum quia corpus Christi integrum manet sub tota specie panis et sub qualibet ejus parte, quod sane non posset verificari, si substantia corporea esset ipsa quantitas.

Substantia igitur est *id, cui competit esse in se;* et quantitas est *accidens extensivum rei in ordine ad se.*

Substantia corporea non habet partes integrales nisi in potentia, ac proinde est simpliciter indivisibilis. «Remota quantitate, ait *S. Thomas*, substantia omnis indivisibilis est, ut patet per Philosophum» [1]. «Materiam autem dividi in partes non convenit, nisi secundum quod intelligitur sub quantitate, qua remota, remanet substantia indivisibilis» [2].

Haec substantiae indivisibilitas transcendit totam rationem quantitatis et continui, et non est confundenda cum indivisibilitate puncti occupantis determinatum situm in continuo. Substantia siquidem, quamvis per impossibile diffunderetur, nunquam fieret divisibilis. «Materia enim, ait *S. Thomas*, dicitur indivisibilis per negationem totius generis quantitatis. Punctus autem est indivisibilis sicut quantitatis principium, situm determinatum habens. Unde ex materia res quanta efficitur, non per extensionem (loquendo de materia prima), cum extensio non sit nisi ejus, quod alicujus quantitatis erat, sed per quantitatis susceptionem» [3].

Ex dictis certe sequitur corpus Christi, quod est in hoc sacramento per modum substantiae, non esse in eucharistia sicut in loco.

Insistendum est huic doctrinae traditionali.

329. III. **Ratio formalis, qua unumquodque dicitur esse in loco.** 1) Aliqui theologi, quos Billot [4] «scholasticos recentiores» vocat, non videntur recte explicare conceptum et rationem formalem essendi rerum in loco, et sic minus recte locuti sunt de ratione praesentiae realis Christi in eucharistia. Dicunt enim quamlibet rem esse in loco, quatenus est ipsi praesens, et suo modo replet loci vacuitatem, vel quantitate molis, vel diffusione sui per suas totalitates. Quare, volunt Deum et angelos esse rebus praesentes sola simplici sua praesentia. Ita *Suarez*, *Lessius* et *Franzelin* [5].

---

[1] *Contra Gentes*, lib. 4, c. 65.

[2] *I p.*, q. 50, a. 2.

[3] *In II Sent.*, dist. 30, q. 2, a. 1.

[4] *De sacramentis*, q. 76, § 1.

[5] **Suarez,** *De eucharistia*, disp. 48, sect. 1, n. 12; **Lessius,** *De perfectionibus divinis*, lib. 12, c. 16, n. 124; **Franzelin,** *De euch.*, th. 11.

En eorum verba: «Si per localem praesentiam, ait **Suarez,** intelligamus quamlibet realem et substantialem praesentiam, ratione cujus res hic adest potius quam alibi, sic hujusmodi praesentia (Christi in eucharistia) localis est, ad eum modum, quo praesentia angeli exsistentis in suo loco localis est. Nam hujusmodi denominatio non connotat aliquem modum physicum seu quantitativum occupandi spatium, sed modum substantialem aut entitativum, ratione cujus fit, ut spatium illud, cui res dicitur esse praesens, non sit omnino vacuum, sed tali re vel substantia plenum». *De eucharistia*, disp. 48, sect. 1, n. 12. Non intelligo, quomodo substantia praesertim spiritualis, quin aliquid agat, et corpus Christi per modum substantiae praesens repleant spatium.

Lessius haec habet: «Duo enim ad modum essendi spiritualem, quem substantiae incorporeae habent, requiruntur. Alterum est, *ut res tota sit veluti collecta in punctum indivisibile*, ita ut nihil illius sit, quod in illo indivisibili non reperiatur. Si enim aliquid ejus esset extra illud indivisibile, quod etiam intra illud non sit, haberet potius modum exsistendi rerum corporearum, quarum est habere partem

Ex hoc deducunt corpus Christi in eucharistia carere omni dimensione actuali, et nihilominus esse in loco localiter et localiter moveri [1].

Nunquam sane intelligere potui, quomodo substantia spiritualis, vel etiam substantia corporea, privata quantitate et se habens per modum substantiae, possit per suas totalitates extendi vel diffundi, ut spatii vacuitatem repleat.

2) Ut thomistarum vera sententia intelligatur, prae oculis habendum est quadrupliciter aliquid esse in loco: *circumscriptive* (corpora quanta); *definitive* (spiritus); *ubique* (Deus); et *sacramentaliter* (corpus Christi in eucharistia).

a) Esse *circumscriptive* in loco est aliquid quantum seu dimensionatum per suas dimensiones applicari loco pariter dimensionato, ac circumscribi terminis ejusdem, extendendo partes suas partibus superficiei, adeo ut totum sit in toto et partes in partibus intra terminos spatii. Unde corpora, quae commensurantur a concavitate loci secundum proprias dimensiones, coextendendo suas partes partibus loci et contingendo terminus superficiei contactu molis, sunt in loco *circumscriptive* et *localiter*.

b) *Definitive* dicuntur esse in loco, quae conjunguntur loco contactu virtutis, et ita continentur intra terminos ejusdem, ut nequeant sua virtute contingere alium locum [2].

Falluntur theologi, qui dicunt angelos esse in loco definitive per suam praesentiam, quamvis nihil ibi agant nihilque sua virtute contingant.

c) *Ubique* dicitur esse solus Deus, quatenus sua infinita virtute omnia tangit, conservat atque gubernat. Ratio formalis, qua Deus dicitur esse praesens omnibus rebus, est sua actio virtualiter transiens [3].

d) *Sacramentaliter* seu modo specialissimo est corpus Christi in eucharistia. Dicitur esse per modum substantiae. Quid hoc significet, adumbratur ex mysterio transsubstantiationis.

Substantia panis et vini per conversionem transit in corpus et sanguinem Christi, remanentibus dimensionibus panis et vini. Sub his dimensionibus panis et vini loco propriae substantiae ponitur corpus Christi cum suis dimensionibus et figura per naturalem concomitantiam, non tamen ut subjectum sustentans accidentia panis et vini, neque contractum ac circumscriptum dimensive ab illis, sed attingens illa per modum substantiae.

---

extra partem, quam rerum spiritualium, quae totam entitatem suam in punctum indivisibile collectam obtinent. Alterum est, *ut illud indivisibile continue sit extensum vel diffusum... per suas, ut ita dixerim, totalitates*. Alioquin non posset aliquod spatium continuum simul totum et continuo modo occupare, quod etiam est contra modum exsistendi rerum spiritualium. Requiritur itaque, ut totum sit intra punctum indivisibile, et totum extra, absque tamen discontinuatione. Utrumque hoc reperitur in modo exsistendi, quo corpus Christi exsistit in hoc sacramento; nam totum est sub quovis puncto indivisibili... et totum est continue absque intercisione diffusum per totam specierum quantitatem, sicut substantiae spirituales sunt diffusae per totum spatium, quod occupant». *De perfectionibus divinis*, lib. 12, c. 16, n. 124.

[1] Cfr. **Lugo,** *De eucharistia*, disp. 8, sect. 1, n. 25.

[2] Cfr. *De Deo creatore*, n. 854.

[3] Cfr. *De Deo uno*, n. 124.

Quid significet haec expressio *per modum substantiae*, oportet breviter explicare.

Diximus substantiam ex se, remota molis quantitate, non habere partes et esse indivisibilem. Cum ergo dicimus corpus Christi esse in sacramento per modum substantiae, significamus totum Christum, Deum et hominem perfectum, cum suis tribus dimensionibus, figura et statura naturali in ordine ad se, reduci ad genus essendi substantiae, et contineri sub accidentibus panis et vini per modum substantiae. Corpus Christi succedit substantiae panis et vini, non dimensive, neque sustentans accidentia, sed quatenus citra inhaerentiam continetur sub accidentibus loco antiquae substantiae. «Manifestum est autem, quod natura substantiae tota est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur; sicut sub qualibet parte aeris est tota natura aeris, et sub qualibet parte panis est tota natura panis. Et hoc indifferenter, sive sint dimensiones actu divisae, sicut cum aer dividitur, vel panis secatur; vel etiam sint actu indivisae, divisibiles vero in potentia» [1].

Placeat hic aurea S. Thomae verba referre: «Corpus Christi non est in hoc sacramento per modum quantitatis dimensivae, sed magis secundum modum substantiae. Omne autem corpus locatum est in loco secundum modum quantitatis dimensivae, in quantum scilicet commensuratur loco, secundum suam quantitatem dimensivam. Unde relinquitur, quod corpus Christi non est in hoc sacramento sicut in loco, sed per modum substantiae; eo scilicet modo, quo substantia continetur a dimensionibus; succedit enim substantia corporis Christi in hoc sacramento substantiae panis. Unde, sicut substantia panis non erat sub suis dimensionibus localiter, sed per modum substantiae, ita nec substantia corporis Christi. Non tamen substantia corporis Christi est subjectum illarum dimensionum, sicut erat substantia panis. Et ideo substantia panis ratione suarum dimensionum localiter erat ibi, quia comparabatur ad locum mediantibus propriis dimensionibus. Substantia autem corporis Christi comparabatur ad locum illum mediantibus dimensionibus alienis; ita quod e converso dimensiones propriae corporis Christi comparantur ad locum illum mediante substantia; quod est contra rationem corporis locati. Unde nullo modo corpus Christi est in hoc sacramento localiter» [2].

Substantia panis est in loco dimensive ac localiter, quia per suam quantitatem sibi per modum formae inhaerentem commensuratur loco. E contra, corpus Christi non unitur loco per propriam quantitatem sibi inhaerentem, sed per quantitatem alienam, scilicet per quantitatem panis et vini, cui unitur tanquam termino continenti. Neque commensuratur loco per propriam quantitatem, quia quantitas propria corporis Christi est in eucharistia solum per concomitantiam et per modum substantiae, non habens extensionem in ordine ad locum [3].

---

[1] **S. Thomas,** *III p.*, q. 76, a. 3.
[2] *III p.*, q. 76, a. 5.
[3] Cfr. **Salmanticenses,** *De eucharistiae sacramento*, disp. 6, n. 32.

ARTICULUS III

UTRUM CORPUS CHRISTI MOVEATUR IN SACRAMENTO EUCHARISTIAE

330. Status quaestionis. Motus est transitus rei ab uno loco in alium.

Dupliciter potest aliquid moveri seu transferri ab uno in alium locum. Primo *per se*, quando ipsum mobile desinit locum seu *ubi* praedicamentale, et acquirit novum locum seu aliud *ubi* praedicamentale; ut, cum homo transit de domo in ecclesiam. Secundo *per accidens*, quando mobile, occupans idem *ubi* praedicamentale, mutatur situ ad motum alterius; ut, cum aliqua res localiter movetur, moventur per accidens objecta in ea contenta. Sic ad motum currus moventur merces in eo contentae.

Quaestio est, an et quomodo corpus Christi in eucharistia moveatur.

331. Placita theologorum 1) Solus *Durandus* negavit corpus Christi eucharisticum quodammodo moveri [1].

2) *Scotus, Biel*, et alii [2] docuerunt Christum in eucharistia moveri per accidens, non quidem a sacerdote vel ab eo, qui defert species, «sed a solo Deo primo et immediate; vel ab anima Christi cum Deo concurrente» *(Biel)*.

3) Alii docent communiter Christum moveri per accidens a quolibet movente species.

Quoad naturam hujus motus disputant theologi, an solum recipiatur in speciebus sacramentalibus, vel simul etiam in corpore et sanguine Christi.

Aliqui censent hunc motum sistere in solis speciebus, et nullatenus afficere corpus et sanguinem Christi, ne dicatur corpus Christi per hunc motum acquirere ubicationem aut ab agente extrinseco aliquid pati. Ita *Cajetanus, Vazquez, Contenson* et *Salmanticenses* [3].

Alii exsistimant hunc motum afficere etiam corpus et sanguinem Christi atque in ipsis recipi, ut veri motus rationem habeat. Putant enim alioquin corpus Christi non posse dici moveri etiam per accidens, sicut corpus Christi non dicitur comburi, cum species sacramentales comburuntur. Ita *Capreolus, Soto* et *Suarez* [4].

332. THESIS. **Christus in eucharistia movetur per accidens ad motum accidentium, ita tamen ut motus solum recipiatur in accidentibus, non in corpore Christi.**

Pars 1.ª Christus in eucharistia movetur per accidens.

Corpus Christi, ut diximus superius, vere continetur sub speciebus panis sicut contentum in continente. Impossibile autem est contentum ad motum continentis non moveri per accidens. Ergo corpus Christi

---

[1] *In IV Sent.*, dist. 10, q. 3, n. 5.

[2] **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 10, q. 6, n. 4; **Biel,** *In IV Sent.*, dist. 10, a. 2, concl. 10.

[3] **Cajetanus,** *In III p.*, q. 76, a. 6 «Ad evidentiam»; **Vazquez,** *De sacramentis*, disp. 190, c. 4; **Contenson,** *De sacramento eucharistiae*, diss. 2, c. 2, q. 4; **Salm.,** *De euch. sacram.*, disp. 6, n. 34.

[4] **Capreolus,** *In IV Sent.*, dist. 10, q. 3, a. 3, ad arg. 3 et 5 Durandi; **Soto,** *In IV Sent.*, dist. 10, q. 1, a. 6, concl. 2; **Suarez,** *De sacramentis*, disp. 47, sect. 4, n. 9.

movetur per accidens ad motum accidentium. Hinc vere dicimus corpus Christi ad infirmos deferri, ab una ecclesia in aliam transferri, etc. Sensus est, quod, motis speciebus de uno ad alium locum, Christus desinit esse per accidens in primo loco, et incipit esse praesens per accidens in secundo loco [1].

Pars 2.ª Hic motus non recipitur in corpore Christi neque ipsum intrinsece afficit.

Corpus enim Christi, cum non sit localiter in hoc sacramento, non potest acquirere aliquod *ubi* sacramentale, nec ab extrinseco aliquid pati. Si autem reciperet in se motum localem, necessario acquireret *ubi* praedicamentale tanquam terminum hujus motus, et ab agente extrinseco aliquid pateretur. Ergo.

333. Scholion. *De fractione corporis Christi ad fractionem specierum.*

Aliqui theologi, ut *Alensis*, *Bellarminus*, *Suarez* et *Lugo* [2], docuerunt nullatenus esse dicendum corpus Christi in hoc sacramento frangi, cum species sacramentales franguntur.

Huic sententiae favet Ecclesia, cum dicit:

Nulla rei fit scissura,
Signi tantum fit fractura [3].

Alii tamen verius docent dici posse Christum, fractis speciebus sacramentalibus, dividi, non quidem secundum praesentiam naturalem, sed secundum praesentiam sacramentalem, quatenus corpus Christi, quod ante divisionem hostiae erat totum in tota hostia et totum in qualibet ejus parte, post divisionem est totum in separatis hostiae partibus, quae feruntur in diversa et opposita loca. Ita *Waldensis*, *Cano*, et alii plures [4].

Unde Berengarius coactus est fidem catholicam his verbis profiteri: «Corde credo et ore confiteor... verum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, et fidelium dentibus atteri» [5].

In liturgia etiam S. Joannis Chrysostomi dicitur: «Dividitur et non separatur Agnus Dei, Filius Patris, qui semper manducatur et nullatenus consumitur» [6].

---

[1] Cfr. **Valentia,** *In III p.*, disp. 6, q. 4, p. 3.

[2] **Alensis,** *IV p.*, q. 10, m. 9, a. 1; **Bellarminus,** *De eucharistia*, lib. 1, c. 2; **Suarez,** *De eucharistia*, disp. 47, sect. 4, nn. 13 sqq.; **Lugo,** *De eucharistia*, disp. 6, sect. 3.

[3] *In missa Corporis Christi*, Sequentia.

[4] **Waldensis,** *De sacramentis*, t. 2, cc. 55-56; **Cano,** *De locis*, lib. 5, c. postremo ad ultimum.

[5] Apud **Lanfrancum,** *De corpore et sanguine Domini*, c. 2; ML **150,** 410.

[6] Liturgia S. Joannis Chrysostomi; apud **Maximilianum,** *Praelectiones de liturgiis orientalibus*, t. 2, p. 266.

ARTICULUS IV

UTRUM TOTUS CHRISTUS SIT SUB UTRAQUE SPECIE SACRAMENTALI ET SUB SINGULIS SPECIERUM PARTIBUS

334. Status quaestionis. 1) Duo sunt specierum genera, quae in eucharistia post consecrationem remanent, species nempe panis et vini, quae continent corpus et sanguinem Christi.

2) Species sacramentales in eucharistia remanentes habent partes magnas vel parvas, prout dimensiones earum magis vel minus extenduntur. Partes hujusmodi sunt *continuae*, dum hostia integra manet vel species vini in uno calice continetur; et *divisae*, cum hostia frangitur vel species vini in duplici calice ponitur.

Ex partibus continuis aliae sunt *aliquotae*, quae, cum magnitudinem habeant, propria quantitate constituuntur, et physice dividi possunt; aliae *proportionales*, quibus constare dicitur quantitas, quatenus est divisibilis in infinitum.

3) Totus Christus intelligitur Christus, Deus et homo, ac proinde Verbum divinum seu totus Deus cum tribus personis ac perfectionibus, et integra natura humana constituta ex corpore cum omnibus suis partibus (ossibus, nervis, carne) bene organizatis et anima cum suis potentiis, habitibus, passionibus, etc.

4) Quaestio est, an totus ac integer Christus sit: a) sub qualibet specie sacramentali; et b) sub omnibus et singulis specierum partibus, tum divisis tum continuis.

335. THESIS I. **Totus ac integer Christus est sub utraque specie sacramentali.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Ex verbis institutionis constat Christum reliquisse suum corpus in hoc sacramento: *Hoc est corpus meum.* Corpus autem Christi est divinitati, animae, sanguini, quantitati, aliisque accidentibus ad integritatem ejus pertinentibus hypostatice unitum. Ergo Christus relinquens suum corpus in hoc sacramento, integer in eo sub speciebus remansit. Hinc de communicantibus ait: *Qui manducat me* [1].

2) *Ex conciliis.* Concilium constantiense: «Firmissime credendum est et nullatenus dubitandum integrum Christi corpus et sanguinem tam sub specie panis quam sub specie vini veraciter contineri» [2].

Concilium florentinum: «Totus Christus continetur sub specie panis, et totus sub specie vini» [3].

Concilium tridentinum: «Quapropter verissimum est tantumdem sub alterutra specie atque sub utraque contineri» [4]. «Si quis negaverit in ve-

---

[1] *Joan.*, 6, 58.
[2] **Denz-Bannw.**, 626.
[3] **Denz-Bannw.**, 698.
[4] *Sess.* 13, can. 3; **Denz-Bannw.**, 876.

nerabili sacramento eucharistiae sub unaquaque specie... totum Christum contineri, a. s.» [1].

3) *Ex liturgia romana.* «Caro cibus, sanguis potus, manet tamen Christus totus sub utraque specie» [2].

4) *Ex SS. Patribus. S. Ambrosius:* «In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi» [3]. Et *S. Caesarius arelatensis:* «Totum unus, totum duo, totum plures sine diminutione percipiunt» [4].

336. THESIS II. **Totus Christus est in omnibus et singulis specierum partibus, tum divisis tum continuis.**

Arg. *Ex concilio tridentino.* «Totus enim et integer Christus sub panis specie et sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie et sub ejus partibus exsistit» [5].

Pars 1.ª Totus est in partibus divisis. Est de fide.

1) Concilium tridentinum haec habet: *Si quis negaverit in venerabili sacramento eucharistiae, sub unaquaque specie et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, a. s.* [6].

2) *Liturgia romana* retinet hanc doctrinam dicens: «Fracto demum sacramento, ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur» [7].

4) *Ratio id ipsum suadet.* Christus in hoc sacramento succedit substantiae panis et vini, et est per modum substantiae. Sicut autem, fracto pane, sub quavis parte remanet tota substantia panis, ita pariter post fractionem specierum sacramentalium sub qualibet specierum parte remanet totum corpus Christi, ac proinde totus Christus.

Pars 2.ª Totus etiam Christus est in partibus continuis.

Aliqui volunt hanc thesis partem esse de fide, sed alii cum Valentia et Suarez dicunt eam non esse de fide, sed ita certam, ut opinio contraria sit erronea [8].

1) Concilium tridentinum, quamvis in definitione utatur verbis *facta separatione*, in capite tamen tertio, quando docet integrum Christum *sub quavis ipsius speciei parte* exsistere, proculdubio agit de permanentia Christi in partibus specierum continuis [9].

2) *Angelicus Doctor* expresse tenuit hanc doctrinam dicens: «Manifestum est, quod totus Christus est sub qualibet parte specierum panis,

---

1 *Sess.* 13, can. 3; **Denz-Bannw.,** 885.
2 *In Missa SS. Corporis Christi,* Sequentia.
3 *De mysteriis,* 9, 58; ML **16,** 426.
4 *Hom.* 5 *de Paschate;* ML **67,** 1054.
5 *Sess.* 13, c. 3; **Denz-Bannw.,** 876.
6 *Sess.* 13, c. 3; **Denz-Bannw.,** 885.
7 *Missa SS. Corporis Christi,* Sequentia.
8 **Valentia,** *In III p.,* disp. 6, p. 2; **Suarez,** *De sacramentis,* disp. 52, sect. 2, n. 9.
9 *Sess.* 13, c. 3; **Denz-Bannw.,** 876.

etiam hostia integra manente, et non solum cum frangitur, sicut quidam dicunt» [1].

3) *Ratio est semper eadem.* Corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiae. Substantia autem ex se, cum non habeat partes nisi ratione quantitatis, est tota in toto et tota in qualibet quantitatis parte.

Difficultatibus satisfit.

337. Obj. 1.° Veteres quidam theologi, quorum meminit *S. Thomas*, hanc doctrinam inficiati sunt, dicentes in integra specie, non in singulis ejus partibus esse totum Christum. Et ponebant «exemplum de imagine, quae apparet in speculo; quae apparet una in speculo integro; in speculo autem fracto apparent singulae (imagines) in singulis partibus» [2].

Resp. Haec veterum singularis opinio caret fundamento, et destituitur traditionis suffragio. Tota enim antiquitas christiana adversatur huic modo dicendi. Nec valet exemplum de speculo, «quia, ut ait *Angelicus*, multiplicatio hujusmodi imaginum accidit in speculo fracto propter diversas reflexiones ad diversas partes speculi; hic autem non est nisi una consecratio, propter quam corpus Christi est in hoc sacramento» [3].

Obj. 2.° *Cartesiani*, qui docent essentiam corporis consistere in trina dimensione, contendunt corpus Christi toties *multiplicari* sub una specie, quoties in speciei moleculis salvatur trina dimensio, et sic pluries actu esse in hostia trinis dimensionibus totidem replicatum.

Resp. Cartesiani in hoc vehementer falluntur, tum quia constitutio corporum non est trina dimensio, tum etiam quia corpus Christi in eucharistia est ad modum substantiae, totum in toto et totum in qualibet ejus parte per unam tantummodo praesentiam.

Objectionem cartesianorum praeoccupavit *S. Thomas* suo tempore dicens: «Neque substantia alicujus rei est pluries sub dimensionibus propriis, neque corpus Christi sub dimensionibus panis, et per consequens neque infinities, sed toties in quot partes dividitur» [4].

338. Corollarium. Iisdem rationibus facile ostenditur totum Christum esse pariter in partibus proportionalibus specierum, quia his omnibus constant species sacramentales. Et, sicut substantia panis ante consecrationem exsistit in qualibet parte proportionali unita moli, ita post consecrationem Christus manet in illis partibus exsistentibus in toto.

ARTICULUS V

QUID PONATUR IN SACRAMENTO EUCHARISTIAE VI VERBORUM CONSECRATIONIS

339. Status quaestionis. 1) Dupliciter potest aliquid poni in sacramento eucharistiae: a) *Vi verborum formae consecrationis*, quatenus

---

[1] *III p.*, q. 76, a. 3.

[2] *III p.*, q. 76, a. 3. Angelicus his verbis retulisse videtur opinionem Altissiodorensis, qui ajebat: «Sub totali illa forma est Christus, ita quod sub nulla parte sit per se. Tamen, cum frangitur hostia, est integer Christus sub qualibet parte per se... Et est simile in speculo; sicut enim in speculo integro est una sola imago; tamen ipso fracto, in qualibet parte resultat imago, ita sub tali forma est Christus, qui est imago Dei Patris». *Summa*, lib. 4, tr. 5, c. 4.

[3] *III p.*, q. 76, a. 3.

[4] *III p.*, q. 76, a. 3 ad 1.

verificatur id, quod formaliter significant verba. Cum enim verba consecrationis efficiant, quod significant, illud oportet directe poni in sacramento, quod verba significant. Significant autem «id, quod directe convertitur substantia panis et vini praeexsistentis» [1]. b) *Per concomitantiam*, quatenus id ponitur, quod realiter est conjunctum ei, quod directe verba efficiunt.

2) Hanc distinctionem irrident non pauci haeretici, sed communiter admittunt theologi, et adhibet concilium tridentinum ut fundatam in ipsa natura sacramenti eucharistiae.

De his quae sunt vi verborum, in hoc articulo; et de his, quae sunt per concomitantiam, dicemus in articulo sequenti.

340. THESIS I. **Ex vi verborum consecrationis panis ponitur corpus Christi in sanctissimo eucharistiae sacramento.** *Est de fide.*

Arg. 1) *Ex concilio tridentino.* «Semper haec fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate exsistere; sed *corpus quidem sub specie panis et sanguinem sub specie vini ex vi verborum*» [2].

2) *Ex auctoritate S. Thomae et theologorum.* S. Thomas: «Sub speciebus panis est quidem corpus Christi *ex vi sacramenti*» [3]. Hanc doctrinam tuentur *Valentia*, *Philippus a SS. Trinitate*, *Billuart*, et alii generatim theologi [4].

3) *Ex ratione theologica.* Verba consecrationis id directe efficiunt, quod significant. Sed verba consecrationis panis significant substantiam panis converti in corpus Christi. Ergo ex vi verborum consecrationis panis corpus Christi ponitur in sanctissimo eucharistiae sacramento.

341. Scholion. *Quid importet corpus Christi, quod ex vi verborum consecrationis panis ponitur in eucharistia.*

Non omnes conveniunt in determinanda significatione corporis Christi.

1) *Aegidius romanus*, *Biel* et alii pauci [5] putaverunt corpus Christi, quod vi verborum ponitur in hoc sacramento, importare solam materiam primam, quae a sanctissima anima Christi informatur.

Sed haec opinio merito rejicitur ab aliis, quia sola materia prima non est proprie corpus, nec dicitur manducari.

2) *Gandavensis* et *Scotus* [6] docent corpus Christi, prout in eucharistia vi verborum ponitur, importare compositum ex materia prima et forma substantiali corporeitatis.

---

[1] **S. Thomas,** *III p.*, q. 76, a. 1.

[2] *Sess.* 13, c. 3; **Denz-Bannw.,** 876.

[3] *III p.*, q. 76, a. 2.

[4] **Valentia,** *In III p.*, disp. 6, q. 4, p. 2; **Philippus a SS. Trinitate,** *De S. eucharistiae sacramento*, disp. 4, dub. 1; **Billuart,** *De almo eucharistiae sacramento*, diss. 4, a. 1.

[5] **Aegidius rom.,** *Theoremata de corpore Christi*, prop. 32; **Biel,** *In canonem missae*, lect. 42.

[6] **Gandavensis,** *Quodlib.* 12, q. 10; **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 10, q. 4; et dist. 11, q. 3.

Haec theoria admitti nequit ex ea saltem parte, qua ponit in corpore humano formam substantialem corporeitatis [1].

3) Quidam recentiores volunt corpus Christi in eucharistia esse complexum atomorum vi attractionis adunatorum; et cartesiani docent illud consistere in trina dimensione.

Hae tamen theoriae errant circa constitutionem corporum, et nullatenus sunt admittendae [2].

4) Alii contendunt corpus Christi, prout vi verborum ponitur in eucharistia, importare compositum substantiale, quod in recto importat materiam et in obliquo formam substantialem. Ita *Soto*, et *Valentia* [3].

Huic modo dicendi obstat compositum substantiale, quod est Christus, in recto importare tum materiam tum formam substantialem.

5) *Scholastici* communiter dicunt corpus Christi, quod vi verborum consecrationis ponitur in eucharistia, esse compositum substantiale, constans in recto materia et forma substantiali, quae est ipsa anima rationalis Christi, non quatenus rationalis est aut sensitiva, sed quatenus dat esse corporeum corpori, et constituit «corpus organicum habens partes dissimilares, scilicet membra requisita ad corpus humanum, et in eis carnem, pellem, ossa, nervos» [4], dentes, ungues, capillos, etc., quia sunt partes integrales corporis ab anima rationali informatae, imo a Verbo Dei immediate adsumptae; uno verbo: corpus Christi in eucharistia est integrum corpus cum omnibus partibus integralibus, quas in caelo habet.

Angelicus ad rem: «Ex vi sacramenti sub hoc sacramento continetur quantum ad species panis, non solum caro, sed etiam totum corpus Christi, scilicet ossa, nervi, et alia hujusmodi» [5].

Non tamen complectitur salivam, sudorem, lacrimas et humores, quae non pertinent ad corpus humanum.

342. Thesis II. **Vi verborum consecrationis vini ponitur sanguis Christi in eucharistia.** *Est de fide.*

Arg. 1) Concilium tridentinum expresse docet contineri «sanguinem (Christi) sub specie vini ex vi verborum» [6].

2) Id in eucharistia continetur vi verborum, quod ipsa verba consecrationis significant. Sed verba consecrationis vini: *Hic est calix sanguinis mei;* vel: *Hic est sanguis meus*, significant sanguinem Christi esse in calice sub specie vini. Ergo sanguis Christi est vi verborum sub specie vini.

---

[1] Cfr. **Marcellus a Puero Jesu,** *Psychologia*, n. 414 sqq.

[2] Huc venit thesis a S. Congregatione Studiorum approbata tanquam Angelici Doctoris pronuntiatum majus: «Eadem anima rationalis ita unitur corpori, ut sit ejusdem forma substantialis unica, et per ipsam habet homo et animal, et vivens, et corpus, et substantia et ens. Tribuit igitur anima homini omnem gradum perfectionis essentialem; insuper communicat corpori actum essendi, quo ipsa est». Thesis 16. *Acta Ap. Sedis*, vol. 6, p. 385 (1914).

[3] **Soto,** *In IV Sent.*, dist. 10, q. 1, a. 1; **Valentia,** *In III p.*, disp. 6, q. 4, p. 2 «Quid autem».

[4] **Philippus a SS. Trinitate,** *De S. Euch. sacram.*, disp. 4, dub. 1.

[5] *III p.*, q. 76, a. 1 ad 2.

[6] *Sess.* 13, c. 3; **Denz-Bannw.,** 876.

3) *S. Thomas:* «Sub speciebus vero vini est quidem sanguis Christi ex vi sacramenti» [1].

343. Scholion. *Quid importet sanguis Christi, qui ex vi verborum consecrationis vini ponitur in hoc sacramento.*

1) In corpore humano duplex invenitur sanguis, unus *nutrimentalis*, qui nondum est perfectus sanguis, sed est in coctione et in via ad sanguinis formationem, cum alimenta transformantur; alter *naturalis*, qui jam perfecte decoctus pertinet ad compositum humanum.

Sanguis nutrimentalis non pertinet ad compositum humanum, sed ex se constituit aliud suppositum, et in Christo non fuit hypostatice unitus Verbo divino. Fuit quidem in Christo toto vitae suae tempore, at in resurrectione, utpote non pertinens ad suppositum humanum, non fuit adsumptus a Christo, nec remanet amplius in caelo.

2) Ex sanguine naturali aliquid amisit Christus durante vita, ut in circumcissione, et praesertim in passione. Diximus alibi sanguinem Christi in triduo passionis fuisse Verbo divino hypostatice unitum, at nihil obstabat, quominus aliqua pars hujus sanguinis, integritati corporis non necessaria, relicta fuerit in mundo ad devotionem fidelium, non unita Verbo.

In venerabili eucharistiae sacramento vi verborum consecrationis vini non est sanguis nutrimentalis, qui utpote hypostatice non unitus Verbo, non est amplius in corpore Christi, neque guttae sanguinis naturalis, quas forte reliquit Christus in mundo, sed sanguis naturalis, qui fuit semper hypostatice unitus Verbo, et qui nunc est in corpore Christi in caelo.

Corollarium. Tum corpus tum sanguis Christi sunt in hoc sacramento ea integritate, quam habent a parte rei. Unde in ultima coena, quando Christus instituit eucharistiam, erat corpus vivum et sanguis per venas fluens; in triduo passionis, si fuisset hoc sacramentum celebratum, fuisset corpus mortuum a sanguine verso separatum; nunc autem est corpus gloriosum, prout est in caelo [2].

ARTICULUS VI

QUID PONATUR IN CORPORE ET SANGUINE CHRISTI PER CONCOMITANTIAM

344. Status quaestionis. Diximus in articulo praecedenti ea esse per concomitantiam in eucharistia, quae realiter conjunguntur ei, quod ponitur vi verborum consecrationis. Hoc certe intelligendum est de conjunctis adaequate et secundum naturalem exigentiam, ut sunt ea, quae pertinent ad integritatem termini directi transsubstantiationis, et quae habent nexum inseparabilem cum eo [3].

---

[1] *III p.*, q. 76, a. 2.

[2] Cfr. **Philippus a SS. Trinitate,** *De S. eucharistiae sacramento*, disp. 4, dub. 1, part. 6.

[3] Cfr. **Philippus a SS. Trinitate,** *De S. eucharistiae sacramento*, disp. 4, dub. 2 ad 1.

Vi ejusdem transsubstantiationis et non alterius actionis ponuntur in sacramento ea, quae sunt per concomitantiam, quatenus illa actio efficit directe quae verba significant, et indirecte ponit ea quae naturaliter comitantur.

345. Thesis I. **Corpus Christi est in eucharistia per concomitantiam sub speciebus vini, et sanguis pariter Christi est per concomitantiam sub speciebus panis.**

Arg. 1) Concilium tridentinum expresse hoc docuit dicens: «Semper haec fides in Ecclesia Dei fuit... corpus sub specie vini et sanguinem sub specie panis... (exsistere) *vi naturalis illius connexionis et concomitantiae*, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur» [1].

2) *Ratio S. Thomae* in verbis concilii tridentini non obscure insinuata hoc certe probat. Quae enim realiter, adaequate et secundum naturalem exigentiam conjunguntur, oportet esse simul, adeo ut, ubicumque sit unum, necessario sit et aliud. Sed corpus Christi gloriosum realiter, adaequate et secundum naturalem exigentiam suo sanguini intra venas exsistenti conjungitur, et sanguis pariter corpori copulatur. Ergo corpus Christi in sanguine et sanguis in corpore est per naturalem concomitantiam.

Scholion. Si in triduo passionis «fuisset hoc sacramentum celebratum, sub speciebus panis fuisset corpus Christi sine sanguine; et sub speciebus vini sanguis sine corpore, sicut erant in rei veritate» [2]. Ratio est, quia corpus et sanguis Christi in hoc sacramento sunt eo modo, quo exsistunt a parte rei. In triduo autem passionis sanguis Christi fusus est et a corpore revera separatus; et pariter in sacramento fuisset separatus.

Loquimur de corpore et sanguine Christi separatis, quia si in triduo passionis aliqua pars sanguinis emortui in corpore Christi mansit, et celebratum fuisset sacramentum, corpus in illo sanguine, et ille sanguis vicissim in corpore eucharistico fuisset per concomitantiam, quia conjuncta fuerunt a parte rei.

346. Thesis II. **Anima rationalis Christi est sub utraque specie sacramentali per concomitantiam** [3].

1) Constat ex concilio tridentino, in quo diserte dicitur animam Christi sub utraque specie vi naturalis connexionis et concomitantiae exsistere [4].

2) *S. Thomas* praeiverat dicens: «Consequens est, quod divinitas vel anima Christi non sit in hoc sacramento ex vi sacramenti, sed *ex reali concomitantia*» [5].

---

[1] *Sess.* 13, c. 3; **Denz-Bannw.**, 876.

[2] **S. Thomas,** *III p.*, q. 76, a. 2.

[3] *Aegidius romanus* huic doctrinae adversatur dicens: «Omnino tamen facilius est sustinere, quod materia et forma panis virtute divina converti possit in solam materiam corporis Christi». *Theoremata de corpore Christi*, prop. 32.

[4] *Sess.* 13, c. 3; **Denz-Bannw.**, 876.

[5] *III p.*, q. 76, a. 1 ad 1.

Difficultas tamen apparenter gravis in hoc occurit. Anima enim rationalis in Christo, sicut in aliis hominibus, fuit forma substantialis humani corporis, tribuens ei, secundum doctrinam philosophicam confirmatam in concilio viennensi [1] et approbatam a S. Congregatione Studiorum [2], non solum vitam, sed etiam esse corporeum. Hinc, quando nominamus corpus humanum physicum, in eo includi videtur anima rationalis dans esse corporeum. Quare diximus superius contra Biel nomine corporis, quod vi verborum ponitur in eucharistia, non intelligi materiam primam sed corpus constans materia et forma. Ex quo sequi videtur animam rationalem Christi vi verborum esse in eucharistia.

Ad solutionem hujus difficultatis observandum est animam rationalem, quae est forma substantialis hominis, esse virtualiter quadruplicem in homine, quatenus munia obit formae corporeae, animae vegetativae, animae sensitivae, et animae rationalis seu intellectivae, et confert homini esse corporeum, vegetativum, sensitivum et intellectivum.

Sane conversio substantiae panis fit vi verborum consecrationis in corpus Christi, non vegetativum, sensitivum aut intellectivum, sed in corpus constitutum per materiam primam et animam rationalem sub munere formae corporeae dantis esse corporeum, quod munus virtualiter distinguitur ab aliis ejusdem animae muneribus. Hoc sensu dicendum est corpus Christi, prout vi verborum ponitur in eucharistia, constare materia et forma substantiali, quae est anima rationalis in suo gradu inferiori dans corpori esse corporeum, virtualiter distincta a se ipsa considerata in gradu superiori. Anima igitur Christi in gradu inferiori, dans ut forma substantialis esse corporeum corpori Christi, est vi verborum in sacramento. Et ipsa anima in gradibus superioribus, quatenus est forma substantialis dans esse vegetativum, sensitivum et intellectivum corpori Christi, est in eucharistia per naturalem concomitantiam.

Clarissime hoc docuit *S. Thomas* dicens: «Anima est forma corporis dans ei totum ordinem esse perfecti, scilicet et esse, et esse corporeum, et esse animatum, et sic de caeteris. Convertitur igitur forma panis in formam corporis Christi, secundum quod dat esse corporeum, non autem secundum quod dat esse animatum tali anima» [3].

347. THESIS III. **Natura divina et persona Verbi sunt pariter in eucharistia per naturalem concomitantiam.**

Ea dicuntur esse per concomitantiam in hoc sacramento, quae naturali nexu conjunguntur termino directo conversionis. Sed divina natura et persona Verbi naturali nexu conjunguntur corpori ac sanguini Christi. Ergo.

348. THESIS IV. **Quantitas corporis et sanguinis Christi est realiter in eucharistia per naturalem concomitantiam.**

Nota. Duo, ut vides, hic enuntiantur: 1) Quantitatem corporis et sanguinis Christi esse in hoc sacramento sub utraque specie contra Duran-

[1] Ex Const. «De summa Trinitate et fide catholica»; **Denz-Bannw.,** 480.
[2] Thesis 16; *Acta Ap. Sedis*, vol. 6, p. 385 (a. 1914).
[3] *III p.*, q. 75, a. 6 ad 2.

dum [1]; et hanc quantitatem, non vi verborum, sed per naturalem concomitantiam esse in eucharistia contra Vazquez [2].

Pars 1.ª Quantitas est realiter in eucharistia.

Antequam probetur quantitatem corporis et sanguinis Christi esse in eucharistia, observandum est quantitatem primario producere extensionem partium in ordine ad se, quatenus extendit, distinguit et ordinat partes rei in ordine ad se; secundario vero extensionem partium in ordine ad locum, quatenus facit totum corpus commensurari toti loco, et partes ejusdem singulis partibus.

Quamvis quantitas naturaliter tendat producere et producat utrumque effectum, potest tamen suspendere effectum secundarium seu extensionem partium in ordine ad locum [3].

Dicimus itaque quantitatem corporis et sanguinis Christi, quatenus producit effectum primarium seu extensionem partium in ordine ad se, esse realiter in eucharistia sub speciebus panis et vini.

Arg. 1) Hoc certe deducitur ex dogmate catholico, quo docemur corpus et sanguinem Christi esse vere et realiter sub speciebus panis et vini. Corpori enim et sanguini Christi naturaliter convenit habere quantitatem, quae producat extensionem partium in ordine ad se.

2) Christus habet in eucharistia omnes partes, quas habet in caelo, licet diverso modo. Sed Christus est in caelo cum sua quantitate. Ergo.

3) Accedit unanimis consensus theologorum, qui certe magnam auctoritatem habet in explicandis mysteriis.

Pars 2.ª Haec quantitas est in eucharistia per naturalem concomitantiam.

Ratio est, quia verba consecrationis non significant directe quantitatem, neque conversio panis fit directe in quantitatem. Hinc quantitas corporis et sanguinis Christi non est in eucharistia vi verborum consecrationis, sed per naturalem concomitantiam.

Ad rem apposite *S. Thomas:* «Quia tamen substantia corporis Christi realiter non dividitur a sua quantitate dimensiva et ab aliis accidentibus, inde est, quod ex vi realis concomitantiae est in hoc sacramento tota quantitas dimensiva corporis Christi, et omnia accidentia» [4].

Hanc doctrinam amplectuntur omnes scholarum patroni [5].

349. Corollarium. Quod diximus de quantitate, pari ratione dicendum est de figura et aliis accidentibus naturalibus corporis et sanguinis

---

[1] *In IV Sent.*, dist. 10, q. 2, n. 7.

[2] *In III p.*, disp. 87, c. 4.

[3] «Quamvis corpus Christi, ait ad rem **S. Thomas,** prout est sub sacramento, habeat partes distinctas et situatas situ naturali, non est tamen adsignare in partibus dimensionum panis, ubi singulae partes corporis Christi jaceant. Nec tamen sequitur, quod dicamus corpus Christi confusum, quia ordinem habent partes in se; secundum ordinem illum non comparantur ad dimensiones exteriores». *In IV Sent.*, dist. 10, q. 1, a. 2, quaest. 4 ad 3.

[4] *III p.*, q. 76, a. 4.

[5] Cfr. **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 10, q. 4, n. 14 sqq.; **Capreolus,** *In IV Sent.*, dist. 10, q. 2, a. 1, concl. 2.

Christi. Ea igitur omnia accidentia absoluta et intrinseca, quae naturali nexu conjunguntur Christo in caelo, sunt per concomitantiam in hoc sacramento secundum modum essendi quantitatis, quam afficiunt. «Accidentia corporis Christi, ait *S. Thomas*, sunt in hoc sacramento... secundum realem concomitantiam. Et ideo illa accidentia corporis Christi sunt in hoc sacramento, quae sunt ei intrinseca» [1].

Dixi *absoluta et intrinseca*, quia, cum Christus non sit circumscriptive in hoc sacramento, accidentia ejus corporis, quae significant situm, contactum loci, etc., non sunt sub speciebus sacramentalibus.

350. Scholion. Pater et Spiritus Sanctus sunt praesentes in eucharistia speciali modo, quatenus simul cum Filio operantur mirabilem conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi, et conservant realem praesentiam Christi sub speciebus, sed non videntur esse in eo per realem et naturalem concomitantiam, quidquid dicant *Suarez*, *Vazquez*, *Lugo*, *Gabriel a S. Vincentio* et *Philippus a SS. Trinitate* in contrarium [2]; quia, ut recte ajunt *Salmanticenses*, «cuncta exsistentia in hoc sacramento per concomitantiam, sive sint substantialia sive accidentalia, debent esse mediate vel immediate in supposito Christi, et consequenter uniuntur termino primario (conversionis) in unitate suppositi. Personae autem Patris et Spiritus Sancti, licet uniantur et sint idem cum Christo in natura divina, in qua invisibiliter communicant, nihilominus non sunt in supposito Christi, sed illi realiter relative opponuntur, atque ideo nec mediate uniuntur corpori et sanguini Christi in identitate suppositi» [3].

Ex hoc sequitur per concomitantiam in hoc sacramento non esse ea, quae sola indistantia, vel solo contactu corpori et sanguini praesentia sunt, ut vestes, etc., neque ea, quae in unitate naturae divinae ipsis uniuntur, ut Pater et Spiritus Sanctus, nisi simul corpori et sanguini Christi realiter uniantur in unitate suppositi.

ARTICULUS VII

AN ALIQUID AGAT PATIATURVE CHRISTUS IN EUCHARISTIA

351. Status quaestionis. 1) Actiones et passiones aliae sunt *spirituales*, aliae *corporeae*.

2) *Actiones spirituales* sunt, quae exercentur per potentias spirituales, ut intellectio et volitio per intellectum et voluntatem. *Passiones spirituales*, dicuntur, quae recipiuntur in potentia spirituali, ut tristitia in voluntate.

3) *Actiones corporeae* sunt, quae exercentur mediantibus organis. Et possunt esse *pure corporeae*, quae fiunt per membra externa, ut

---

[1] *III p.*, q. 76, a. 5 ad 3.

[2] **Suarez,** *De sacramentis*, disp. 51, sect. 6, n. 10; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 185, c. 2, n. 17; **Lugo,** *De eucharistia*, disp. 8, sect. 6; **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramento eucharistiae*, disp. 9, q. 4, concl. 2; **Philippus a SS. Trinitate,** *De S. eucharistiae sacram.*, disp. 4, dub. 3.

[3] *De eucharistiae sacramento*, disp. 7, n. 37.

deambulatio; vel *sensitivae*, quae sensibus externis aut internis animae exercentur, ut visio corporalis; vel *intentionales*, quae specierum intentionalium immutatione fiunt.

4) *Passiones corporeae* sunt, quae patiuntur in organis corporis, et possunt esse *pure materiales*, ut corruptio; vel *sensitivae*, quae in sensibus recipiuntur, ut dolor sensitivus ex vulnere accepto; vel *intentionales*, quae specierum intentionalium impressione in sensibus patiuntur, ut receptio specierum in visu.

Quaeritur hic, an Christus in eucharistia exerceat vel patiatur memoratas actiones et passiones.

352. I. **Christus Dominus in eucharistia exercet actiones spirituales intellectus et voluntatis, quae non dependent a sensuum ministerio.**

Ratio est quia ad exercendas actiones spirituales non requiritur extensio partium ad locum, sed sufficit, ut potentiae expeditae maneant in anima. Christus autem habet in eucharistia animam cum intellectu et voluntate expeditis. Ergo intelligit atque vult. Videt essentiam divinam per scientiam visionis; revelata per scientiam infusam; veritates naturales per scientiam acquisitam in via.

353. II. **Nullam actionem corpoream, sive pure corpoream, sive sensitivam, sive intentionalem, exercet Christus naturaliter in eucharistia.**

Nota. Aliqui veteres, ut *Ockam*, *Biel* et alii [1] docent Christum in hoc sacramento posse per se exercere easdem actiones, quas exercet in loco circumscriptive positus, eas tamen non exercere, quia Deus suspendit actiones causarum naturalium in hoc mysterio.

Verius tamen dixerim cum sententia fere communi Christum, prout est in hoc sacramento, non posse citra miraculum exercere actiones corporeas.

Fundamentum hujus adsertionis est, quia potentiae executrices nequeunt naturaliter suas operationes exercere, nisi applicentur subjecto per quantitatem, neque sensus externi aut interni vitaliter agere, nisi accipiant species intentionales extensas. Potentiae autem Christi, prout sunt in eucharistia, nec applicantur subjecto per quantitatem, nec accipiunt species intentionales extensas, quia sunt per modum substantiae.

Unde Christus in eucharistia non movetur per se, non corrumpitur, non audit naturaliter, non videt.

Pari ratione nihil Christus, prout est in eucharistia, ab externis agentibus patitur, quia contactus agentium exterrorum non recipitur nisi in subjecto dimensive extenso. «Passio, ait *Angelicus*, convenit corpori passo per comparationem ad agens extrinsecum. Et ideo Christus, secundum quod est sub hoc sacramento, pati non potest» [2].

354. III. **Non videtur Christus in hoc sacramento actus sensuum circa objecta et personas circumstantes supernaturaliter exercere.**

Nota. Aliqui theologi, ut devotionem erga corpus Christi eucharisticum commendarent, dixerunt Christum in statu sacramentali supernaturaliter videre personas ac objecta praesentia, audire sonitum solemnitatis ex-

---

[1] **Ockam,** *In IV Sent.*, q. 5; **Biel,** *In IV Sent.*, dist. 10, concl. 6.
[2] *III p.*, q. 81, a. 4 ad 1.

ternae atque orationes vocales fidelium. Ita *Lessius, Cornelius Alapide, Gonet* et novissime *Hugon* [1].

Sed longe probabilius puto Christum sub hoc sacramento nullam habere de facto supernaturaliter sensuum actionem, ac proinde nihil sensibiliter audire, nihil videre. Nullibi enim invenitur fundamentum, ut actiones sensitivas supernaturaliter tribuamus Christo exsistenti in hoc sacramento per modum substantiae; et sine fundamento speciali non sunt adstruenda miracula.

Huic doctrinae contradicere videntur, qui pia devotione ducti tribuunt actiones sensibiles sacratissimo Cordi Jesu eucharistico, sed sine fundamento. Cor Jesu, prout est in eucharistia, nihil sensibile efficit, nihil patitur.

355. Scholion. *De visione Christi in eucharistia per oculum corporeum.*

Ab antiquis jam temporibus agitata est quaestio, an oculus corporeus possit videre Christum in eucharistia.

1) Si sermo sit de visione naturali, certum esse puto oculum corporeum non posse videre corpus Christi, prout est in eucharistia. Unde *Algerus, Lanfrancus, Guitmundus* [2] et alii merito dixerunt sacrificium Ecclesiae duplici constare elemento, uno visibili, quod accidentibus panis et vini continetur, et alio invisibili, quod est corpus Domini nostri Jesu Christi.

Ratio hoc demonstrat, quia corpus Christi in eucharistia est per modum substantiae, quae naturaliter nequit oculo corporeo videri.

2) *Non constat inter theologos, an hoc fieri possit de potentia Dei extraordinaria.*

Scotus affirmat dicens: «Deus de potentia absoluta posset causare in oculo glorioso vel non glorioso visionem istius corporis, licet istud corpus nusquam esset nisi in eucharistia» [3]. Doctorem subtilem sequuntur *Carthusianus, Sotus, Valentia, Vazquez, Sylvius, Gonet, Contenson, Salmanticenses* et alii plures tum thomistae tum extranei, qui S. Thomam ad suas partes trahere contendunt [4].

S. Thomas haec habet: «A nullo autem oculo corporali corpus Christi potest videri, prout est in hoc sacramento... Corpus Christi secundum modum essendi, quod habet in hoc sacramento, neque sensu, nec imaginatione perceptibile est, sed solo intellectu, qui dicitur oculus spiritualis» [5].

---

[1] **Lessius,** *In III p.*, q. 76, a. 7, dub. 2, n. 51; **Alapide,** *In Cant. Cant.*, 2, 9; **Gonet,** *De sacramento eucharistiae*, disp. 5, a. 4, n. 75; **Hugon,** *De SS. eucharistia*, q. 4, a. 3, n. 5. Hanc opinionem **Franzelin** vocat «probabilissimam et piam». *De eucharistia*, th. 11, p. 179 (ed. 4).

[2] **Algerus,** *De sacramento altaris*, lib. 1, c. 5; ML **180,** 752; **Lanfrancus,** *De corpore et sanguine Domini*, c. 10; ML **150,** 421; **Guitmundus,** *De corporis et sanguinis Christi veritate eucharistiae*, lib. 1; ML **149,** 1434.

[3] *In IV Sent.*, dist. 10, q. 9, n. 5.

[4] **Carthusianus,** *In IV Sent.*, dist. 10, q. 4, § «Denique circa ista»; **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 10, q. 1, a. 7; **Valentia,** *In III p.*, disp. 6, q. 4, p. 3 in fine; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 191, c. 2; **Sylvius,** *In III p.*, q. 76, a. 7; **Gonet,** *De eucharistia*, disp. 5, a. 5, § 1; **Salmanticenses,** *De eucharistiae sacramento*, disp. 6, n. 68.

[5] *III p.*, q. 76, a. 7.

Plures theologi, putantes S. Thomam sententiae negativae his verbis adhaerere, negant corpus Christi, prout est in hoc sacramento, posse de potentia Dei absoluta videri ab oculo corporeo. Ita *Petrus Paludanus, Capreolus, Durandus, Suarez, Lugo, Joannes a S. Thoma, Becanus, Pesch, Billot* et alii [1].

Quaestio non est tanti momenti, ut multum in ea immoremur, sed ut verum fateamur, argumenta sententiae negativae magis nos convincunt.

Oculus enim corporeus nihil videt nisi per speciem sibi impressam objecti visi contactu quantitativo. Impossibile autem videtur, ut corpus Christi, prout est in eucharistia, imprimat in oculo corporeo speciem aliquam contactu quantitativo. Ergo.

ARTICULUS VIII

QUANDO DESINAT CHRISTUS ESSE IN EUCHARISTIA

356. Status quaestionis. Certum est Christum Dominum aliquando desinere esse in eucharistia. Quando hoc contingat, est objectum hujus discussionis.

357. Errores. 1) Bucerus contendebat Christum *in solo momento sumptionis* esse praesentem in eucharistia, non ante neque post; transactaque sumptione, desinere esse praesentem.

2) Chemnitius concedebat Christum esse praesentem *durante tota actione coenae;* absoluta autem coena, desinere esse sub particulis consecratis [2].

3) Alii dixerunt Christum desinere esse in eucharistia, quando aliquis vel indigne accedit ad sacramentum vel indigne eum tractat [3].

358. THESIS. **Christus, peracta consecratione, est permanenter praesens in eucharistia ante et post communionem, quousque species sacramentales corrumpantur.**

Pars 1.ª Est permanenter praesens ante et post communionem.

Arg. 1) Concilium tridentinum ait: *Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili eucharistiae sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante et post, et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, a. s.* [4].

2) Est praesens *ante communionem*, quia verba: *Hoc est corpus meum*, vix pronuntiantur, continent veritatem.

---

[1] **Paludanus,** *In IV Sent.*, dist. 10, q. 4, a. 1, concl. 5; **Capreolus,** *In IV Sent.*, dist. 10, q. 4, a. 3 ad 6; **Durandus,** *In IV Sent.*, dist. 10, q. 4, n. 4; **Suarez,** *De sacramentis*, disp. 53, sect. 4, n. 7; **Lugo,** *De eucharistia*, disp. 9, sect. 2, n. 20; **Joannes a S. Thoma,** *De sacramento eucharistiae*, disp. 28, a. 4; **Becanus,** *De sacramentis*, c. 19, q. 6; **Pesch,** *De eucharistia*, n. 747; **Billot,** *De eucharistia*, th. 45.

[2] *Examen decr. conc. trid.*, de euch. sacr., c. 5.

[3] Cfr. **Suarez,** *De eucharistia*, disp. 46, sect. 8, n. 6.

[4] *Sess.* 13, can. 4; **Denz-Bannw.,** 886.

3) Est etiam praesens *post communionem* et *post actionem coenae*, quia Ecclesia has particulas reverenter conservat in sacrario, ac defert aegrotis.

Pars 2.ª Permanet praesens in eucharistia, quousque accidentia corrumpantur.

Nunquam Ecclesia declaravit quanto tempore permaneat Christus sub speciebus sacramentalibus, sed communiter docent theologi ipsum esse realiter praesentem, quousque accidentia corrumpantur [1].

Rationem adsignat *S. Thomas* his verbis: «Cum corpus et sanguis Christi succedant in hoc sacramento substantiae panis et vini, si fiat talis immutatio ex parte accidentium, quae non suffecisset ad corruptionem panis et vini, propter talem mutationem non desinit corpus et sanguis Christi esse sub hoc sacramento... Si vero fiat tanta immutatio, quod fuisset corrupta substantia panis et vini, non remanent corpus et sanguis Christi sub hoc sacramento» [2].

QUAESTIO XVII

DE ACCIDENTIBUS EUCHARISTICIS

ARTICULUS I

UTRUM REALITER ET QUA REALITATE ACCIDENTIA PERMANEANT IN EUCHARISTIA

359. I. Accidentia panis et vini dicuntur quantitas, figura, color, sapor et alia phaenomena sensibilia, quae substantiam corpoream panis et vini ante consecrationem afficiunt, et, si verum est testimonium sensuum, mirabiliter post consecrationem permanent in eucharistia.

Traditio universalis et documenta ecclesiastica communiter adserunt accidentia panis et vini in eucharistia sine propria substantia vere permanere et theologi scholastici conati sunt explicare, quomodo hoc sine dogmatis detrimento accidere possit.

Sed, inventis saeculo XVIII et deinceps modernis theoriis circa indolem et influxum accidentium, magna confusio introducta est circa realitatem et modum perseverandi accidentium, quae dicuntur remanere in eucharistia.

360. II. **Theoriae recentiores.** 1) *Cartesiani* imprimis, qui negant accidentia realiter a substantia corporea distingui, volunt accidentia nihil aliud esse, quam sensationes et affectiones, quas corpora in sensibus nostris et objectis circumstantibus producunt. Cum autem panis et vinum convertuntur in corpus et sanguinem Christi, non remanent

[1] Cfr. **Suarez,** *De sacramentis*, disp. 46, sect. 8, n. 8.
[2] *III p.*, q. 77, a. 4.

realiter accidentia panis et vini, sed Deus *immediata sua actione* producit sensationes atque affectiones panis et vini in nostris sensibus. Unde non sunt realiter accidentia, sed purae apparentiae specierum.

2) *Atomistae*, sicut cartesiani, docent substantiam corpoream et accidentia realiter non distingui, sed dicunt aerem et aetherem, cum corpora moventur, mediantibus undulationibus accedere ad nostros sensus, eosque sensationibus afficere. Peracta autem consecratione panis et vini in sacramento eucharistiae, ubi accidentia pereunt vel potius convertuntur in corpus et sanguinem Christi, Deus speciali virtute loco substantiae panis producit vim objectivam resistendi, vel, ut alii volunt, sustinet materiam imponderabilem substantiae panis et vini prius commixtam, ex qua prodeunt undulationes aeris et aetheris, quae sensus nostros tangunt et immutant. Juxta cartesianos igitur Deus immediate producit sensationes in nobis, et species eucharisticae sunt apparentes, dum juxta atomistas Deus producit aut sustinet vim objectivam resistendi, a qua prodeunt undulationes aeris et aetheris, afficientes sensus. Ita *Emmanuel Maignan*, Ord. Min., *Tongiorgi*, *Palmieri*, et alii [1].

Haec theoria, quatenus docet Deum producere vim objectivam resistendi (Tongiorgi), licet ponat phaenomena objectiva, negat tamen haec phaenomena esse accidentia panis et vini contra doctrinam Ecclesiae traditionalem, et est rejicienda.

Quatenus ponit cum Palmieri materiam imponderabilem, quae substantiae panis et vini commixta erat, quaeque sensibiliter resistere dicitur atque phaenomena producere, aliquam certe realitatem objectivam conservat, sed secum fert grave inconveniens. Sacerdos enim dicens: *Hoc*

---

[1] **Maignan,** *Philosoph. sacra*, t. 1, c. 22; **Tongiorgi,** *Cosmologia*, nn. 237 sqq.; **Palmieri,** *Cosmologia*, th. 26.

Tongiorgi rem explicat his verbis: «Fac itaque, sublata v. gr., panis substantia, divinam virtutem efficere, ut in loco, ubi erat panis, intraque eosdem limites, resistentia habeatur eodem modo atque ordine, quo a panis illius atomis atque moleculis exercebatur. Ex hoc illico habebis extensionem mobilem atque divisibilem, similem in omnibus extensioni panis, habebis eamdem figuram, cohaesionem, duritiem, caeterasque qualitates generales et speciales, quas panis prae se ferebat. Accedent undae luminosae, et in illa superficie eodem modo modificabuntur ac diffundentur ac prius a superficie panis... Hinc tactus, visus, gustus in ea extensione reperient eadem, quae antea reperiebant... Immo non solum humani sensus sed et aether et aer et corpora caetera, si sensus essent capacia, apparentes illas moleculas apparensque illud corpus a veris moleculis veroque corpore non distinguerent... Facile colliges, quo pacto juxta hanc sententiam accidentia corporum absque subjecto manere dicuntur. Manent videlicet non secundum entitatem, quam prius in substantia habebant, sed secundum entitatem effectuum; suntque haec accidentia sine subjecto identica cum accidentibus, quae prius erant in subjecto, non identitate numerica et absoluta, sed identitate relativa in sensibili». *Cosmologia*, nn. 237-239.

Palmieri exstruxit suam theoriam his verbis: «Supponimus enim substantiam panis et vini non esse nisi materiam ponderabilem sicut et cujusque corporis naturalis. Scimus autem atomos corporum immersas veluti esse intra materiam imponderabilem, quae sinus omnes corporis pervadit, quaeque cohaerentes tenet partes seu atomos corporis. Fac igitur desinere omnem substantiam panis et vini, Deumque efficere, ut materia imponderabilis, quae illis commixta erat, sensibiliter resistat in eodem spatio, quemadmodum prius resistebat corpus; habebis eadem phaenomena et quidem objectiva, hoc est, a causa exsistente a parte rei determinata, quae primo habebas». *Cosmologia*, th. 26, p. 183 sq.

est corpus meum, non posset enuntiare solum corpus Christi, sed simul necessario enuntiaret illam materiam imponderabilem, subjectum simul et causam phaenomenorum sensibilium, et falsum diceret [1].

P. Leray, eudista, atomistarum theoriam partim sequutus, singularem excogitavit theoriam. Contendit enim panem et vinum constare atomis heterogeneis, quae in corpore humano inveniuntur. Cum autem substantia panis et vini conversa est in corpus et sanguinem Christi, atomi corporis et sanguinis Christi successerunt atomis panis et vini. Hinc accidentia, quae sunt atomi, inhaerent corpori Christi [2].

Haec theoria non salvat, ut opus est, identitatem accidentium panis et vini ante et post consecrationem [3].

3) *Dynamistae* paulo aliter rem explicant.

Contendunt corpora essentialiter constitui viribus seu energiis inextensis. *Centrum ipsum* seu *nucleus energiarum* est substantia. Energiae autem nuclei producunt *phaenomena* extensionis, caloris, coloris, saporis, etc., quae dicuntur accidentia. Cum substantia panis et vini seu nucleus principalis energiarum convertitur in corpus et sanguinem Christi, deberent accidentia naturaliter perire, sed Deus conservat impulsum (ενεργημα — actum transeuntem), qui a virtute substantiae (ενεργεια— actu immanente) producebatur, et prodit in phaenomena [4].

361. III. **Theoria scholasticorum.** Scholastici, doctrinam Stagiritae et Porphirii sequuti, totum mundum spectabilem distinguunt in substantias et accidentia.

Substantia est, cui competit esse per se, et si est corporea, ut est substantia panis et vini, quam hic dicimus converti in corpus et sanguinem Christi, constat materia et forma ut partibus physicis, et exigit trinam dimensionem in altum, latum et profundum.

Accidens est, cui competit esse in alio, vel inhaerere alteri tanquam subjecto. Non actualis inhaerentia sed exigentia ad inhaerendum est de ejus essentia.

Porro, sicut substantia, quae est id, quod est per se, per subsistentiam realiter ab ea distinctam redditur incommunicabilis alteri, et per exsistentiam substantialem ponitur extra causas et nihil, ita accidens per inhaerentiam actualem realiter ab eo distinctam est in alio tanquam in subjecto, et per exsistentiam accidentalem ab accidente et ab inhaerentia distinctam ponitur extra causas [5].

Hinc scholastici, applicando hanc doctrinam speciebus sacramentalibus, docent omnia accidentia panis et vini, peracta consecratione, per-

---

[1] Cfr. **Sasse,** *De eucharistia*, th. 11; et **Pesch,** *De sacramentis*, n. 712.

[2] *Le dogme de l'eucharistie*, 1900.

[3] Cfr. **Van Noort,** *De sacramentis*, n. 325.

[4] **Franzelin** ait ad rem: «Iste impulsus imprimis non est nihil sed aliquid reale, quod tamen ex sese postulat inesse ipsi substantiae et sustentari a substantia, nec potest naturaliter in se et per se esse extra substantiam... Attamen, quia est res (accidens) aliquid habens entitatis distinctae a substantia, potest a Deo conservari, etiam desinente substantia, ubi id, quod substantia ut causa secunda conferebat ad esse et conservationem accidentis, a Deo ut causa prima suppletur, non sane per modum sustentantis subjecti, sed per modum causae efficientis». *De sacramento eucharistiae*, th. 16, p. 289 (ed. 1888).

[5] Cfr. **Salmanticenses,** *De eucharistiae sacramento*, disp 8, n. 20.

manere in eucharistia, ita tamen ut sola quantitas conservetur a Deo miraculose sine subjecto, et caetera recipiantur in quantitate ac conserventur modo connaturali.

His breviter ita expositis, statuenda est vera doctrina circa permanentiam specierum in hoc sacramento.

362. THESIS I. **Accidentia panis et vini, peracta consecratione, vere et realiter realitate objectiva permanent in eucharistia.**

Arg. 1) *Ex concilio tridentino.* Concilium tridentinum definit totam substantiam panis et vini converti in corpus et sanguinem Christi, *manentibus dumtaxat speciebus* panis et vini [1]. Specierum autem nomine nihil concilium intellexit nisi accidentia realia in oppositione ad substantiam.

Ex his concilii verbis deducunt plures theologi doctrinam expositam esse de fide. Ita *Sotus, Toletus, Suarez, Lugo, Gonet,* et alii plures tum veteres tum recentiores [2].

Nihilominus aliqui theologi recentiores dicunt verba concilii *manentibus dumtaxat speciebus panis et vini* non fuisse dicta per modum definitionis sed per modum explicationis, et reddere doctrinam, non de fide, sed *fidei proximam et theologice certam.* Ita *Salmanticenses* [3].

Certe in mente Patrum erat speciebus panis et vini, quibus accidentia designabantur, aliquam realitatem concedere, et verba relata, quidquid sit de definitione, magnam conciliant nostrae thesi auctoritatem.

2) *Ex Sanctis Patribus.* Sancti Patres constanter tenuerunt in eucharistia sedulo distinguendam esse rem internam ac invisibilem, quae adoratur, a re sensibili, quae tangitur, videtur, odoratur. Res invisibilis, quae adoratur, est corpus Christi, res sensibilis, quae palpatur ac videtur, sunt species seu accidentia panis et vini. Unde populus christianus a SS. Patribus edoctus semper credidit accidentia eucharistica objectivam habere realitatem.

3) *Ex auctoritate veterum theologorum.* Traditionem a Patribus acceptam veteres theologi sua auctoritate firmavere. Scholarum omnium principes unanimi consensu dixerunt in venerabili sacramento eucharistiae accidentia realiter permanere. Unus pro mille sufficiat. *Guillermus Parisiensis* ait: «Accidentia simul accepta putamus formam panis visibilem. Non indiget autem omnipotens virtus vivifici panis illo fulcimento, cum ipse sit portans omnia verbo virtutis suae» [4]. Conferri possunt *Albertus M., S. Bonaventura, S. Thomas, Scotus,* et alii [5].

---

[1] *Sess.* 13, can. 2; **Denz-Bannw.,** 884.

[2] **Sotus,** *In IV Sent.,* dist. 10, q. 2, a. 1; **Toletus,** *In III p.,* q. 75, a. 5; **Suarez,** *De eucharistia,* disp. 56, sect. 1, n. 1; **Lugo,** *De eucharistia,* disp. 10, sect. 1, n. 1; **Gonet,** *De eucharistia,* disp. 6, a. 1, n. 2.

[3] *De eucharistiae sacramento,* disp. 8, n. 7.

[4] *De sacramento eucharistiae,* transsubstantiatio panis; fol. 14; ed. Parisiorum, 1516.

[5] **Albertus M.,** *In IV Sent.,* dist. 12, a. 1; **S. Bonaventura,** *In IV Sent.,* dist. 11, p. 1, a. 1, q. 2; **S. Thomas,** *Contra Gentiles,* lib. 4, c. 63; **Scotus,** *In IV Sent.,* dist. 12, q. 1.

4) *Ex ratione.* Rationem theologicam dilucide exponit *S. Thomas* dicens: «Necesse est tamen aliquid (in eucharistia) remanere, ut verum sit quod dicitur: *Hoc est corpus meum;* quae quidem verba sunt hujus conversionis significativa et factiva. Et quia substantia panis non manet, nec aliqua prior materia, necesse est dicere, quod maneat id, quod est praeter substantiam panis. Hujusmodi autem est accidens. Remanent ergo accidentia panis, etiam post conversionem praedictam» [1]. «Non tamen hoc fieri dicimus, quasi species illae, quae sensibus apparent in sacramento, sint solum in phantasia videntium, sicut solet esse in praestigiis artis magicae, quia veritatis sacramento nulla fictio decet» [2].

363. Thesis II. **Accidentia panis et vini, peracta consecratione, manent in eucharistia sine subjecto proprio.**

Arg. 1) *Ex conciliis.* Concilium constantiense damnavit Wiclefi secundam propositionem his verbis conceptam: «Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem sacramento (altaris)» [3].

Concilium tridentinum docet substantiam panis et vini converti in corpus et sanguinem Christi, «manentibus dumtaxat speciebus panis et vini» [4]. Ergo haec accidentia non manent in suo subjecto.

2) *Ex auctoritate catechismi S. Pii V:* «Tertium restat, quod in hoc sacramento maximum atque admirabile videatur... panis videlicet et vini species in hoc sacramento sine aliqua re subjecta constare. Nam, cum antea demonstratum sit corpus Domini et sanguinem vere in sacramento esse, ita ut nulla amplius subsit panis et vini substantia, quoniam ea accidentia Christi corpori et sanguini inhaerere non possunt, relinquitur, ut supra omnem naturae ordinem ipsa se nulla alia re nixa sustentent. Haec perpetua et constans fuit catholicae Ecclesiae doctrina» [5].

3) *Ex auctoritate et ratione S. Thomae.* Haec ad rem habet Angelicus Doctor: «Accidentia panis et vini, quae sensu deprehenduntur in hoc sacramento remanere post consecrationem, a) non sunt sicut in subjecto in substantia panis et vini, quae non manet, (ut supra dictum est); b) neque etiam in forma substantiali, quae non manet; et, si remaneret, subjectum esse non posset, ut patet per Boetium in lib. *de Trinitate.* Manifestum est etiam, quod hujusmodi accidentia c) non sunt in substantia corporis et sanguinis Christi sicut in subjecto; quia substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici, neque etiam est possibile, quod corpus Christi gloriosum et impassibile exsistens, alteretur ad suscipiendas hujusmodi qualitates».

«Dicunt autem quidam, quod sunt sicut in subjecto in aere circumstante. Sed nec hoc esse potest. *Primo* quidem, quia aer non est hujusmodi accidentium susceptivus. *Secundo,* quia hujusmodi accidentia non

---

1 *Contra Gentiles,* lib. 4, c. 63.

2 *Opusc. II* (ed. Parmae), Declaratio quorumdam art. contra graecos, armenos, et saracenos, c. 8.

3 **Denz-Bannw.,** 582.

4 *Sess.* 13, can. 2; **Denz-Bannw.,** 884.

5 *Part.* 2, c. 4, n. 45.

sunt, ubi est aer, quinimo ad motum harum specierum aer depellitur. *Tertio*, quia accidentia non transeunt de subjecto in subjectum; ut scilicet idem accidens numero, quod primo fuit in uno subjecto, postmodum fiat in alio; accidens enim numerum accipit a subjecto; unde non potest esse, quod idem numero manens, sit quandoque in hoc, quandoque in illo subjecto. *Quarto*, quia, cum aer non spolietur accidentibus propriis, simul haberet accidentia propria et aliena. Nec potest dici, quod hoc fiat miraculose virtute consecrationis, quia verba consecrationis hoc non significant, quae tamen non efficiunt nisi suum significatum.»

«Et ideo relinquitur, quod *accidentia in hoc sacramento manent sine subjecto*. Quod quidem virtute divina fieri potest. Cum enim effectus magis dependeat a causa prima, quam a causa secunda, Deus, qui est prima causa substantiae et accidentis, per suam infinitam virtutem conservare potest in esse accidens, subtracta substantia, per quam conservabatur in esse sicut per propriam causam» [1].

4) Accidentia realiter distinguuntur a substantia, et nihil obstat, quominus virtute divina exsistant separata ab ea.

364. Corollaria. Ex his facile colliges sequentia:

1) *Accidentia eucharistica non sunt solae sensationes a Deo immediate in nobis productae*, prout cartesiani imaginati sunt. Solis enim sensationibus nequeunt applicari expressiones conciliorum, quae semper loquuntur de accidentibus panis et vini.

2) *Rejicienda est theoria atomistarum, juxta quam accidentia panis et vini revera pereunt*, et Deus loco panis sustinet vim objectivam resistendi, ex qua, mediantibus undulationibus, sensasiones perveniunt ad sensus, quia in hac theoria nihil remanet in eucharistia de accidentibus panis et vini.

3) *Neque materia imponderabilis, quam supponit* Palmieri *pani commixtam, remanet in eucharistia post consecrationem*, quia haec materia imponderabilis, si daretur, esset aliquid de substantia panis, non accidens; et juxta concilium tridentinum et theologos catholicos nihil remanet de substantia panis in hoc sacramento post consecrationem.

4) *Theoria P. Leray, quae tenet accidentia panis et vini post consecrationem inhaerere corpori Christi*, disertis verbis rejicitur a S. Thoma loco citato.

5) *Systema denique dynamistarum non bene explicat permanentiam accidentium panis et vini in eucharistia post consecrationem.* Errat imprimis in adsignanda constitutione corporum, quae non nucleis energiarum sed materia et forma constant, et, ut bene arguit *Pesch* [2], quamvis admittatur suppositum, sine fundamento dicitur impulsum seu actionem transeuntem substantiae panis a Deo conservari.

---

[1] *III p.*, q. 77, a. 1.

[2] *De sacramentis*, n. 713.

365. THESIS III. **Sola quantitas panis et vini manet in eucharistia sine subjecto, caetera autem accidentia inhaerent quantitati tanquam subjecto.**

Angelicus Doctor hanc thesim explicat atque defendit dicens: «Necesse est dicere accidentia alia, quae remanent in hoc sacramento, esse sicut in subjecto in quantitate dimensiva panis et vini remanente. *Primo* quidem per hoc, quod ad sensum apparet aliquid quantum esse ibi coloratum, et aliis accidentibus affectum; nec in talibus sensus decipitur. *Secundo*, quia prima dispositio materiae est quantitas dimensiva; unde et Plato posuit primas differentias materiae magnum et parvum. Et quia primum subjectum est materiae, consequens est, quod omnia alia accidentia referantur ad subjectum, mediante quantitate dimensiva (sicut et primum subjectum coloris dicitur esse superficies), ratione cujus quidam posuerunt dimensiones esse substantias corporum, ut dicitur in I Metaphysicorum. Et quia, subtracto subjecto, remanent accidentia secundum esse, quod prius habebant, consequens est, quod omnia accidentia remaneant fundata super quantitatem dimensivam» [1].

Rursum: «Qualitates non sunt divisibiles nisi per accidens, scilicet ratione subjecti. Dividuntur autem qualitates remanentes in hoc sacramento per divisionem quantitatis dimensivae, sicut patet ad sensum. Ergo quantitas dimensiva est subjectum accidentium, quae remanent in hoc sacramento» [2].

Deus igitur influxu speciali seu supernaturali conservat quantitatem panis et vini sine subjecto, ut bene docent *Philippus a SS. Trinitate* et *Salmanticenses* [3], et deinde concursu communi sine miraculo sustinet alia accidentia in quantitate [4].

366. Scholion I. Non videtur quantitas novum modum perseitatis adquirere, cum supernaturali Dei actione conservatur in esse sine subjecto, sed, sicut prius conservabatur in substantia per exsistentiam accidentalem distinctam ab exsistentia substantiali panis, ita post consecrationem conservatur a Deo in sua exsistentia accidentali sine ulla intrinseca mutatione cum dependentia aptitudinali ad proprium subjectum, quin tamen ullam violentiam patiatur [5].

367. Scholion II. *De actionibus specierum.* Accidentia eucharistica possunt sine novo miraculo exercere omnes actiones, quas prius in suo subjecto exercebant. *S. Thomas* ait ad rem: «Quia unumquodque agit, in quantum est ens actu, consequens est, quod unumquodque, sicut se habet ad esse, ita se habeat ad agere. Quia igitur secundum praedicta speciebus sacramentalibus datum est divina virtute, ut rema-

---

[1] *III p.*, q. 77, a. 2.

[2] *III p.*, q. 77, a. 2, «Sed contra».

[3] **Philippus a SS. Trinitate,** *De S. eucharistiae sacramento*, disp. 5, dub. 1, ad 3; **Salmanticenses,** *De euch. sacram.*, disp. 8, n. 21.

[4] Ipsi philosophi judaei atque gentiles docuerunt saepe accidentia posse separari a subjecto. Cfr. **Aben Gabirol,** *Fons vitae*, tr. 2 et 3; **Porphirius,** *De praedicabili*, et alii.

[5] Cfr. **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramento euch.*, disp. 11, q. 3; et **Philippus a SS. Trinit.,** *De S. euch. sacram.*, disp. 5, dub. 3.

neant in suo esse, quod habebant, substantia panis et vini exsistente, consequens est, quod etiam remaneant in suo agere. Et ideo omnem actionem, quam poterant agere, substantia panis et vini exsistente, possunt etiam agere, substantia panis et vini transeunte in corpus et sanguinem Christi» [1].

Ut haec doctrina magis clarescat et radicitus explicetur, notandum est cum Philippo a SS. Trinitate tria esse actionum genera, quae accidentibus tribui possunt. 1) Quaedam sunt *actiones intentionales*, quae mediantibus speciebus immutant sensus; 2) Aliae nuncupantur *physicae accidentales*, quae producunt vel immutant qualitates in rebus, ut sunt alterationes reales, caloris, frigoris, etc.; 3) Aliae dicuntur *actiones substantiales*, quibus producitur vel destruitur substantia, ut generatio et corruptio.

Quamvis in hoc non sit concors theologorum sententia, multo communius et verius dicunt Doctores accidentia eucharistica posse exercere hujus triplicis generis actiones.

Accidentia siquidem eucharistica: 1) videntur, odorantur, palpantur, ac proinde immittunt species intentionales et immutant nostros sensus: 2) Frigefaciunt dentes, calefaciunt stomachum, etc., actione physica accidentali; et 3) Possunt esse et aliquando sunt principium generationis, et exercent actiones substantiales.

368. Scholion III. *De corruptione specierum.* Accidentia eucharistica saepe corrumpi sensuum testimonio novimus. Si enim hostiae consecratae applicetur ignis, statim in cinerem vertitur, mutatur color, et caetera accidentia alterantur.

Hoc fieri agentium naturalium virtute est certa theologorum sententia contra Scotum et Durandum [2], qui dicunt a solo Deo fieri hujusmodi corruptionem.

Quomodo hoc contingat, optime de more explicat *Angelicus* dicens: «Corruptio est motus ex esse in non esse. Dictum est autem supra, quod species sacramentales retinent idem esse, quod prius habebant, substantia panis et vini exsistente, et ideo, sicut esse horum accidentium poterat corrumpi, substantia panis et vini exsistente, ita etiam potest corrumpi, illa substantia absente. Poterant autem hujusmodi accidentia primo corrumpi dupliciter: uno modo *per se*, alio modo per accidens. *Per se* quidem, sicut per alterationem qualitatum, et augmentum vel diminutionem quantitatis... *Per accidens* per corruptionem subjecti; et hoc modo possunt corrumpi etiam post consecrationem. Quamvis enim subjectum non remaneat, remanet tamen esse, quod habebant hujusmodi accidentia in subjecto, et ideo hujusmodi esse potest corrumpi contrario agente» [3].

Ad haec optime addit *Philippus a SS. Trinitate:* «Species sacramentales aliquae habent contrarium, ut color, odor, sapor; et istae corrumpuntur tam per se, quam per accidens: aliae vero non habent contra-

---

[1] *III p.*, q. 77, a. 3.

[2] **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 12, q. 3, «Dico»; **Durandus,** *In IV Sent.*, dist. 12, q. 2, n. 7.

[3] *III p.*, q. 77, a. 4.

rium, ut quantitas; et hae corrumpuntur tantum per accidens, quando corrumperetur subjectum, si adesset» [1].

369. Scholion IV. *De generatione rerum ex speciebus sacramentalibus.*

1) Theologi scholastici facile concedunt contra Algerum et Waldensem [2] ex speciebus sacramentalibus corruptis aliquid generari, et quidem defendunt contra Scotum, Durandum et alios [3], id fieri per virtutem agentis creati seu naturalis.

«Ad sensum videri potest, ait *Angelicus*, ex speciebus sacramentalibus aliquid generari, vel cineres, si comburantur, vel vermes, si putrefiant, vel pulveres, si conterantur» [4].

Id autem probat sequenti argumento: «Cum corruptio unius sit generatio alterius, ut dicitur in I *de generatione*, textu 17, necesse est, quod ex speciebus sacramentalibus aliquid generetur, cum corrumpantur, ut dictum est. Non enim sic corrumpuntur, ut omnino dispereant, quasi in nihilum redigantur, sed manifeste aliquid sensibile eis succedit» [5].

Non autem miraculose sed naturaliter haec fiunt, quia non videtur Deus miraculum facere, ut species putrescat aut per combustionem dissolvatur, sed potius videmus naturali ac consueto ordine accidentia comburi ac putrescere [6]. Hinc ignis naturaliter comburit species et generat cinerem, causarum naturalium actione putrescunt species et generantur vermes; virtute naturali digerit homo hostias consecratas, et ex eis satiatur ac nutritur. Conferri possunt *Capreolus*, *Cajetanus*, *Soto*, et alii [7].

2) Pulsat tamen animum gravissima difficultas, quam non dissimulat *Angelicus* [8], et proponunt atque diversimode solvunt scholastici.

En difficultas. In omni generatione requiritur materia prima, ex qua educatur forma substantialis. Sed accidentibus sacramentalibus nulla subest materia prima, ex qua educatur forma substantialis rei generandae. Ergo ex accidentibus sacramentalibus nihil generari potest. Sub speciebus sacramentalibus nulla revera est materia, quae recipiat novam formam.

a) Aliqui dixerunt generationem fieri, non ex accidentibus, quae conspicimus, sed ex aere circumstante. Ita refert *S. Thomas* [9]. Sed hanc opinionem expresse rejicit Angelicus. Revera, si hostiae, quae sunt in magna pyxide, comburantur, generantur cineres in majori quantitate, quam potest produci ex aere incluso in pyxide.

b) Alii dixerunt solam quantitatem panis et vini esse subjectum

---

[1] *De S. eucharistiae sacramento*, disp. 5, dub. 5 ad 2; Cfr. **Soto,** *In IV Sent.*, disp. 10, q. 2, a. 4.

[2] **Algerus,** *De sacram. corp. et sang. Domini*, lib. 2, c. 1; ML **180,** 809 sqq.; **Waldensis,** *De sacramen.*, lib. 2, c. 62.

[3] **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 12, q. 6 «Dico igitur»; **Durandus,** *In IV Sent.*, dist. 12, q. 2, n. 10.

[4] *III p.*, q. 77, a. 5 «Sed contra».

[5] *III p.*, q. 77, a. 5.

[6] Cfr. **S. Thomas,** *Contra Gentiles*, lib. 4, c. 66.

[7] **Capreolus,** *In IV Sent.*, dist. 12, concl. 3; **Cajetanus,** *In III p.*, q. 77, a. 5; **Soto,** *In IV Sent.*, dist. 10, q. 2, aa. 4-5.

[8] *III p.*, q. 77, a. 5.

[9] *III p.*, q. 77, a. 5.

generationis, adeo ut novum compositum constet sola quantitate et forma substantiali, et res inde provenientes pergant exsistere sine subjecto proprio seu sine materia. Ita *Aegidius*, *Ferrariensis* et alii [1].

In hac explicatione nimis multiplicantur miracula.

c) Alii dicunt eamdem materiam primam, quae in consecratione desierat, in momento generationis reproduci, et ex ea formam substantialem educi. Ita *Lugo* [2].

Hic dicendi modus videtur rejiciendus. Materia enim panis simul cum forma conversa est per verba consecrationis in corpus Christi, et admitti nequit eam in corruptione specierum ex corpore Christi iterum converti in materiam primam panis [3].

d) Alii contendunt substantiam compositam a Deo creari in momento corruptionis specierum, ut agens naturale possit agere in generationibus subsequentibus. Ita *Scotus*, *Vazquez* et alii [4].

In hoc casu generatio non fieret ex speciebus sacramentalibus, ut bene arguit *Capreolus* [5] contra Paludanum, sed ex illo composito noviter creato, et hoc est rejiciendum.

e) Alii communius et verius defendunt quantitatem panis et vini in momento generationis a Deo miraculose converti in materiam primam, ex qua educitur forma substantialis. Ita videtur docere *S. Thomas*, et defendunt *Capreolus*, *Cajetanus*, *Gabriel a S. Vincentio*, *Philippus a SS. Trinitate*, *Salmanticenses*, *Billuart* et alii [6].

Haec explicatio est certe aptior ad solvendam difficultatem propositam. Conandum siquidem est, ut ponatur materia ad salvandam generationem ex speciebus sacramentalibus, quin multiplicentur miracula. In hac autem theoria ponitur materia cum sola continuatione miraculi jam exsistentis.

Cum ignis vel principium corruptionis applicatur hostiae consecratae, recipiuntur in accidentibus omnes dispositiones ad alterationem necessariae, quousque jam qualitates resolvantur, et quantitas sit destruenda. Cum autem corruptio unius sit generatio alterius, et generatio fieri nequeat sine materia prima, in eo instanti, in quo per vim caloris vel actionem contrariorum resolvuntur qualitates et destruenda est quantitas, Deus virtute praecedentis miraculi, quo sustinebat quantitatem sine subjecto, eam convertit in materiam primam, ut agens naturale educat ex ea formam substantialem.

Hanc doctrinam tradidisse videtur *S. Thomas*, cum ait: «Quantitas dimensiva panis et vini retinet naturam propriam, et accipit miraculose vim et proprietatem substantiae [7]. «Species sacramentales, etsi non sint

---

[1] **Aegidius,** *Theoremate* 44 et 45; **Ferrariensis,** *Contra Gentiles*, lib. 4, c. 66.

[2] *De sacramento eucharistiae*, disp. 10, sect. 2, n. 31.

[3] Cfr. **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacram. euch.*, disp. 11, q. 5.

[4] **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 12, q. 6; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 184, c. 3.

[5] *In IV Sent.*, dist. 12, q. 1, a. 3, ad arg. Scoti contra 3 concl.

[6] **S. Thomas,** *III p.*, q. 77, a. 5 ad 3; **Capreolus,** *In IV Sent.*, dist. 12, q. 1, a. 3; **Cajetanus,** *In III p.*, q. 77, a. 5; **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramento eucharistiae*, disp. 11, q. 5; **Philippus a SS. Trinitate,** *De S. eucharistiae sacramento*, disp. 5, dub. 6; **Salmanticenses,** *De euch. sacram.*, disp. 8, n. 57; **Billuart,** *De almo euch. sacramento*, disp. 1, a. 6, § 2.

[7] *III p.*, q. 77, a. 5 ad 3.

ea, ex quibus corpus hominis constat, tamen in ea convertuntur» [1]. Haec verba, ut bene animadvertit *Philippus a SS. Trinitate* [2], nequeunt intelligi de totali et immediata conversione specierum in substantiam novam, quia negaretur generatio, sed debent intelligi de earum conversione in materiam, ex qua educatur forma substantialis in eodem instanti.

Hoc pacto admittitur aliquid miraculi, nempe actio Dei virtute miraculi praecedentis, et tribuitur generatio agenti naturali. «Secundum quamlibet positionem, ait *S. Thomas*, oportet ponere aliquid in hac generatione esse miraculosum et aliquid naturale; reditus enim substantiae, vel creatio materiae, vel conversio dimensionum in materiam est miraculosum; sed quod materia jam exsistens recipiat talem formam, cujus dispositiones praecesserunt in dimensionibus, hoc est naturale» [3].

S. Thomas igitur, quando locis supra citatis visus est favere sententiae, quae tenebat quantitatem solam esse subjectum hujus generationis, intelligendus est de quantitate a Deo conversa in materiam primam [4].

370. Scholion V. Est principium inconcussum in theologia catholica corpus et sanguinem Christi eousque permanere in eucharistia, quousque manent incorrupta accidentia panis et vini. Ubi autem accidentia desinunt esse, desinunt pariter corpus et sanguis Christi in hoc sacramento esse.

Quando hoc contingat, non est facile determinare. Certum est accidentia, cum corrumpuntur vel comburuntur, et ex eis fit alterius rei, puta vermis aut cineris, generatio, desinere esse, et corpus et sanguinem Christi desinere adesse. Corpus quidem Christi non corrumpitur, non annihilatur, non convertitur in aliud, non recedit per motum localem, sed desinit adesse; et negative seu indirecte, corruptis accidentibus, cessat esse praesens.

371. Scholion VI. *De mixtione specierum sacramentalium cum aliis materiis.*

Species sacramentales cum materiis non consecratis permisceri posse sensuum testimonio constat.

1) Si accidentia sacramentalia panis misceantur cum aliis corporibus solidis per juxtapositionem, ut si particulae consecratae misceantur cum non consecratis, corpus Domini certe manet ibidem sacramentaliter, quousque species destruantur.

2) Si speciebus vini consecrati infundatur liquor diversae speciei, puta aqua, in ea quantitate, ut mutuo intersecent, fit corruptio specierum, cui correspondet nova generatio, et desinit esse sanguis Christi [5]. «Si liquor permixtus, ait *S. Thomas*, alterius speciei, puta si permisceretur aqua, solveretur species vini, et esset liquor alterius speciei» [6].

---

[1] *III p.*, q. 77, a. 6 ad 2.

[2] *De S. euch. sacram.*, disp. 5, dub. 6, part. 3.

[3] *In IV Sent.*, dist. 12, q. 1, a. 2, quaest. 4 ad 4.

[4] Cfr. **Salmanticenses,** *De euch. sacramento*, disp. 8, nn. 51 sqq.

[5] Si adjungatur gutta tantummodo aquae, non videntur species corrumpi, sed una continui pars, in quam pervenerit gutta, esset in subjecto, et in ea desineret esse Christus; reliquum pergeret esse sine subjecto, et in eo esset Christus. Cfr. **Billot,** *De sacramentis*, q. 77, a. 8, schol. 2.

[6] *III p.*, q. 77, a. 8.

3) Si praefatis speciebus adjungatur vinum diversae qualitatis, probabilius contra Durandum et Suarez [1] corrumpuntur species sacramentales, et verificatur nova generatio, ac proinde sub illis speciebus desinit esse Christus.

4) Si vino consecrato infundatur vinum ejusdem speciei et earumdem qualitatum, disputatur inter theologos, an verificetur generatio. Affirmant *Alensis, S. Bonaventura, Capreolus, Soto, Gabriel a S. Vincentio* et alii [2].

Verius tamen negant *Toletus, Salmanticenses* et alii [3].

Negativae sententiae multum favet *Innocentius III* dicens: «Si post calicis consecrationem aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non transit in sanguinem, nec sanguini commiscetur, sed accidentibus prioris vini commistum, corpori, quod sub iis latet, undique circumfunditur, non medians circumfusum» [4].

QUAESTIO XVIII

DE EUCHARISTIA UT EST SACRAMENTUM

ARTICULUS I

UTRUM EUCHARISTIA SIT VERUM SACRAMENTUM AB ALIIS SACRAMENTIS DISTINCTUM

372. Status quaestionis. Constat ex superius dictis, quid sit sacramentum. Nunc inquirendum est, an ratio sacramenti conveniat eucharistiae.

373. Errores. 1) Haeretici plures, quamvis erraverint circa praesentiam realem Domini nostri Jesu Christi, vel circa transsubstantiationem, admiserunt eucharistiam esse verum sacramentum, id est, signum visibile invisibilis gratiae sanctificantis homines. Referuntur tamen aliqui haeretici, qui negaverunt eucharistiam esse verum sacramentum.

2) Protestantes liberales et hodierni increduli, etiamsi baptismum apud protestantes vel apud catholicos susceperint, renuunt concedere eucharistiae rationem sacramenti.

374. THESIS. **Eucharistia est vere et proprie novae legis sacramentum a caeteris sacramentis distinctum.**

Pars 1.ª Est sacramentum.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Sacrae litterae satis declarant eucharistiam esse vere sacramentum, cum dicunt: *Caro mea vere est cibus et*

---

[1] **Durandus,** *In IV Sent.*, dist. 12, q. 3, n. 7; **Suarez,** *De sacramentis*, disp. 57, sect. 4, n. 5.

[2] **Alensis,** *IV p.*, q. 10, m. 7, a. 2, § 3; **S. Bonaventura,** *In IV Sent.*, dist. 12, p. 1, a. 2, q. 1 ad ult.; **Capreolus,** *In IV Sent.*, dist. 13, q. 1, concl. 2; **Soto,** *In IV Sent.*, dist. 10, q. 2, a. 8, «Ad haec vero»; **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacram. euch.*, disp. 11, q. 6.

[3] **Toletus,** *In III p.*, q. 77, a. 8; **Salmanticenses,** *De euch. sacram.*, disp. 8, n. 70.

[4] *Decret.*, lib. 3, tit. 41, c. 6, § 1.

sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo [1]. Ecce signum sensibile institutum a Christo et expressum in carne et sanguine Christi eorumque speciebus, et ecce pariter significatio gratiae in cibo et potu spirituali.

2) *Ex conciliis.* Concilium lateranense IV vocat eucharistiam *sacramentum altaris* [2]; concilium florentinum ait: «Tertium est eucharistiae sacramentum» [3]; et concilium tridentinum inter Ecclesiae sacramenta enumerat eucharistiam [4]; et in sessione 13 agit «de almo sanctae eucharistiae sacramento» [5].

3) *Ex traditione.* Traditionem hujus doctrinae nunquam fuisse in Ecclesia interruptam ostendunt tum testimonia SS. Patrum, tum adsertiones theologorum, tum universalis consensus ecclesiarum, etiam a catholica dissidentium.

4) *Ex ratione.* Rationem convenientiae adducit optimam *S. Thomas* dicens: «Sacramenta Ecclesiae ordinantur ad subveniendum homini in vita spirituali. Vita autem spiritualis vitae corporali conformatur, eo quod corporalia spiritualium similitudinem gerunt. Manifestum est autem, quod, sicut ad vitam spiritualem requiritur generatio, per quam homo vitam accipit et augmentum, quo homo perducitur ad perfectionem vitae, ita etiam requiritur alimentum, quo homo conservatur in vita. Et ideo, sicut ad vitam spiritualem oportuit esse baptismum, qui est spiritualis generatio; et confirmationem, quae est spirituale augmentum; ita oportuit esse sacramentum eucharistiae, quod est spirituale alimentum» [6].

Pars 2.ª Est sacramentum a caeteris sacramentis distinctum.

Arg. 1) Concilium tridentinum enumerat eucharistiam ut unum ex septem sacramentis [7].

2) Idem concilium adsignat rationem, qua eucharistia distinguatur a caeteris sacramentis, quia caetera sacramenta consistunt in usu, dum eucharistia est permanens. «Commune hoc quidem est sanctissimae eucharistiae cum caeteris sacramentis symbolum esse rei sacrae, et invisibilis gratiae formam visibilem. Verum illud in ea excellens et singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur. At in eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est» [8].

3) Ratio theologica id evidenter probat. Sacramenta enim constituuntur rebus et verbis tanquam materia et forma. Res autem et verba, quibus eucharistia constituitur, sunt omnino diversa a rebus et verbis, quibus alia sacramenta constant.

---

1 *Joan.*, 6, 56-57.
2 *De fide catholica*, c. 1; **Denz-Bannw.**, 430.
3 *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.**, 698.
4 *Sess.* 7, can. 1; **Denz-Bannw.**, 844.
5 Cfr. **S. Ambrosius,** *De mysteriis*, 58; ML **16,** 426; et **S. Augustinus,** *Ep.* 98, 9; ML **33,** 364.
6 *III p.*, q. 73, a. 1.
7 *Sess.* 7, can. 1; **Denz-Bannw.**, 844.
8 *Sess.* 13, can. 3; **Denz-Bannw.**, 876.

ARTICULUS II

IN QUO CONSISTAT ESSENTIA SACRAMENTI EUCHARISTIAE

375. Status quaestionis. In eucharistia consideranda sunt consecratio, corpus et sanguis Christi, usus, et species sacramentales.

Investigandum est, quid horum habeat in eucharistia rationem sacramenti, seu quid sit in ea signum sensibile rei sacrae sanctificantis homines.

376. Error. Reformatores saeculi XVI defenderunt sacramentum eucharistiae essentialiter consistere in usu seu sumptione.

377. Placita theologorum. Ex catholicis alii essentiam hujus sacramenti reponunt in consecratione, alii in corpore et sanguine Christi, alii in corpore et sanguine Christi simul cum speciebus sacramentalibus, alii denique in solis speciebus.

378. THESIS. **Essentia sacramenti eucharistiae non consistit** 1) **in consecratione; neque** 2) **in usu seu sumptione; neque** 3) **in corpore et sanguine Christi; neque** 4) **in corpore et sanguine Christi simul cum speciebus sacramentalibus; sed** 5) **in solis speciebus sacramentalibus connotantibus in obliquo corpus et sanguinem Christi.**

Pars 1.ª Sacramentum eucharistiae non consistit essentialiter in consecratione. *Est contra Cajetanum* [1].

Consecratio enim est actio seu causa efficiens hujus sacramenti. Causa autem efficiens, utpote quid extrinsecum, nequit constituere essentialiter suum effectum. Unde concilium tridentinum satis innuit consecrationem non esse essentiam hujus sacramenti, cum ait: *Si quis dixerit peracta consecratione, in admirabili eucharistiae sacramento non esse corpus et sanguinem Domini Jesu Christi, a. s.* [2].

Pars 2.ª Non consistit in solo usu seu sumptione. *Contra novatores.*

Concilium tridentinum damnat eos, qui dicunt in sacramento eucharistiae esse corpus et sanguinem Christi «tantum *in usu*, dum sumitur, non autem ante vel post, et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt» [3].

Usus igitur seu sumptio eucharistiae non est nisi applicatio sacramenti.

Pars 3.ª Non consistit adaequate in solo corpore et sanguine Christi.

Ratio est, quia omne sacramentum, non excepta eucharistia, consistit in signo visibili rei sacrae. «Commune hoc quidem est sanctissimae

---

[1] *In III p.*, q. 63, a. 6.

[2] *Sess.* 13, can. 4; **Denz-Bannw.,** 886. Ex hoc pariter sequi videtur contra **Lugo,** *De eucharistia*, disp. 1, sect. 6, consecrationem non pertinere ad essentiam sacramenti eucharistiae tanquam partem constitutivam.

[3] *Sess.* 13, can. 4; **Denz-Bannw.,** 886.

eucharistiae cum caeteris sacramentis symbolum esse rei sacrae et invisibilis gratiae formam visibilem» [1]. Sed corpus et sanguis Christi in eucharistia non sunt signum et forma visibilis gratiae. Ergo.

Praeterea communiter SS. Patres ac theologi dicunt in sacramento eucharistiae *contineri* corpus et sanguinem Christi. Quod autem continetur in sacramento, non est sacramentum, sed sacramentum est quod significat rem sacram.

Pars 4.ª Non consistit in corpore et sanguine Christi simul et speciebus.

Nota. Plures theologi docent rationem essentialem sacramenti eucharistiae consistere in corpore et sanguine Christi simul et speciebus sacramentalibus in recto sumptis. Ita *Bellarminus, Valentia, Suarez, Vazquez,* et novissime *Pesch* [2].

Probabilior tamen videtur nostra sententia, quam defendunt *S. Thomas,* et thomistae generatim [3].

Arg. 1) *Algerus* olim diserte exposuit doctrinam hujus theseos dicens: «Formam panis et vini et caeteras elementorum remanentes et visibiles qualitates sacramentum tantummodo vere dici et esse; substantiam autem illam invisibilem, quae ipso sacramento operta est, et in quam panis et vini substantia translata est, vere et proprie dici et esse corpus Christi testatur Augustinus» [4].

2) *S. Thomas* ait: «In hoc sacramento tria considerare possumus, scilicet, id, quod est *sacramentum tantum,* quod est panis et vinum; et id, quod est *res et sacramentum,* scilicet corpus Christi verum; et id, quod est *res tantum,* scilicet effectus hujus sacramenti» [5].

3) Ratio id satis ostendit, quia corpus et sanguis Christi in eucharistia non habent proprie, nequidem mediantibus speciebus, rationem signi sensibilis rei sacrae.

Pars 5.ª Ratio essentialis sacramenti eucharistiae directe et adaequate consistit in solis speciebus sacramentalibus connotantibus in obliquo corpus et sanguinem Christi.

Est multo communior, ut recte animadvertit *Philippus a SS. Trinitate,* et probat *Gabriel a S. Vincentio* [6].

---

[1] *Sess.* 13, c. 3; **Denz-Bannw.,** 876.

[2] **Bellarminus,** *De eucharistia,* lib. 4, c. 6; **Valentia,** *In III p.,* disp. 6, q. 1, p. 3 «Est igitur tertia»; **Suarez,** *De sacramentis,* disp. 42, sect. 3; **Vazquez,** *In III p.,* disp. 167, c. 5; **Pesch,** *De eucharistia,* n. 766.

[3] **S. Thomas,** *III p.,* q. 73, a. 1 ad 2; et a. 6; *In IV Sent.,* dist. 10, in expositione textus. S. Doctorem sequuntur **Sotus,** *In IV Sent.,* dist. 8, q. un., a. 1, «His autem»; **Joannes a S. Thoma,** *De sacramento euch.,* disp. 26, a. 2, concl. 2; **Gonet,** *De eucharistia,* disp. 2, a. 1, concl. 3 et 4; **Philippus a SS. Trinit.,** *De S. eucharistiae sacramento,* disp. 1, dub. 5; **Salmanticenses morales,** *De sacram. eucharistiae,* c. 1, dub. 3; **Salmanticenses schol.,** *De eucharistiae sacramento,* disp. 2 n. 25; **Billuart,** *De almo euch. sacramento,* diss. 2, a. 1, § 2.

[4] *De sacramentis corporis et sanguinis dominici,* lib. 1, c. 5; ML **180,** 752.

[5] *III p.,* q. 73, a. 6.

[6] **Philippus a SS. Trinitate,** *De S. euch. sacram.,* disp. 1, dub. 6; **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramento eucharistiae,* disp. 1, q. 3.

Ratio fundamentalis est, quia solae species sacramentales, quatenus in obliquo connotant corpus et sanguinem Christi, sunt signum sensibile gratiae sanctificantis [1]. Ergo solae species connotantes in obliquo corpus et sanguinem Christi constituunt essentialiter sacramentum tantum eucharistiae.

379. Corollaria. 1) Sacramentum eucharistiae metaphysice definiri potest: *Signum sensibile rei sacrae sanctificantis homines per modum cibi.* Species enim sacramentales continentes corpus et sanguinem Christi significant et producunt gratiam, qua formaliter sanctificamur et pascimur. Physica hujus sacramenti definitio est: *Species panis et vini continentes vi verborum formae consecrationis corpus et sanguinem Christi.*

2) Non solum Christus, qui continetur in eucharistia, sed etiam ipsae species sacramentales, quatenus continent Christum, adorandae sunt cultu perfecto latriae, multo perfectius quam crux et imago Christi.

3) Aggregatum, quod fit ex speciebus sacramentalibus et corpore Christi, dicitur aliquando eucharistia, quatenus nomine eucharistiae venit res et sacramentum; sed sacramentum tantum sistit essentialiter in solis speciebus.

ARTICULUS III

UTRUM SACRAMENTUM EUCHARISTIAE SIT UNUM

380. Status quaestionis. 1) Sacramentum eucharistiae essentialiter constituitur gemina specie panis et vini, continentibus corpus et sanguinem Christi per modum cibi et potus spiritualis; et utraque species separatim sumitur. Hinc quaeritur, an species panis et vini sint duo sacramenta specifice diversa, vel unum essentialiter sacramentum in specie infima.

2) Unitas potest esse *materialis* seu *entitativa*, proveniens ex simplicitate, quae excludit compositionem; vel *formalis*, proveniens ex unitate morali, ut domus pluribus lapidibus, calce et lignis constans dicitur una, aut ex unitate significationis, ut compositum saepe significat aliquid unum.

3) Compertum est hoc sacramentum duplici specie sacramentali constare, et materialiter ac inadaequate esse duplex, sed quaeritur, an species sacramentales panis et vini continentes corpus et sanguinem Christi faciant unum sacramentum a) fundamentaliter, quatenus unum constituunt convivium; et b) formaliter, in quantum sunt unum signum gratiae cibantis.

381. Placita theologorum. Quidam veteres theologi dixerunt in eucharistia esse duplex sacramentum specifice distinctum, sed sententia, quae docet eucharistiam esse formaliter unum in specie atoma sacramentum, communis evasit, et hodie ab omnibus defenditur [2].

---

[1] Cfr. **Philippus a SS. Trinitate,** *De S. euch. sacram.*, disp. 1, dub. 6 ad 2.

[2] Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 73, a. 2; **Cajetanus,** *In III p.*, q. 73, a. 2; **Gabriel a S. Vincentio,** *De eucharistiae sacramento*, disp. 2, q. 1; **Philippus a SS. Trinitate,** *De S. eucharistiae sacramento*, disp. 1, dub. 7; **Salmanticenses,** *De eucharistiae sacramento*, disp. 2, n. 40; **Billuart,** *De almo eucharistiae sacramento*, diss. 2, a. 2, et alii.

382. THESIS. **Species panis et vini continentes corpus et sanguinem Christi sunt unum in specie infima sacramentum.**

Arg. 1) *Catechismus S. Pii V*, haec habet: «Licet autem duo sint elementa, panis scilicet et vinum, ex quibus integrum eucharistiae sacramentum conficitur, non tamen plura sacramenta, sed unum tantum esse, Ecclesiae auctoritate docti, confitemur» [1].

2) *S. Thomas:* «Hoc sacramentum multa quidem est materialiter, sed unum formaliter et perfective» [2]. Rursum: «Hoc sacramentum quodammodo est multa, simpliciter autem unum» [3].

3) Concilium tridentinum definiens septem esse sacramenta, et inter ea enumerans eucharistiam, satis innuit unum esse eucharistiae sacramentum.

4) Ratio est, quia species sacramentales panis et vini constituunt unum convivium, et simul sunt formaliter unum signum gratiae sanctificantis, quae in hoc sacramento homini confertur per modum epuli.

Corollaria. 1) Ex hoc sequitur rationem specificam integri sacramenti non in qualibet seorsim specie, sed in utraque simul salvari. «Cibatio spiritualis, ait ad rem *S. Thomas*, non significatur perfecte neque per panis tantum neque per vini tantum sumptionem, sed per utrumque simul, sicut est in significatione nominum compositorum» [4].

Certe hoc sacramentum habet rationem convivii spiritualis. Convivium autem non consistit in solis speciebus panis, quae vi verborum continent corpus Christi per modum cibi, neque in solis speciebus vini, quae continent sanguinem Christi per modum potus, sed consistit in utroque, scilicet in cibo et potu, qui repraesentantur in speciebus panis simul et vini continentibus corpus et sanguinem Christi.

Nec sufficit dicere sub qualibet earum specie revera contineri corpus et sanguinem Christi, quia hoc contingit per concomitantiam, et ad rationem signi seu sacramenti opus est, ut utrumque vi verborum contineatur.

2) Species sacramentales panis et vini, si seorsim considerentur, non constituunt integrum sacramentum, nec sunt partes homogeneae tenentes in se rationem totius, ut aqua divisa ab alia aqua tenet rationem totius aquae, sed sunt partes heterogeneae sibi invicem distinctae specie partiali in esse signi. Nulla earum significat integrum convivium, sed partem convivii, scilicet cibum vel potum [5].

3) Species tamen sacramentales panis et vini materialiter et improprie, quatenus sunt duae species partiales in genere sacramenti continentes partem convivii, dici solent plura sacramenta, secundum illud missalis romani: «in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt sacramenta» [6].

4) Fideles, qui recipiunt sacram communionem sub una tantum

---

1 *Part.* 2, c. 4, n. 10.
2 *III p.*, q. 73, a. 2.
3 *III p.*, q. 73, a. 2 ad 1.
4 *In IV Sent.*, dist. 8, q. 1, a. 1, quaest. 2 ad 2.
5 Cfr. **Salmanticenses,** *De eucharistiae sacramento*, disp. 2, n. 45.
6 Oratio post manuum purificationem.

specie, non recipiunt integrum sacramentum in ratione signi, bene tamen in ratione rei contentae, quae est Christus, et in ratione effectus, qui est gratia sanctificans per modum cibi.

383. Scholion. *De multiplicatione numerica sacramenti eucharistiae.*

1) Multo communius docent theologi unitatem sacramenti eucharistiae non esse adeo magnam, ut unum sit numerice sacramentum sub omnibus speciebus in Ecclesia Dei consecratis, sed plura esse numerice sacramenta sub speciebus, quae Romae, Parisiis et alibi consecrari contigerit [1]. Ratio est, quia oportet plura esse numero sacramenta, ubi plura sunt signa completa gratiae. Species autem sacramentales panis et vini, quae continent corpus et sanguinem Christi in diversis orbis partibus, sunt plura signa completa gratiae cibantis. Ergo sunt plura numero sacramenta [2].

2) Non conveniunt Doctores in adsignanda ratione, unde petenda sit unitas numerica sacramenti eucharistiae.

a) Plures volunt unitatem numericam hujus sacramenti desumendam esse «ex morali conjunctione specierum inter se, in ordine ad unam refectionem spiritualem completam» [3], adeo ut solum multiplicentur numero sacramenta, ubi adest moralis discontinuatio specierum in ordine ad diversam refectionem. Ita *Sotus*, *Philippus a SS. Trinitate*, *Salmanticenses morales* et alii [4].

b) Verius tamen crediderim unitatem et distinctionem numericam hujus sacramenti petendam esse a continuatione et discontinuatione physica specierum. Hanc sententiam defendunt *Vazquez*, *Gabriel a S. Vincentio*, *Salmanticenses scholastici*, et alii [5].

Ratio ad hoc affertur philosophica. Ut enim docet *S. Thomas*, quaedam sunt unum numero, quorum materia est una, signata quantitate, et accidentia sunt pariter numero una, quorum quantitas est una. Sed accidentium sacramentalium quantitas est una vel multiplex numero ex continuatione vel discontinuatione physica eorumdem accidentium. Ergo.

Ordo revera ad unam refectionem spiritualem, quem *Philippus a SS. Trinitate* et *Billuart* [6] requirunt ad moralem specierum conjunctionem, ut unitas numerica sacramenti conservetur, supponit unitatem numericam jam constitutam. Unde antecedenter ad hunc ordinem datur unitas vel distinctio numerica sacramenti eucharistiae.

---

[1] Conferendi sunt **Salmanticenses morales,** *De sacramento eucharistiae*, c. 2, dub. 2.

[2] Aliqui voluerunt unitatem numericam sacramenti eucharistiae petendam esse ab unitate corporis et sanguinis Christi, sed non sunt audiendi. In hac enim sententia non esset nisi unum numero sacramentum eucharistiae in tota Ecclesia.

[3] **Philippus a SS. Trinit.,** *De S. euch. sacramento*, disp. 1, dub. 9.

[4] **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 8, q. un., a. 2; **Philippus a SS. Trinit.,** *De S. eucharistiae sacramento*, disp. 1, dub. 9; **Salmanticenses morales,** *De sacramento eucharistiae*, c. 2, dub. 2, p. 2.

[5] **Vazquez,** *In III p.*, disp. 168, c. 2, n. 13; **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramento eucharistiae*, disp. 2, q. 3; **Salmanticenses schol.,** *De eucharistiae sacramento*, disp. 2, n. 58.

[6] **Philippus a SS. Trinit.,** *De S. euchar. sacramento*, disp. 1, dub. 9; **Billuart,** *De almo euch. sacramento*, diss. 2, a. 2.

QUAESTIO XIX

DE MATERIA SACRAMENTI EUCHARISTIAE

ARTICULUS UNICUS

QUAE SIT MATERIA REMOTA, EX QUA CONFICITUR SACRAMENTUM EUCHARISTIAE

384. Status quaestionis. In eucharistia vi verborum consecrationis una materia convertitur in corpus Christi et altera in sanguinem.

Cum ambae simul constituant materiam completam hujus sacramenti, de utraque simul agemus in genere, conditiones deinde utriusque singillatim explicaturi.

385. Errores. 1) Veteres quidam haeretici dixerunt materiam convertendam in corpus Christi esse panem et caseum, et vocati sunt *artotyritae*.

2) *Cataphrygae* et *pepusiani* docuerunt panem ad hoc sacramentum esse conficiendum ex farina et sanguine infantis.

3) *Encratitae*, aquarii et ebionitae dicuntur solam aquam adhibuisse in calice.

4) Recenter *Harnack* docuit veteres christianos indiscriminatim vinum aut aquam adhibuisse in eucharistia celebranda. Merito refutatus est a theologis catholicis.

386. THESIS. **Materia remota, ex qua conficitur eucharistia, est panis triticeus et vinum de vite.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Christus in ultima coena adhibuit panem et vinum in consecratione hujus sacramenti, ut constat ex Evangeliis et ex epistola ad corinthios [1]. Panem expresse nominavit Jesus. Vinum autem fuisse positum in calice probatur tum ex usu judaeorum in celebrando paschate, tum ex verbis, quae Christus statim protulit apud Matthaeum dicens: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis* [2].

2) *Ex conciliis.* Concilium *lateranense IV* expresse docet corpus et sanguinem Christi sub speciebus panis et vini in sacramento altaris veraciter contineri [3]. Concilium *florentinum* expressius ait: «Tertium est eucharistiae sacramentum cujus materia est panis triticeus et vinum de vite» [4]. Concilium *tridentinum* adserit substantiam panis et vini converti in corpus et sanguinem Christi [5].

3) *Ex catechismo romano:* «Nullus panis, nisi triticeus, apta ad sa-

---

1 Cfr. *Matth.*, 26, 26-27; *Luc.*, 22, 18; *I Cor.*, 11, 24-25.
2 *Matth.*, 26, 29.
3 Cap. *Firmiter;* **Denz-Bannw.,** 430.
4 *Decret. pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 698.
5 *Sess.* 13, c. 4; **Denz-Bannw.,** 877.

cramentum materia putandus est»; et altera materia «est... vinum ex vitis fructu expressum» [1].

4) *Ex ratione convenientiae.* Cum sacramentum eucharistiae habeat rationem convivii spiritualis, convenienter electa sunt pro ejus materia illa elementa, quae facilius inveniuntur et communius adhibentur in conviviis. Sed nihil facilius invenitur in mundo aut nihil communius adhibetur in conviviis quam panis et vinum. Ergo.

387. Corollarium. Certum est tum panem tum vinum posse separatim a ministro consecrari, et de facto sacerdos ea singillatim in altari consecrat. Hinc, si sacerdos, consecrato pane, nollet vel non posset vinum consecrare, sub speciebus panis Christus veraciter contineretur.

Cum tamen in utraque materia unum sacramentum Christus instituerit, adest praeceptum divinum, Ecclesiae auctoritate firmatum atque usu communi receptum, consecrandi utramque materiam [2], in quo Summus Pontifex non potest dispensare [3].

388. Scholia. I. **Quaestiones de pane.**

1) *Panis debet esse triticeus.* Hoc certe constat ex declarationibus conciliorum supra relatis. a) Unde certum est panem ex fructibus arborum et ex leguminibus confectum non esse aptum, sed ad validitatem panem fieri oportere «ex granis frumenti, quod nomen generatim significat semina ex plantis, quae habent culmen et aristas vel spicas» [4].

b) Quid veniat nomine panis triticei non certe constat inter auctores. *Biel* putavit omnem panem frumentaceum esse aptum ad consecrationem. Sed theologi communiter ei contradicunt, et docent solum panem ex tritico esse consecrationi idoneum. Secale, castanea, malum, hordeum, milium, oryza, farre, maizium, etc., sunt materia inepta ad consecrationem. Siligo vero aliaeque tritici species sunt materia valida.

Hinc panis certe triticeus est materia certe valida ac idonea; panis non ex tritico confectus, est materia certe inepta; et panis, de quo dubitatur sitne triticeus, est materia dubia.

2) *Oportet panem esse ex farina tritici et aqua naturali confectum et ad ignem subactum seu coctum.* Panis enim nomine, usu quotidiano venit alimentum, quod ex farina triticea et aqua naturali conficitur et ad ignem coquitur.

3) Quoad permixtionem alterius materiae haec habet Angelicus: «Modica permixtio non solvit speciem; quia id, quod est modicum, quodammodo absumitur a plurimo. Ideo, si sit modica admixtio alterius frumenti ad multo majorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui est materia hujus sacramenti. Si vero sit magna permixtio, puta ex aequo, vel quasi, talis permixtio speciem mutat. Unde panis exinde confectus non erit debita materia hujus sacramenti» [5].

4) Panis, tum azymus tum fermentatus, est materia apta, ut valide conficiatur eucharistiae sacramentum, ad liceitatem tamen requiritur,

---

[1] *Part.* 2, c. 4, nn. 13 et 15.
[2] *Codex Juris Canonici*, can. 814 et 817.
[3] Vide **Mancini,** *De sacramento eucharistiae*, q. 2, a. 4.
[4] **Pesch,** *De eucharistia*, n. 757.
[5] *III p.*, q. 74, a. 3 ad 3.

ut unusquisque proprium ritum servet, adeo ut sacerdos latinus in pane azymo et graecus in fermentato sacrum litare teneatur [1].

a) Utrumque esse materiam validam probat identitas utriusque panis, quia panis azymus et panis fermentatus non differunt specie.

b) Ad liceitatem vero proprium ritum servandum esse praecipit Ecclesia.

389. II. **Quaestiones de vino.**

1) Omne vinum de vite, dummodo sit verum vinum et non corruptum, est materia apta ad consecrationem. Hinc vinum rubrum et album, dulce et amarum, aliaque vina, quae accidentaliter differunt, possunt valide adhiberi ad celebrationem.

2) Mustum quoque, ex uvis maturis expressum, nondum fermentatum ac purificatum, est materia valida, non tamen licita extra necessitatem. «Mustum, ait *S. Thomas*, jam habet speciem vini... Et ideo de musto potest (valide) confici hoc sacramentum» [2].

3) Ecclesia saepe declaravit quam mixtionem alcohol seu spiritus vini admittere possit vinum pro celebratione, et prae oculis habenda est Sacrae Congregationis S. Officii instructio [3].

4) E contra, agresta, quae est in via generationis; acetum, quod est vinum corruptum; aqua vitae, quae vergit in alcohol; botrus uvae nondum expressus, qui non habet rationem vini nec liquoris; offa panis vino madefacta, quae non est potus; etc., non sunt materia valida ad missae celebrationem.

390. III. **Vino consecrando modicissima aqua miscenda est** [4], non de necessitate sacramenti, neque de praecepto divino, sed de praecepto Ecclesiae.

1) *Haec aquae mixtio non est de necessitate sacramenti*, quia, ut expresse ait Missale romanum, si celebrans ante consecrationem advertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, et proferat verba consecrationis. Si id advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, *quia non est de necessitate sacramenti* [5]. Id ipsum affirmat *S. Thomas* dicens: «Impositio aquae non est de necessitate sacramenti» [6].

2) *Non datur praeceptum divinum de miscenda aqua.* Est multo communior contra Alensem [7].

Sive Christus usum judaeorum sequutus vinum et aquam in calice posuerit, ut in *Liturgia S. Jacobi* adseritur [8], sive solum vinum apposuerit, ut *Waldensis* defendit [9], non datur praeceptum divinum miscen-

---

[1] *Codex Juris Canonici*, can. 816. Differentia utriusque Ecclesiae inde orta est, quod latini putant Christum primo die azymorum consecrasse panem azymum, dum graeci defendunt Christum ante dies azymorum consecrasse panem fermentatum.

[2] *III p.*, q. 74, a. 5.

[3] S. Off. 30 Jul. 1890; *Acta S. Sedis*, 23, 699; et 5 Aug. 1896; *Acta S. Sedis*, 29, 317.

[4] *Codex Juris Canonici*, can. 814.

[5] *De defect.*, c. 4, n. 7.

[6] *III p.*, q. 83, a. 6 ad 4.

[7] *IV p.*, q. 10, membro 4, a. 1, § 6.

[8] Cfr. **Maximilianus,** *Praelectiones de Liturgiis orientalibus*, t. 2, p. 36.

[9] *De sacramentis*, t. 3, c. 32, n. 9.

di aquam vino, quia, si Christus illam vino immisit, non praeceptum imponere sed ritum accidentalem observare voluit.

3) *Praeceptum tamen ecclesiasticum adest*, quo sub gravi tenentur sacerdotes modicissimam aquam vino consecrando miscere.

Hoc praeceptum primo editum apparet a concilio *carthaginensi III* (a. 397), can. 24. Saepius deinde repetitum est in conciliis. Concilium *florentinum* decrevit, ut sacerdotes armeni paululum aquae permiscerent vino [1]. Ac tandem concilium *tridentinum* haec declaravit: «Monet deinde sancta synodus *praeceptum esse ab Ecclesia* sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent» [2].

Ad rem apposite *S. Thomas:* «Vinum sine aqua potest consecrari, sed consecrans peccat graviter, si scienter omittat» [3].

Rationes congruentiae adducit Angelicus. a) Quia probabiliter «creditur, quod Dominus hoc sacramentum instituerit in vino aqua permixto, secundum morem illius terrae» [4]. b) Quia vinum et aquam ex latere Christi in passione profluxisse legitur [5].

4) *Haec aqua immittenda est vino in exigua quantitate.*

Omnia documenta ecclesiastica loquuntur *de modicissima aqua, de exigua aquae quantitate, de gutta aquae,* etc.

Quae quantitas sit apponenda, non facile definitur. Aliqui Doctores designant sextam vel octavam partem vini. Usus obtinuit, ut multo minor quam octava pars vini misceatur [6].

391. IV. **Ad valorem sacramenti oportet, ut materia consecranda sit sacerdoti praesens.**

Oportet enim, ut forma consecrationis verificetur in consecratione. Forma autem consecrationis exprimitur pronomine «hoc» vel «hic», cujus significatio non potest verificari, nisi materia sit praesens.

QUAESTIO XX

DE FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIAE

ARTICULUS I

UTRUM CHRISTUS IN ULTIMA COENA USUS FUERIT VERBIS AD PERAGENDAM CONSECRATIONEM PANIS ET VINI

392. Status quaestionis. Christus in ultima coena non solum instituit sacramentum eucharistiae, determinando materiam et formam ut partes essentiales hujus sacramenti, verum etiam consecravit panem et vinum, et sacramentum ministravit.

---

1 *Decret. pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 698.
2 *Sess.* 22, c. 7; **Denz-Bannw.,** 945.
3 *Ad Annibaldum*, lib. 4, dist. 11, q. un., a. 4.
4 *III p.*, q. 74, a. 6. Cfr. *Concil. trid., sess.* 23, c. 7; **Denz-Bannw.,** 945.
5 *III p.*, q. 74, a. 6.
6 Longe lateque disputarunt veteres theologi, quid fieret de aqua vino in ca-

Quaerendum est, an Christus in consecrandis pane et vino usus fuerit verbis.

Opinio singularis. 1) Veteres quidam theologi, ut *Catharinus* et alii pauci [1] dixerunt Christum in ultima coena consecrationem peregisse sola benedictione sine verbis, et deinde praescripsisse formam adhibendam a sacerdotibus.

2) *Erasmus* conquestus est, quod S. Paulus non tradiderit «nobis illa verba, quibus consecratus est panis a Christo» [2].

393. THESIS. **Christus iisdemet, quibus nos utimur, verbis consecravit eucharistiam.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Constat ex S. Scriptura Christum, accepto pane, dixisse: *Hoc est corpus meum:* et, accepto calice cum vino, protulisse haec verba: *Hic est enim sanguis meus* [3]. Ut autem innueret se his verbis panem et vinum consecrasse, et eadem in posterum adhibenda esse, adjunxit: *Hoc facite in meam commemorationem.*

2) *Ex SS. Patribus.* Tertullianus: «Acceptum panem et distributum discipulis corpus suum illum fecit: *Hoc est corpus meum* dicendo [4].

3) *Ex ratione congruentiae.* Christus Dominus in ultima coena simul ac consecravit panem et vinum, instituit eucharistiam atque determinavit formam sacramenti. Valde autem congruum fuit, ut, haec omnia simul efficiens, proferret eadem verba, quae in posterum constituerent formam sacramenti.

ARTICULUS II

QUAE VERBA ESSENTIALITER CONSTITUANT FORMAM EUCHARISTIAE

394. Status quaestionis. Ex superius dictis patet sacramenta novae legis constare verbis tanquam forma. Verba autem, quae in confectione sacramentorum proferuntur, alia sunt necessaria ad valorem, alia adduntur ad elegantiam sermonis.

Quaeritur hic, quae verba sint necessaria in panis et vini consecratione ad valorem sacramenti.

395. Opiniones. 1) Aliqui dixerunt omnia verba, quae constituunt *epiclesim*, orationem nempe, qua Deus invocatur, ut velit panem et vinum convertere, et in Liturgia romana incipit a verbis: *Quam oblationem tu,*

---

lice apposita; an scilicet remaneret simplex aqua, an immediate converteretur in sanguinem Christi, vel an immediate converteretur in vinum et mediate in sanguinem, etc., sed, ut scite animadvertit cl. **Van Noort,** *De sacramentis*, n. 390, hae quaestiones sunt antiquatae. Ex elementis quippe chimicis, quibus vinum componitur, unum est aqua, et modicissima illa aqua, quae vino miscetur, auget illud elementum praeexsistens. In consecratione autem totum vinum, quod diversis elemesntis constat, convertitur in sanguinem Christi.

1 **Catharinus,** *Opusculo misso ad Concilium tridentinum.*
2 *In adnot. in I Cor.*, c. 11.
3 *Matth.*, 26, 26-28.
4 *Adv. Marcionem*, 4, 40; ML **2**, 491.

Deus, et in Liturgiis orientalibus plerumque venit post verba: *Hoc est corpus meum;* et *Hic est sanguis meus* [1], pertinere ad essentiam formae consecrationis. Ita *Nicolaus Cabasilas*, metropolita thessalonicensis, saeculo XIV [2]; Marcus ephesinus, saeculo XV [3]. Etiam hodie in ecclesia russica sacerdotes consecrandi in episcopum debent emittere professionem, qua declaratur *epiclesim* pertinere ad integritatem formae. Hanc doctrinam aliquantulum temperatam docuerunt ex catholicis *Touttée*, *Renaudotius*, et alii pauci [4].

2) Alii voluerunt Verba: «Qui pridie quam pateretur» usque ad verba: «Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis», esse necessaria ad valorem sacramenti, non quidem ut partem formae, sed ut sacerdos procedat nomine Christi, et ut forma ex vi verborum significet id, quod efficit virtute sacramenti. Ita *Scotus* [5].

3) Sententia hodie communis docet formam pro consecratione panis esse: *Hoc est corpus meum.*

Pro consecratione vini plures requirunt integram formam, prout invenitur in missali romano, usque ad verba «remissionem peccatorum». Ita *Argentina, Bachonus, Capreolus, Philippus a SS. Trinitate, Salmanticenses morales, Salmanticenses scholastici*, et alii non pauci [6].

Alii plures defendunt verba: *Hic est sanguis meus;* vel: *Hic est calix sanguinis mei*, sufficere ad valorem sacramenti. Ita videtur tenuisse S. Thomas, quamvis de ejus mente non parum disputetur; et expresse docent *Alensis, S. Bonaventura, Victoria, Sotus, Valentia, Suarez, Vazquez, Gabriel a S. Vincentio*, et alii plurimi [7].

396. Thesis I. **Forma consecrationis panis continetur essentialiter his verbis: «Hoc est corpus meum».**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Constat ex sacris litteris Christum Dominum his verbis consecrasse eucharistiam [8]. Ergo his verbis continetur forma consecrationis. Unde Catechismus romanus ait: «A sanctis evangelistis Matthaeo et Luca, itemque ab Apostolo docemur illam esse formam: *Hoc est corpus meum*» [9].

2) Usus in Ecclesia tam graeca quam latina hanc doctrinam constanter tenuit, cum prolatis verbis: *Hoc est corpus meum*, sacramentum fidelium adorationi illico exponit.

Corollarium. Particula *enim*, quae invenitur in missali romano, so-

---

[1] Vide in Liturgia S. Joannis Chrysostomi epiclesim post consecrationem, apud **Maximilianum,** *Praelectiones de liturgiis orientalibus*, t. 2, p. 259.

[2] *Sacrae liturgiae interpretatio*, c. 29; MG **150,** 428 sqq.

[3] *Lib. De verbis consecrationis;* MG **160,** 1080 sqq.

[4] **Touttée,** *Proleg. ad opera Cyrilli hierosolimitani;* MG **33,** 278 sqq.; **Renaudotius,** *Liturgiarum orientalium collectio*, lib. 1, p. 1, c. 4, a. 8.

[5] *In IV Sent.*, dist. 8, q. 2, § «De secundo dico»; et § «De isto».

[6] **Argentina,** *In IV Sent.*, dist. 8, q. 1, a. 2; **Bachonus,** *In IV Sent.*, dist. 8, q. 3, a. 2; **Capreolus,** *In IV Sent.*, dist. 8, q. 1, a. 3, ad arg. contra 6 conclusionem; **Philippus a SS. Trinitate,** *De S. eucharistiae sacramento*, disp. 6, dub. 4; **Salmanticenses morales,** *De sacramento eucharistiae*, c. 5, p. 2; **Salmanticenses schol.,** *De eucharistiae sacramento*, disp. 9, n. 21.

[7] **S. Thomas,** *III p.*, q. 78, a. 1; **Alensis,** *IV p.*, q. 10, m. 4, a. 2; **S. Bonaventura,** *In IV Sent.*, dist. 8, p. 2, q. 2; **Victoria,** *Summa de eucharistia*, n. 74; **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 11, q. 1, a. 3; **Valentia,** *In III p.*, disp. 6, q. 6, p. 1; **Suarez,** *De sacramentis*, disp. 60, sect. 1; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 198, c. 3; **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramento eucharistiae*, disp. 12, q. 2.

[8] Cfr. *Matth.*, 26, 26; et *I Cor.*, 11, 24.

[9] *Part.* 2, c. 4, n. 19.

lum ponitur ad designandam continuationem sermonis Christi, non ut pars essentialis formae.

397. THESIS II. **Probabilius sola verba: «Hic est sanguis meus»; vel «Hic est calix sanguinis mei,» sunt essentialia in forma consecrationis vini.**

Arg. 1) Angelicus Doctor hoc satis clare expressisse videtur, cum ait: «Forma hujus sacramenti importat solam consecrationem materiae, quae in transsubstantiatione consistit, puta cum dicitur: *Hoc est corpus meum;* vel: *Hic est calix sanguinis mei*» [1]. Unde S. Thomas, cum adserit sequentia verba esse *de substantia formae,* interpretandus videtur cum *Soto, Billuart* et aliis [2], dicendo illa verba esse, non de essentia formae, sed de substantia, id est, de integritate formae et locutionis, ita tamen, ut sine illis consecratio fieri possit.

2) In aliquibus liturgiis graecis sola verba: *Hic est sanguis meus,* inveniuntur. Nequit autem dici in liturgiis ab Ecclesia approbatis aliquid essentiale in forma consecrationis desiderari.

3) Ad essentiam formae consecrationis sufficiunt illa verba, quae significant praesentiam Christi sub speciebus vini. Sed quatuor illa verba: *Hic est sanguis meus* significant praesentiam Christi sub specie vini. Ergo.

398. Corollarium. Ad liceitatem consecrationis apud latinos requiritur integra forma, prout in missali romano prostat, et his verbis exprimitur: *Hic est calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Fere eadem formula habetur in liturgia S. Jacobi [3], et in liturgia S. Joannis Chrysostomi [4], brevior autem in liturgia clementina [5].

399. Scholion I. *Quem sensum habeat epiclesis.*

Diximus superius *epiclesim* seu orationem, qua Dominum rogamus, ut panem altari superpositum in corpus et sanguinem Christi convertere dignetur, plerumque apud latinos ante consecrationem et apud orientales post consecrationem recitari.

Transsubstantiatio non verbis epiclesis sed Domini verbis, quae in forma proferuntur, efficitur, ut satis probatum est [6].

Si haec epiclesis ante consecrationem recitetur, ut fit in liturgia romana, nulla offertur difficultas circa ejus sensum. Est quaedam praeparatio ad consecrationem, et per eam bene petitur a Deo, ut paulo post fiat panis et vini transsubstantiatio.

---

[1] *III p.*, q. 78, a. 1.

[2] **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 11, p. 1, a. 3; **Billuart,** *De almo eucharistiae sacramento*, diss. 5, a. 3, § 2.

[3] **Maximilianus,** *Praelectiones de Liturgiis orientalibus*, t. 2, p. 36.

[4] **Maximilianus,** *Praelectiones de Liturgiis orientalibus*, t. 2, p. 250.

[5] **Maximilianus,** *Praelectiones de Liturgiis orientalibus*, t. 2, p. 14.

[6] Pius X ep. «Ex quo» ad archiepiscopos Delegatos Apostolicos Byzantii, in Graecia, in Aegypto, in Mesopotamia, in Persia, in Syria et in Indiis orientalibus, 26 Dec. 1910, declaravit epiclesim non requiri ad consecrationem. *Acta Ap. Sedis*, 1911, 119.

Si post consecrationem recitetur, ut plerumque fit apud orientales, cum jam facta fuerit transsubstantiatio, ad quid rogatur Deus, ut transsubstantiationem efficere velit?

Duplicem ob finem videntur orientales epiclesim post consecrationem panis et vini pronuntiare: 1) Ut fidelem populum de peracto mysterio latius instruant. Cum nequeant omnia inter consecrandum pronuntiare, epiclesim recitant post consecrationem, mente se transferentes ad illud tempus, quo facta est transsubstantiatio. 2) Ut Dominus velit panem et vinum esse *ipsis fidelibus* corpus et sanguinem Christi, id est, antidotum, non animi perniciem [1].

ARTICULUS III

AN VERBA CONSECRATIONIS PROFERANTUR A SACERDOTE RECITATIVE VEL SIGNIFICATIVE

400. Status quaestionis. Proferimus verba recitative, quando per modum narrationis referimus aliorum dicta, ut ex evangelistis narramus plurima verba a Christo pronuntiata. Proferimus verba significative, quando ea pronuntiamus, volendo eorum significationem affirmare. Utroque etiam modo non semel verba proferimus, quando aliorum dicta narramus, volendo eorum significationem affirmare.

Disputatur hic, quomodo sacerdos pronuntiet verba consecrationis.

401. Opiniones. 1) Aliqui veteres, ut *Ambrosius Catharinus* [2], dixerunt sacerdotem proferre verba consecrationis solum recitative; dum alii, ut *Biel, Vazquez,* et alii [3], contendunt ea pronuntiare solum significative.

2) Alii multo communius volunt formam consecrationis a sacerdote proferri utroque modo, scilicet recitative et significative. Ita *Philippus a SS. Trinitate, Gabriel a S. Vicentio, Salmanticenses morales, Gonet, Salmanticenses scholastici* et alii [4].

402. THESIS. **Verba consecrationis eucharistiae proferuntur a sacerdote utroque modo, recitative scilicet et significative.**

Pars 1.ª Proferuntur recitative.

Sacerdos repetit verba consecrationis tanquam a Christo prius dicta. Ait enim: «Qui (Christus), pridie quam pateretur, accepit panem..., benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite et manducate ex hoc omnes: *Hoc est enim corpus meum*». Similiter de calice. Ergo sacerdos profert haec verba recitative.

---

[1] Cfr. explicationes graecorum in concilio florentino, **Mansi,** 31, 1006; et **Franzelin,** *De eucharistia,* th. 7, p. 82 (ed. 4).

[2] *Opusc. de verbis consacrationis.*

[3] **Biel,** *In canonem-missae,* lect. 48; **Vazquez,** *In III p.,* disp. 200, c. 2. **Philippus a SS. Trinitate,** *De S. eucharistiae sacramento,* disp. 6, dub. 5; **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramento eucharistiae,* disp. 12, q. 3; **Salmanticenses morales,** *De sacramento eucharistiae,* c. 5, p. 3; **Gonet,** *De sacramento euch.,* disp. 7, a. 4; **Salmanticenses schol.,** *De eucharistiae sacramento,* disp. 9, n. 51.

[4] *Missale romanum,* in canone ante consecrationem.

Pars 2.ª Proferuntur pariter significative.

Sacerdos personam Christi gerens, active et instrumentaliter, pronuntiat et applicat verba consecrationis ad materiam praesentem, ut perficiat sacramentum, et per hoc fit minister consecrans. Ergo profert illa verba significative.

Verba consecrationis sic a sacerdote prolata habent virtutem instrumentalem fluidam, et effective instrumentaliter causant conversionem panis et vini, quatenus significant, et efficiunt, quod significant [1].

QUAESTIO XXI

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI EUCHARISTIAE

ARTICULUS UNICUS

QUI SINT EFFECTUS SACRAMENTI EUCHARISTIAE

403. Loquimur de effectibus eucharistiae, ut est sacramentum, non ut est sacrificium.

Plures numerantur hujusmodi effectus. Praecipuos breviter expendemus.

404. I. *Principalis effectus sacramenti eucharistiae est augmentum gratiae habitualis cibantis et unientis nos cum Christo caritate habituali et actuali.*

Arg. 1) Argumenta generalia, quibus probavimus omnia sacramenta novae legis conferre gratiam non ponentibus obicem, valent a fortiori pro eucharistia, quae est praestantissimum Ecclesiae sacramentum. Unde *Angelicus* ait ad rem: «Omnium sacramentorum effectus huic sacramento possunt adscribi, in quantum perfectio est omnis sacramenti, habens quasi in capitulo et summa, quae alia sacramenta continent singillatim» [2].

2) *Ex concilio florentino.* Concilium florentinum haec habet: «Hujus sacramenti (eucharistiae) effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur et membris ejus unitur, consequens est, quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur» [3].

3) *Angelicus Doctor:* «Restat igitur, ut cum sacramentum realiter sumitur, quod gratia augeatur, et vita spiritualis perficiatur» [4].

Scholion. Sacramentum eucharistiae traditur homini per modum cibi et potus, et modus characteristicus gratiae, quam eucharistia confert, consistit in eo, quod animam conjungat Christo per caritatem tum habitualem tum actualem.

---

[1] Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 78, a. 4.
[2] *In IV Sent.*, dist. 8, q. 1, a. 2, solut. 2 ad 4.
[3] *Decret. pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 698.
[4] *III p.*, q. 79, a. 1 ad 1.

Hoc sacramentum, ut egregie ait S. Thomas, *traditur per modum cibi et potus*. «Et ideo omnem effectum, quem cibus et potus materialis facit quantum ad vitam corporalem, quod scilicet sustentat, auget, reparat, et delectat; hoc totum facit hoc sacramentum, quantum ad vitam spiritualem» [1].

Ex hoc ipso, quod eucharistia traditur nobis per modum cibi et potus, aliter per hoc sacramentum augetur gratia et perficitur vita spiritualis, «quam per sacramentum confirmationis, in quo augetur et perficitur gratia ad persistendum contra exteriores impugnationes inimicorum Christi. Per hoc sacramentum augetur gratia et perficitur spiritualis vita ad hoc, quod homo in se ipso perfectus exsistat per conjunctionem ad Deum» [2].

Hinc optime explicatur, quomodo Christus docuerit vitam ex hac manducatione pendere dicens: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me* [3], vita scilicet spirituali, quam confert alimentum spirituale et gratia cibans.

Christo nos conjungit per caritatem habitualem et actualem. Haec unio non est proprie physica cum corpore Christi, ut aliqui minus recte dixerunt, quia corpus Christi in hoc sacramento est per modum substantiae; neque est tantum sacramentalis, quae competit pariter indigne sumentibus, sed est mystica et affectiva voluntatum per caritatem habitualem et actualem.

Hoc patet ex concilio florentino, quod ait: «Hujus sacramenti effectus... est adunatio hominis ad Christum» [4]. Praeiverat *S. Thomas* dicens: «Hoc sacramentum confert gratiam spiritualiter cum virtute caritatis» [5].

Haec caritas, quatenus est habitualis, augetur in nobis per majorem radicationem in voluntate, qua fit, ut voluntas magis adhaereat Deo; et quatenus est actualis, excitat voluntatem, ut actus ferventiores amoris eliciat.

Imo nos transformat in Christum, quatenus nos facit intrare in Christum, ut nihil ejus remaneat nobis non unitum. Unde S. Augustino videbatur sibi a Christo dictum: «Cibus sum grandium, cresce, et manducabis me; nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me» [6].

405. II. *Quando eucharistia producat augmentum gratiae.*

Quamvis diversi diversimode rem explicent ac defendant, multo probabilius mihi videtur sacramentum eucharistiae producere gratiam eo momento, quo verum est species sacramentales manducatas esse, seu ad stomachum pervenisse [7].

---

[1] *III p.*, q. 79, a. 1. Haec Angelici verba quasi ad litteram transcripsit concilium florentinum in *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 698.

[2] **S. Thomas,** *III p.*, q. 79, a. 1 ad 1.

[3] *Joan.*, 6, 58.

[4] *Decret. pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 698.

[5] *III p.*, q. 79, a. 1 ad 2.

[6] *Confess.*, lib. 7, c. 10, n. 16; ML **32,** 742.

[7] Cfr. **Philippus a SS. Trinitate,** *De S. eucharistiae sacramento*, disp. 7, dub. 6; **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramento eucharistiae*, disp. 13, q. 1; **Salmanticenses**

Ratio est, quia eucharistia est cibus et potus spiritualis. Sicut ergo cibus et potus materiales non producunt suum effectum, quousque deglutiantur, ita pariter species sacramentales non producunt gratiam, quousque vere dicantur manducari. Unde Christus ait: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam* [1]. Manducare autem et bibere non est ore tantum sumere cibum aut dentibus terere, ut minus recte docuisse videtur *Becanus* [2], neque cibum per guttur diffluere, ut aliis placuit, sed cibum in stomachum recipere.

406. III. *Disputatur, an species sacramentales producant gratiam toto tempore, quo incorruptae manent in stomacho.*

1) Prima sententia docet eucharistiam producere gratiam ex opere operato, quandiu species manent incorruptae in stomacho, etiam sine nova dispositione subjecti juxta Cajetanum [3], vel accedente nova dispositione, juxta Suarezium, Gabrielem a S. Vincentio, Lugonem et alios [4].

2) Secunda sententia defendit eucharistiam producere gratiam ex opere operato in primo tantum instanti, quo species sacramentales attingunt stomachum; deinde vero, quandiu manent species in stomacho posse producere augmentum gratiae ex opere operantis, quoties accedit nova animae dispositio. Ita *S. Thomas* [5], et innumeri theologi [6].

Haec secunda sententia magis mihi probatur.

Pars 1.ª Species sacramentales non producunt gratiam ex opere operato toto tempore, quo remanent integrae in stomacho.

1) *S. Thomas* ait: «Maxima devotio requiritur in ipsa sumptione hujus sacramenti, quia tunc percipitur sacramenti effectus. Quae quidem devotio magis impeditur per praecedentia, quam per sequentia. Et ideo magis est institutum, quod homines jejunent ante sumptionem hujus sacramenti, quam post» [7].

2) Ratio theologica hoc suadet, quia eucharistia confert gratiam manducantibus aut bibentibus. Sed fideles non manducant nec bibunt toto tempore, quo species sacramentales perseverant in stomacho. Ergo.

Pars 2.ª Non producunt gratiam ex opere operato tempore sequenti ad manducationem, quamvis accedat nova dispositio.

Ratio videtur clara, quia ad productionem gratiae ex opere operato requiritur susceptio sacramenti. Qui autem se communicavit ac recepit

---

morales, *De sacramento eucharistiae*, c. 6, p. 1; **Salmanticenses schol.,** *De eucharistiae sacramento*, disp. 10, n. 23.

[1] *Joan.*, 6, 55.

[2] *De eucharistia*, c. 22, q. 6, n. 2.

[3] *In III p.*, q. 79, a. 1 «Secundo igitur».

[4] **Suarez,** *De sacramentis*, disp. 63, sect. 7; **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramento eucharistiae*, disp. 13, q. 1; **Lugo,** *De eucharistia*, disp. 12, sect. 2, nn. 46 sqq.

[5] *III p.*, q. 80, a. 8 ad 4.

[6] Cfr. **Philippus a SS. Trinitate,** *De S. eucharistiae sacramento*, disp. 7, dub. 6; **Salmanticenses,** *De eucharistiae sacramento*, disp. 10, n. 27.

[7] *III p.*, q. 80, a. 8 ad 6.

gratiam sacramenti, quamvis renovet dispositionem, non de novo suscipit sacramentum. Ergo.

Pars 3.ª Species sacramentales, dum incorruptae manent in stomacho, possunt producere gratiam ex opere operantis, si accedat nova dispositio subjecti.

Species sacramentales manentes in stomacho sunt saepe motivum novae devotionis et amoris, cui correspondet augmentum gratiae. Ergo ex opere operantis producunt augmentum gratiae, si dispositio renovetur.

407. IV. *Eucharistia non producit per se primam gratiam, bene tamen aliquando per accidens.*

Pars 1.ª Per se non producit primam gratiam.

Est contra Lutherum, qui de hoc sacramento ajebat: «Est enim testamentum hoc Christi medicina unica praeteritorum, praesentium et futurorum peccatorum» [1].

Arg. 1) Concilium tridentinum definivit: *Si quis dixerit vel praecipuum fructum sanctissimae eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, a. s.* [2].

2) Huc veniunt effata S. Scripturae, in quibus dicitur sanctum non esse dandum canibus [3]; illum, qui manducaverit hunc panem indigne, reum esse corporis et sanguinis Domini [4]; etc. Indigne autem manducat panem hunc juxta concilium tridentinum, qui, habita copia confessarii, accedit ad sacram communionem cum conscientia peccati mortalis sine praevia confessione [5].

3) *S. Justinus* ajebat: «Hoc alimentum apud nos appellatur eucharistia, cujus nemini alii participare licitum est, nisi qui credat vera esse, quae docemus, atque illo ad remissionem peccatorum et regenerationem lavacro ablutus fuerit, et ita vivat, ut Christus tradidit» [6].

4) In liturgia clementina episcopus [7], in liturgiis S. Jacobi et S. Joannis Chrysostomi sacerdos [8], ante distributionem eucharistiae coram populo clamat: *Sancta sanctis.*

Pars 2.ª Eucharistia producit primam gratiam aliquando per accidens.

Nota. Hanc doctrinam inficiati sunt *Vazquez, Lugo,* et alii [9], sed *S. Thomas,* quem sequuntur *Bellarminus, Salmanticenses, S. Alphonsus M. de Li-*

---

[1] *De captiv. babyl. Ecclesiae,* «De sacramento altaris», § *Ut autem.* Doctrinae Lutheri aperte contradicit **Melanchthon,** *Confessio doctrinae «cclesiarum,* C. «De coena Domini».

[2] *Sess.* 13, can. 5; **Denz-Bannw.,** 887.

[3] *Matth.,* 7, 6.

[4] *I Cor.,* 11, 27.

[5] *Sess.* 13, can. 11; **Denz-Bannw.,** 893.

[6] *Apologia,* 1, n. 66; MG **6,** 428.

[7] *Liturgia clementina;* **Maximilianus,** *Praelectiones de Liturgiis orientalibus,* t. 2, p. 16.

[8] **Maximilianus,** *Praelectiones de Liturgiis orientalibus,* t. 2, p. 40 et 266.

[9] **Vazquez,** *In III p.,* disp. 205, c. 4; **Lugo,** *De eucharistia,* disp. 12, sect. 1.

gorio, et alii multo communius [1], docet peccatorem, qui non est conscius peccati mortalis et habet attritionem supernaturalem, si devote accedat ad hoc sacramentum, accipere remissionem peccatorum et primam gratiam.

1) «Potest hoc sacramentum, ait *S. Thomas*, operari remissionem peccati dupliciter. Uno modo, non perceptum actu, sed voto, sicut cum quis primo justificatur a peccato. Alio modo, etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cujus conscientiam et affectum non habet. Forte enim primo non fuit sufficienter contritus; sed devote et reverenter accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam caritatis, quae contritionem perficiet et remissionem peccati» [2].

2) Ratio hoc suadet. Omnia siquidem sacramenta novae legis conferunt gratiam non ponentibus obicem. Peccator autem, qui non est conscius peccati mortalis, si habeat attritionem supernaturalem, non ponit obicem gratiae. Ergo, sicut sacramenta mortuorum aliquando producunt secundam gratiam per accidens, ita sacramenta vivorum, praesertim eucharistia, conferunt primam gratiam aliquando per accidens.

408. V. *Gratia sacramentalis eucharistiae non causatur directe a corpore et sanguine Christi, sed a speciebus sacramentalibus elevatis in earum usu ad rationem causae instrumentalis per virtutem fluentem et incompletam provenientem a corpore et sanguine Christi.* Ita thomistae communius.

1) Eucharistia, quatenus est sacramentum, instrumentaliter producit gratiam. Sed species sacramentales, non autem corpus et sanguis Christi, sunt sacramentum eucharistiae, ut probavimus supra. Ergo.

2) Sacramenta novae legis, utpote instrumenta Dei, causant gratiam, quatenus recipiunt virtutem causae principalis fluentem ac incompletam. Unde species sacramentales non ex se sed virtute Dei producunt gratiam. «Sicut autem se habet virtus Spiritus Sancti ad aquam baptismi, ita se habet corpus Christi verum ad species panis et vini. Unde species panis et vini non efficiunt aliquid nisi virtute corporis Christi veri» [3], «in quantum virtus instrumentalis, qua hoc sacramentum agit, provenit a corpore et sanguine Christi exsistentibus sub hoc sacramento» [4].

409. VI. *An qui suscipit eucharistiam sub utraque specie, recipiat plus gratiae, quam qui suscipit eam sub una tantum specie.*

Sententiam negativam tenent *Cajetanus, Sotus, Bellarminus, Suarez*, et alii [5]. Affirmativam defendunt *Alensis, Vazquez, Philippus a SS. Trinitate, Salmanticenses*, et alii [6].

---

[1] **S. Thomas,** *III p.*, q. 79, a. 3; **Bellarminus,** *De sacramentis*, lib. 4, c. 18; **Salmanticenses,** *De eucharistiae sacramento*, disp. 10, n. 3; **S. Alphonsus M. de Ligorio,** lib. 6, n. 269.

[2] *III p.*, q. 79, a. 3.

[3] **S. Thomas,** *III p.*, q. 73, a. 1 ad 2.

[4] **Philippus a SS. Trinitate,** *De S. eucharistiae sacramento*, disp. 7, dub. 7 ad 1.

[5] **Cajetanus,** *In III p.*, q. 80, a. 12, q. de communione sub utraque specie; **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 12, q. 1, a. 12, «Postremum argumentum»; **Bellarminus,** *De eucharistia*, lib. 4, c. 23; **Suarez,** *De sacramentis*, disp. 63, sect. 6, nn. 8 sqq.

[6] **Alensis,** *IV p.*, q. 11, membro 2, a. 4, § 3; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 215, c. 2; **Lugo,** *De eucharistia*, disp. 12, sect. 3; **Philippus a SS. Trinitate,** *De S. eucharistiae*

Utraque sententia est probabilis. Quaestio, utpote pure speculativa, non est tanti momenti, ut in aliis materiis exponendis nos retardet.

410. VII. *Eucharistia remittit peccata venialia.*

1) Concilium tridentinum nos hortatur, ut hoc sacramentum sumamus «tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur» [1].

2) Ratio theologica probat eucharistiam dupliciter remittere peccata venialia. Primo, quatenus est sacramentum habens rationem cibi spiritualiter animam nutrientis. Nutriendo enim animam, restaurat, quod per peccata venialia deperditum est. Secundo, quatenus excitat fervorem caritatis, quo peccata venialia solvuntur. Unde *S. Thomas:* «Peccata venialia, etsi non contrariantur caritati quantum ad habitum, contrariantur tamen ei quantum ad fervorem actus, qui excitatur per hoc sacramentum, ratione cujus peccata venialia tolluntur» [2].

Imo eucharistia poenam peccatis debitam remittit, non solum in quantum est sacrificium, quod est ex se magis vel minus satisfactorium secundum affectum offerentis, sed etiam, quatenus est sacramentum, quia, ut dicit *S. Thomas*, hoc sacramentum institutum est «ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum et ad membra ejus; sicut et nutrimentum unitur nutrito. Sed quia haec unitas fit per caritatem, ex cujus fervore aliquis consequitur remissionem non solum culpae sed etiam poenae, inde est, quod ex consequenti per quamdam concomitantiam ad principalem effectum, homo consequitur remissionem poenae, non quidem totius, sed secundum modum suae devotionis et fervoris» [3].

Praeservat etiam hominem a peccatis futuris, tum quia roborat animam in vita spirituali; tum quia expellit hostium insidias. Unde *S. Ignatius M.* hortabatur ephesios, ut frangerent «panem unum (eucharistiam), qui pharmachum immortalitatis est, antidotum, ne moriamur, sed vivamus semper in Jesu Christo» [4].

QUAESTIO XXII

DE NECESSITATE SACRAMENTI EUCHARISTIAE

ARTICULUS I

UTRUM EUCHARISTIA SIT NECESSARIA NECESSITATE MEDII AD SALUTEM

411. Status quaestionis. 1) Dupliciter dicitur aliquid esse necessarium ad salutem, id est, necessitate medii et necessitate praecepti. Illud est necessarium necessitate medii ad salutem, sine quo, quamvis

sacramento, disp. 7, dub. 4; **Salmanticenses,** *De eucharistiae sacramento*, disp. 7, n. 52.

[1] *Sess.* 13, c. 2; **Denz-Bannw.,** 875.

[2] *III p.*, q. 79, a. 4 ad 1.

[3] *III p.*, q. 79, a. 5.

[4] *Ep. ad ephesios*, 20, 2; MG **5,** 661.

involuntarie omittatur, salus obtineri non potest, ut baptismus pro infantibus. Necessarium vero necessitate praecepti est, quod ita praeceptum est, ut, si voluntarie omittatur, sit peccatum et obstaculum salvationi, sed, si involuntarie omittatur, non sit peccatum nisi ad summum materiale, et nihil obstet saluti, ut jejunium certis anni diebus.

2) Aliquid potest esse necessarium necessitate medii ad salutem in re, ut gratia sanctificans; aliquid in re vel in voto, ut confessio sacramentalis post peccatum.

3) Potest aliquid esse necessarium in voto explicito, et aliquid in voto implicito, quatenus aliquid in se formaliter vel in aliis virtualiter desideratur.

412. Errores. 1) Gravissimus *Thomas Waldensis* [1] refert quosdam haereticos armenos docuisse sacram communionem re susceptam esse omnibus etiam parvulis ad salutem necessariam.

2) Nonnulli graeci schismatici, ut *Nicolaus Cabasilas, Simeon thessalonicensis* [2], et plures calvinistae eamdem doctrinam tenuerunt.

3) Rosminii propositio 32 sic se habet: «Quoniam, qui non manducat carnem Filii hominis et bibit ejus sanguinem, non habet vitam in se (*Joan.*, 6,54), et nihilominus, qui moriuntur cum baptismate aquae, sanguinis aut desiderii, certo consequuntur vitam aeternam, dicendum est, his, qui in hac vita non comederunt corpus et sanguinem Christi, subministrari hunc caelestem cibum in futura vita, ipso mortis instanti. Hinc etiam sanctis veteris testamenti potuit Christus descendens ad inferos se ipsum communicare sub speciebus panis et vini, ut aptos redderet ad visionem Dei» [3].

413. Thesis I. **Eucharistia re suscepta non est necessaria necessitate medii ad salutem.**

Arg. 1) *S. Augustinus* ait: «Si (parvulus), percepto baptismate, de hac vita emigraverit, soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommunicabiliter manens in aeternum justificatos praesentia Creatoris illuminat» [4].

2) Omnes, qui decedunt in statu gratiae, vitam aeternam certe consequentur. Sed plures decedunt in statu gratiae. quin revera sacramento eucharistiae refecti fuerint. Ergo. Hinc *S. Thomas* docet eucharistiae perceptionem esse necessariam ad perfectionem vitae spiritualis, «non ad hoc quod simpliciter (vita spiritualis) habeatur» [5].

3) Parvuli, qui, suscepto baptismo, antequam eucharistia reficiantur, moriuntur, certissime salvi fiunt. Unde concilium tridentinum edidit hunc canonem: *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse eucharistiae communionem, a. s.* [6].

4) Eucharistia, ordinarie loquendo, supponit gratiam sanctifican-

---

1 *De sacramentis*, t. 2, c. 91, Aliqui hanc Waldensis imputationem negant.

2 **Cabasilas,** *De vita in Christo*, lib. 4; MG **150,** 597 sqq.; **Simeon thessalonicensis,** *De sacramentis*, c. 69; MG **155,** 235.

3 *Prop.* 32; **Denz-Bannw.,** 1922. Haec propositio damnata est decreto S. Officii, die 14 Dec. 1887.

4 *De peccat. mer. et remis.*, c. 19; ML **44,** 123.

5 *III p.*, q. 73, a. 3.

6 *Sess.* 21, can. 4; **Denz-Bannw.,** 937.

tem in subjecto. Qui autem habet gratiam sanctificantem in anima, aptus est ad salutem. Ergo plures sunt apti ad salutem, antequam eucharistiam suscipiant.

Verba autem Domini: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* [1], licet contineant praeceptum divinum, non innuunt necessitatem medii ad salutem.

414. THESIS II. **Sacramentum eucharistiae in voto non explicito et proprie dicto, sed implicito et improprio, est necessarium necessitate medii ad salutem.**

Arg. 1) *S. Thomas* expresse tradit hanc doctrinam dicens: «Duplex est modus percipiendi hoc sacramentum, scilicet spiritualis et sacramentalis. Manifestum est autem, quod omnes tenentur saltem spiritualiter manducare, quia hoc est incorporari, ut supra dictum est. Spiritualis autem manducatio includit votum seu desiderium percipiendi hoc sacramentum, ut supra dictum est. Et ideo *sine voto percipiendi hoc sacramentum non potest homini esse salus*. Frustra autem esset votum, nisi impleretur, quando opportunitas adesset» [2].

Hoc votum aliquando esse implicitum docet alibi, dicens: «Ex intentione Ecclesiae desiderant (parvuli) eucharistiam, et per consequens recipiunt rem ipsius» [3].

2) Eucharistia est finis aliorum sacramentorum, adeo ut, qui velit baptizari, velit etiam eucharistia refici. Sed votum baptismi est necessarium ad salutem. Ergo etiam votum eucharistiae est ad id necessarium.

3) Necessarium est ad salutem votum adimplendi praecepta divina. Sed adest praeceptum divinum recipiendi eucharistiam, ut postea dicemus. Ergo.

415. Scholion. Plures iique graves theologi docuerunt sacramentum eucharistiae nec in re nec in voto esse necessarium necessitate medii ad primam salutem, quae est gratia. Ita *Alensis, Durandus, Vazquez, Suarez, Lugo*, et alii [4].

Alii tamen melius tenent sacramentum eucharistiae in voto saltem implicito esse necessarium necessitate medii etiam ad primam salutem. Ita *Sotus, Cajetanus, Sylvius, Philippus a SS. Trinitate, Salmanticenses morales, Salmanticenses scholastici, Taille*, et alii [5].

Quidquid enim est necessarium ad salutem aeternam, est pariter necessarium ad gratiam adipiscendam.

---

[1] *Joan.*, 6, 54.

[2] *III p.*, q. 80, a. 11.

[3] *III p.*, q. 73, a. 3.

[4] **Alensis,** *IV p.*, q. 11, m. 2, a. 4, § 1; **Durandus,** *In IV Sent.*, dist. 9, q. 2, n. 7; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 169, c. 3; **Suarez,** *De sacramentis*, disp. 40, sect. 1-2; **Lugo,** *De eucharistia*, disp. 3, sect. 2.

[5] **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 1, q. 6, a. 4; et dist. 8, q. un., a. 3. **Cajetanus,** *In III p.*, q. 73, a. 3 «Adverte 1 et 2»; **Sylvius,** *In III p.*, q. 80, a. 11; **Philippus a SS. Trinitate,** *De S. eucharistiae sacramento*, disp. 1, dub. 11; **Salmanticenses morales,** *De sacramento eucharistiae*, c. 3, dub. 1, n. 16; **Salmanticenses scholastici,** *De eucharistiae sacramento*, disp. 3, n. 10; **Taille,** *Mysterium fidei*, lib. 3, c. 3.

ARTICULUS II

UTRUM SACRAMENTUM EUCHARISTIAE SIT NECESSARIUM NECESSITATE MEDII AD DIU PERSEVERANDUM

416. Status quaestionis. Perseverantiam hic non stricte pro conjunctione gratiae cum morte, sed latiori sensu sumimus pro continuatione et permanentia animae in gratia per notabile temporis spatium.

Quaestio est, an sacramentum eucharistiae in re vel in voto susceptum sit necessarium ad diu perseverandum in gratia.

Dixi *diu*, quia, si agatur de brevi intervallo, id, quod suffecit ad justificationem adipiscendam, sufficit et ad breviter perseverandum.

417. THESIS. **Susceptio sacramenti eucharistiae in re est per se loquendo necessaria adultis ad perseverandum longo tempore in gratia, per accidens tamen sufficit saepe susceptio in voto.**

Pars 1.ª Per se est necessaria susceptio in re.

Arg. 1) *S. Cyrillus alex.* haec habet ad rem: «Quicumque baptizati sunt, divinamque gratiam gustarunt, si cunctanter et vix ecclesias adeant, et per longa temporum spatia eulogiam, quae est per Christum, frequentare desinant, praetexantque damnosam reverentiam ex eo, quod ei mystice communicare nolint, intelligant profecto se a vita aeterna excludere se ipsos, dum vivificari renuunt» [1].

2) *Ex ratione.* Eucharistia ex sua institutione habet rationem cibi spiritualis, et adeo est necessaria ad vitam spiritualem conservandam, sicut cibus materialis est necessarius ad conservationem vitae corporalis. Ergo eucharistia est pariter per se necessaria ad conservationem gratiae.

Hanc rationem confirmant praeclara testimonia. *Catechismus S. Pii V* ait: «Neque enim minus spirituali cibo animam quam naturali corpus indigere perspicuum est» [2].

Leo XIII: «Ut enim corpus ita animus cibo saepe indiget suo; alimoniam autem maxime vitalem praebet sacrosancta eucharistia» [3].

3) Ad justificationem obtinendam requiritur saltem desiderium seu votum saltem implicitum suscipiendi eucharistiam. Votum autem seu desiderium adimplendum est, ubi opportunitas se offert. Ergo ad conservandam gratiam requiritur per se sacra communio.

Pars 2.ª Per accidens sufficit saepe susceptio eucharistiae in voto.

Veritas hujus adsertionis inde patet, quod defectus copiae sacerdotum et aliae causae excusant saepe homines a reali eucharistiae susceptione.

---

[1] *In Joan.*, 6, 35; MG **73**, 521.
[2] *Part.* 2, c. 4, n. 60.
[3] Encyclica *Mirae caritatis*, 28 Maji 1902; *Acta S. Sedis*, vol. 34, p. 653.

Corollarium. Ex his sequitur eucharistiam in re, quamvis per se requiratur ad diu perseverandum in gratia, non esse ad id necessariam necessitate medii, quippe quae aliunde suppletur; sed in voto esse necessariam necessitate medii ad diu perseverandum, quia desiderium vitae spiritualis, necessario importat appetitum gratiae cibantis, quae datur in eucharistia [1].

ARTICULUS III

UTRUM ADSIT PRAECEPTUM POSITIVUM SUMENDI EUCHARISTIAM

418. Status quaestionis. Praeceptum positivum potest esse divinum vel ecclesiasticum, prout a Deo vel ab Ecclesia fuerit impositum.

Quaeritur, an detur praeceptum positivum tum divinum tum ecclesiasticum sumendi aliquando eucharistiam.

419. Opinio quorumdam. Aliqui veteres insinuarunt non dari praeceptum divinum sumendi eucharistiam. Ita *Alensis, S. Bonaventura, Cajetanus,* et alii pauci [2].

Sed multo communius tenent Doctores scholastici dari in S. Scriptura praeceptum divinum positivum sumendi eucharistiam.

420. THESIS I. **Praecepto divino positivo tenentur fideles sumere eucharistiam.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Christus Dominus ait apud Joannem: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* [3]. Haec autem verba continent praeceptum Domini.

2) *Ex auctoritate S. Thomae.* Angelicus Doctor recte interpretatur textum evangelicum dicens: «Manifestum est, quod homo tenetur hoc sacramentum sumere, non solum ex statuto Ecclesiae, sed ex mandato Domini dicentis (*Luc.*, 22, 19): *Hoc facite in meam commemorationem*» [4].

3) Concilium tridentinum non obscure tradidit hanc doctrinam, cum ait: «Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, sacramentum hoc instituit... et *in illius sumptione colere nos sui memoriam praecepit*» [5].

421. Corollaria. 1) Praeceptum hoc solum afficit adultos. Nam diximus superius et concilium tridentinum declarat «parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem eucharistiae communionem» [6].

2) Aliqui theologi, ut *Suarez, Vazquez, Lugo, Becanus,* et alii [7], de-

---

[1] Cfr. **Taille,** *Mysterium fidei,* lib. 3, c. 3, § 2.

[2] **Alensis,** *IV p.*, q. 11, m. 2, a. 4, § 1; **S. Bonaventura,** *In IV Sent.*, dist. 12, p. 2, a. 2, q. 1; **Cajetanus,** *In III p.*, q. 80, a. 11.

[3] *Joan.*, 6, 54.

[4] *III p.*, q. 80, a. 11.

[5] *Sess.* 13, c. 2; **Denz-Bannw.,** 875.

[6] *Sess.* 21, c. 4; **Denz-Bannw.,** 933.

[7] **Suarez,** *De sacramentis,* disp. 69, sect. 2, n. 2; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 214, c. 4; **Lugo,** *De eucharistia,* disp. 16, sect. 2, n. 17; **Becanus,** *De sacramentis,* c. 23, q. 4.

fendunt hoc praecepto ligari omnes adultos etiam infideles, sicut praecepto amplectendi Evangelium ligantur omnes.

Sed alii verius putant legem universalem sumendi eucharistiam restringi ad homines habiles, id est, ad eos, qui per baptismum facti sunt capaces suscipiendi alia sacramenta, quia obligatio recipiendi eucharistiam exsurgit ex professione fidei, quae emittitur in baptismo [1].

3) Sententia communissima docet hoc praeceptum *per se* obligare in periculo mortis proximo, et aliquoties in vita; *per accidens* vero, quoties sine communione vitari nequit grave peccatum [2].

422. THESIS II. **Adest praeceptum ecclesiasticum, quo fideles obligamur semel in anno eucharistiam sumere.**

I. Praecepta ecclesiastica his verbis refert *S. Thomas:* a) «In primitiva Ecclesia, quando magna vigebat devotio fidei christianae, statutum fuit, ut quotidie fideles communicarent. Unde Anacletus Papa dicit: *Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim et apostoli statuerunt et sancta romana tenet Ecclesia* (cap. *Episcopus*, De consecratione, disp. 1)».

b) «Postmodum vero, diminuto fidei fervore, Fabianus Papa (cap. *Et si non frequentius*, De consecrat., dist. 2), indulsit, ut, si non frequentius, saltem ter in anno omnes communicent, scilicet in Pascha, Pentecoste, et Natali Domini. Soter etiam Papa dicit in Coena Domini esse etiam communicandum, ut habetur in Decreto Consecrat., dist. 2 (nempe cap. in Coena)».

c) «Postmodum propter iniquitatis abundantiam, refrigescente caritate multorum, statuit Innocentius III, ut saltem semel in anno in Pascha fideles communicent» [3].

Nota. *Lutherus* de gravi errore accusat Ecclesiam, qui cogit «homines sub peccato mortali in festo Paschatis eucharistiam accipere» [4]. *Calvinus* e contra adserit consuetudinem, «quae semel quotannis communicare jubet, certissimum esse diaboli inventum... Singulis ad minimum hebdomadibus proponenda erat christianorum coetui mensa Domini» [5].

II. Ecclesia autem, benignissima mater, enixe hortatur omnes fideles ut primaevam consuetudinem sequuti, frequenter vel etiam quotidie sacramentum eucharistiae devote sumant, sed noluit aliud praeceptum circa hoc imponere, nisi ut semel in anno eucharistiam sumerent.

Praeceptum de annua confessione et communione sic exprimitur in concilio lateranensi IV: «Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur... suscipiens reverenter ad minus in Pascha eucharistiae sacramentum» [6].

---

1 Cfr. **Salmanticenses,** *De euch. sacramento*, disp. 11, n. 36.
2 Cfr. **S. Alphonsus M. de Ligorio,** lib. 6, nn. 291 et 295.
3 *III p.*, q. 80, a. 10 ad 5.
4 *Serm. de confessione et sacram. euch.*
5 *Inst.*, lib. 4, c. 17, n. 46.
6 *De Trinitate, sacramentis*, etc., c. 21; **Denz-Bannw.,** 437.

Concilium tridentinum declaravit fideles «teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum juxta praeceptum sanctae matris Ecclesiae» [1].

Codex autem Juris Canonici fere ad litteram retinuit decretum concilii lateranensis [2].

423. Corollaria. 1) Usus rationis praesumitur adesse pro communione recipienda circa septimum aetatis annum juxta decretum S. Congregationis de Sacramentis, 8 Augusti 1910 [3].

2) Tempus paschale pro communione computatur «a dominica Palmarum ad dominicam in albis; sed locorum Ordinariis fas est etiam pro omnibus suis fidelibus anticipare» [4]. In America latina tempus longius adsignatur Litteris Apostolicis «Trans Oceanum» [5].

Alia apud moralistas.

ARTICULUS IV

UTRUM ADSIT PRAECEPTUM DIVINUM SUMENDI EUCHARISTIAM SUB UTRAQUE SPECIE

424. Status quaestionis. 1) Accurate distinguendi sunt in hac materia sacerdotes missam celebrantes et fideles communicantes.

2) Sacerdos in missa gerit personam Christi et perficit sacrificium. Sacrificium autem eucharistiae a Christo institutum et peractum, quod habet rationem cibi et potus, essentialiter complectitur corpus et sanguinem Christi. Unde sacerdos sacrificans tenetur perficere sacrificium ac proinde sumere corpus et sanguinem Christi sub utraque specie.

«In utroque, ait *Angelicus*, consistit perfectio sacramenti. Et ideo, quia ad sacerdotem pertinet hoc sacramentum consecrare et perficere, nullo modo debet corpus Christi sumere sine sanguine» [6].

Ex institutione igitur divina hujus sacramenti sacerdos conficiens altaris sacrificium et sacramentum tenetur illud perficere et sumere sub utraque specie.

3) Quaestio est, an omnes laici et sacerdotes more laicorum communicantes jure ac praecepto divino teneantur eucharistiam sub utraque specie sumere.

425. Errores. 1) *Hussitae* imprimis saeculo XV docuerunt communionem sub utraque specie fidelibus laicis esse dandam, sed damnati sunt in concilio constantiensi [7].

2) *Lutherus* dicebat «negare utramque speciem laicis esse impium et tyrannidem» [8]; et adserebat Romanos Pontifices esse haereticos et impios

---

1 *Sess.* 13, can. 9, *De eucharistia;* **Denz-Bannw.,** 891.
2 *Can.* 859.
3 *Acta A. Sedis,* vol. 2, p. 582.
4 *Codex Juris Canonici,* can. 859, § 2.
5 *Acta A. Sedis,* vol. 2, p. 275.
6 *III p.,* q. 80, a. 12.
7 *Interrog.* 18; **Denz-Bannw.,** 668.
8 *De captivitate babyl. Ecclesiae,* De Coena Domini, «Concludo».

schismaticos, qui unam speciem dare laicis praesumebant contra evidentes Dei Scripturas [1].

3) *Calvinus* vehementer conqueritur, quod Ecclesia romana «dimidiam coenae partem meliori populi Dei numero vel furata est vel eripuit» [2]; et sacerdotes, qui hoc faciunt, vocat «satanae ministros» [3].

425. THESIS. **Nullum datur praeceptum divinum, quo laici et sacerdotes more laicorum communicantes teneantur eucharistiam sub utraque specie sumere.**

Arg. 1) *Ex conciliis.* Concilium constantiense ait: «Hoc praesens concilium declarat, decernit, et definit... quod, licet in primitiva ecclesia huiusmodi sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie, tamen haec consuetudo ad evitandum aliqua pericula et scandala est rationabiliter introducta, quod a conficientibus sub utraque specie et a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur» [4].

Concilium tridentinum: *Si quis dixerit ex Dei praecepto vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi eucharistiae sacramenti sumere debere, a. s.* [5].

2) *Ex praxi Ecclesiae.* Quamvis Ecclesia longo tempore dispensaverit fidelibus communionem sub utraque specie, a primis tamen saeculis permisit, ut non raro dispensaretur sub una tantum specie.

a) Tempore persecutionum fideles deferebant solum panem consecratum in domos suas plerumque in linteolo mundo. b) Infantibus saepe dabatur communio sub una specie vini, aliquando sub specie panis [6]. c) Aegrotis deferebatur communio et quidem sub una specie, quia non conservabatur nisi sub specie panis [7]. d) *In missa praesanctificatorum,* quae antiquissima est in Ecclesia, sumitur communio sub una tantum specie. e) Ipsi adversarii permittunt, ut abstemis et saporis vini impatientibus sub sola specie panis eucharistia administretur.

3) Sub una tantum specie continetur ratio sacramenti significantis gratiam cibantem, quia sub specie panis vi verborum continetur corpus, et per concomitantiam sanguis Christi. Unde sacramentum cibi et potus et totum Christum recipit, qui solam sumit speciem panis. Concilium tridentinum apposite dicit ad rem «nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt» [8].

426. Obj. 1.° Dominus expresse ait: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* [9]. Ergo praeceptum Domini est, ut communio dispensetur omnibus sub utraque specie.

Resp.—*Neg. conseq.* His verbis certe statuit Dominus praeceptum man-

---

1 *De captivitate babyl. Ecclesiae,* De Coena Domini, «Surgite».
2 *Inst.,* lib. 4, c. 17, n. 47.
3 *Inst.,* lib. 4, c. 17, n. 48.
4 *Definitio de communione sub utraque specie;* **Denz-Bannw.,** 626.
5 Cfr. **Tertullianus,** *Ad uxorem,* lib. 2, c. 5; ML **1,** 1408; **S. Basilius,** *Ep.* 93 *ad Caesaream patriciam;* MG **32,** 484; **Eusebius,** *Hist. eccl.,* lib. 6, c. 44; MG **20,** 634.
6 **S. Cyprianus,** *De lapsis,* c. 26; ML **4,** 500.
7 Cfr. **Eusebius,** *Hist. ecclesiastica,* lib. 6, c. 44; MG **20,** 629.
8 *Sess.* 21, c. 3; **Denz-Bannw.,** 932.
9 *Joan.,* 6, 54.

ducandi ac bibendi carnem et sanguinem Christi, non vero modum manducandi. Porro, qui sumit unam tantum speciem, manducat ac bibit carnem et sanguinem Christi, et adimplet praeceptum, quia sumit totum Christum. Unde ipse Christus satis innuit sumptionem unius speciei sufficere ad implendum praeceptum, cum ait: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum* [1]. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* [2]. *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum* [3].

Obj. 2. Christus distribuens discipulis eucharistiam sub utraque specie dixit: *Hoc facite in meam commemorationem* [4]. Ergo praecepit eis, ut duplici specie dispensarent communionem fidelibus.

Resp.—*Neg. conseq.* Christus his verbis praecepit ad summum, ut sacerdotes offerrent sacrificium sub duplici specie, quin aliquid determinaret circa distributionem.

ARTICULUS V

UTRUM LAUDABILITER ORDINATUM FUERIT AB ECCLESIA, UT SACRA COMMUNIO DISPENSARETUR LAICIS SUB UNA TANTUM SPECIE

427. Status quaestionis. 1) Certum est in primis Ecclesiae saeculis, quamvis darentur casus, in quibus communio sub una tantum specie dispensabatur, communius tamen eucharistiam sub utraque specie distributam fuisse pupulo christiano.

Sed animadvertendum est hanc praxim in Ecclesia semper consideratam fuisse ut introductam jure ecclesiastico, ut casus, quos supra retulimus, probe demonstrant.

Ecclesia autem potest usum jure ecclesiastico introductum modificare, vel etiam, ubi opportunum esse crediderit, omnino tollere.

A saeculo jam XII praxis in Ecclesia occidentali incepit et saeculo XIII ubique consuetudo praevaluit distribuendi laicis sacram communionem sub sola panis specie.

Quaestio non sine aestu agitatur catholicos inter et protestantes, an haec innovatio juste et laudabiliter facta fuerit.

428. Error. Protestantes accusant Ecclesiam romanam de haeresi, quia hanc innovationem introduxit.

429. THESIS. **Ecclesia catholica laudabiliter introduxit consuetudinem dispensandi laicis communionem sub unica panis specie.**

Plures easque validas habuit Ecclesia rationes, ut hanc consuetudinem introduceret. Praecipuae sunt sequentes:

1) *Periculum effusionis sanguinis*, quod his verbis exponit Angelicus: «Quia crevit multitudo populi christiani, in qua continentur senes, et juvenes, et parvuli, quorum quidam non sunt tantae discretionis, ut cautelam debitam circa usum hujus sacramenti adhibeant, ideo pro-

---

[1] *Joan.*, 6, 52.
[2] *Joan.*, 6, 52.
[3] *Joan.*, 6, 59.
[4] *Luc.*, 22, 19.

vide in quibusdam ecclesiis observatur, ut populo sanguis sumendus non detur, sed solum a sacerdote sumatur» [1].

2) *Defectus vini* in aliquibus regionibus pro multitudine.

3) *Difficultas adservandi* eucharistiam sub specie vini.

4) *Aversio multorum* a bibendo vino vel a sumendo eucharistiam ex vase seu calice communi.

5) Necessitas reprimendi haereticos, qui docebant communionem sub utraque specie esse fidelibus necessariam.

QUAESTIO XXIII

DE MINISTRO EUCHARISTIAE

ARTICULUS I

UTRUM SOLUS SACERDOS SIT MINISTER CONFECTIONIS SACRAE EUCHARISTIAE

430. Status quaestionis. In sacramentis, quae non consistunt in re permanenti, sed dispensantur, cum conficiuntur, unus est minister confectionis et dispensationis. Sed sacramentum eucharistiae consistit in re permanenti, et potest ab uno confici et ab alio ministrari.

Hic quaerimus de ministro confectionis eucharistiae, in sequenti de ministro dispensationis acturi.

431. Errores. 1) *Marcossiani*, si fides est S. Irenaeo, mulieribus concedebant eucharistiae conficiendae facultatem [2].

2) *Lutherus* haeretice ait: «Prorsus nihil differt, nec plus facit missa privata, quam simplex cujusque laici de manu sacerdotis sumpta communio, exceptis orationibus, et quod sibi ipsi consecrat et ministrat, re ipsa missae et sacramenti omnes sumus aequales sacerdotes et laici» [3]. Rursum: «Quare, omnes sumus sacerdotes, quotquot christiani sumus; sacerdotes vero, quos vocamus, ministri sunt ex nobis electi, qui nostro nomine omnia faciant» [4].

432. THESIS. **Soli sacerdotes sunt ministri eucharistiae conficiendae.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Christus Dominus solis presbyteris eorumque successoribus in ordinatione dixit: *Hoc facite in meam commemorationem* [5].

2) *Ex conciliis.* Concilium lateranense IV: «Hoc utique sacramentum nemo potest conficere nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus» [6].

---

1 *III p.*, q. 80, a. 12.
2 **S. Irenaeus,** *Adv. haer.*, lib. 1, c. 13; MG **7,** 579 sq.
3 *De captivitate babylonica Ecclesiae,* De sacramento altaris, «Deinde publice».
4 *De captiv. babylon. Ecclesiae,* De ordine, «Qui si cogerentur».
5 *Luc.*, 22, 19.
6 *Cap.* 1; **Denz-Bannw.,** 430.

Concilium tridentinum: «Si quis dixerit illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, Christum Dominum non instituisse apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum, a. s.» [1].

3) *Ex SS. Patribus. S. Justinus:* «Is, qui fratribus praeest» ὁ προεστώτος consecrat eucharistiam, diaconi distribuunt [2]. *S. Cyprianus:* «Ille sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur, et sacrificium verum et plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri» [3]. *S. Joannes Chrysostomus:* Oblationem «nunc sacerdotes faciunt» [4].

Aureus liber *De imitatione Christi* haec habet: «Soli... sacerdotes rite in Ecclesia consecrati, potestatem habent celebrandi, et corpus Christi consecrandi» [5]. Et in officio SS. Corporis Christi dicitur: «Sic sacrificium istud instituit, cujus officium committi voluit solis presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant et dent caeteris» (Himno *Sacris solemniis*).

ARTICULUS II

QUIS SIT MINISTER DISPENSATIONIS EUCHARISTIAE

433. Minister dispensationis dicitur, qui eucharistiam a sacerdote confectam fidelibus distribuit.

Quaeritur, cui hoc in Ecclesia competat.

434. THESIS. **Minister ordinarius eucharistiae dispensandae est sacerdos, extraordinarius vero diaconus.**

Pars 1.ª Minister ordinarius est sacerdos.

Arg. 1) Concilium tridentinum ait: «Semper in Ecclesia mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent, qui mos tanquam ex apostolica traditione descendens jure ac merito retineri debet» [6].

2) *Codex Juris Canonici:* «Minister ordinarius sacrae communionis est solus sacerdos» [7].

435. Scholion. Ad licitam eucharistiae dispensationem requiritur aliqua jurisdictio.

Sacerdos habens jurisdictionem ordinariam, ut parochus, dicitur minister ordinarius ex officio.

Sacerdos habens licentiam distribuendi communionem vocatur minister ordinarius ex delegatione. Qui cum licentia celebrat missam, eo

---

1 *Sess.* 22, can. 2; **Denz-Bannw.,** 949.
2 *Apologia I*, n. 65; MG **6,** 428.
3 *Ep.* 63, n. 14; ML **4,** 397; **Journel,** 584.
4 *In II Tim.*, hom. 2, n. 4; MG **62,** 612.
5 *Lib.* 4, c. 5, n. 1.
6 *Sess.* 13, c. 8; **Denz-Bannw.,** 881.
7 *Can.* 846.

ipso habet licentiam dispensandi eucharistiam intra missam, imo et immediate ante et post missam.

Parocho tamen reservatum est «sanctissimam eucharistiam publice aut privatim tanquam viaticum ad infirmos deferre» [1].

Pars 2.ª Minister extraordinarius est diaconus.

Arg. 1) In ordinatione diaconatus dicit episcopus ordinandis: «Comministri et cooperatores estis corporis et sanguinis Domini» [2]. Unde antiquis temporibus quandoque utramque speciem, aliquando solum calicem diaconus ministrabat fidelibus [3].

2) In *Constitutionibus apostolicis* legimus: «Ipse vero (diaconus), cum episcopus vel presbyter obtulit, dat populo, non tanquam sacerdos sed tanquam ministrans sacerdotibus. Nulli autem ex reliquis clericis licet opus diaconi facere» [4].

3) *Codex Juris Canonici:* «Extraordinarius (minister) est diaconus, de Ordinarii loci vel parochi licentia, gravi de causa concedenda, quae in casu necessitatis legitime praesumitur» [5].

QUAESTIO XXIV

DE SUBJECTO EUCHARISTIAE

ARTICULUS I

QUIS SIT SUBJECTUM CAPAX RECIPIENDI SACRAMENTALITER EUCHARISTIAM

436. THESIS. **Subjectum capax recipiendi sacramentaliter eucharistiam est omnis et solus homo viator rite baptizatus.**

Homo viator. Sacramenta etenim novae legis, utpote signa sensibilia protestativa fidei et productiva gratiae, pro illis instituta sunt, qui possunt ambulare in fide et gratiam recipere. Sed solus et omnis homo viator potest ambulare in fide et gratiam recipere. Ergo.

Homo rite baptizatus. Baptismus est primum sacramentum, quo homines fiunt membra Ecclesiae et capaces recipiendi gratias ac privilegia, quae competunt christianis. Ergo subjectum eucharistiae est homo baptizatus.

Ad rem *Didaché:* «Nemo autem edat neque bibat a vestra eucharistia, nisi qui baptizati sunt in nomine Domini: de hoc etenim dixit Dominus: *Ne date sanctum canibus*» [6].

---

1 *Codex Juris Canonici*, n. 462.
2 *Pontificale romanum*, De ordinatione diaconi.
3 Cfr. **S. Justinus,** *Apologia I*, cc. 65, 67; MG **6,** 428; **S. Cyprianus,** *De lapsis*, 25; ML **4,** 500.
4 *Const apost.*, lib. 8, c. 28; MG **1,** 1126; **Journel,** 1236.
5 *Can.* 845, § 2.
6 *Didaché*, 9, 5; **Journel,** 6.

Haec dicta sunt de capacitate ad sacramentaliter recipiendam eucharistiam, quia ad fructuosam eucharistiae receptionem aliquid amplius requiritur, ut dicemus inferius.

437. Corollaria. 1) Peccatores baptizati, si fidem habeant, sunt subjectum sacramenti eucharistiae.

2) Angeli et animae separatae non possunt sumere eucharistiam sacramentaliter, quia non sunt homines nec viatores.

3) Mus, canis, et alia bruta animalia, licet aliquando comedant species sacramentales, non sumunt eucharistiam sacramentaliter, quia mus, ut ait S. Thomas, «non est natum uti eo ut sacramento. Unde non sacramentaliter, sed per accidens corpus Christi manducat, sicut manducaret ille, qui sumeret hostiam consecratam, nesciens eam esse consecratam» [1].

4) Catechumeni et alii homines nondum baptizati, quamvis habeant fidem, imo quamvis per contritionem adepti fuerint remissionem peccatorum et gratiam sanctificantem, non possunt sumere eucharistiam sacramentaliter.

5) Infantes baptizati sunt capaces hujus sacramenti. Ecclesia olim consuevit infantes statim post baptismum et deinde saepius ad communionem admittere. Sed a saeculo jam XII haec consuetudo evanuit, et deinceps Ecclesia ob varias rationes communionem infantibus negavit. «Iis, qui propter aetatis imbecillitatem nondum hujus sacramenti cognitionem et gustum habent, administrari non debet» [2].

6) Infantibus aequiparandi sunt amentes seu fatui, qui licet aetate provexerint, ratione vere infantes sunt.

ARTICULUS II

QUI POSSINT FRUCTUOSE SUMERE EUCHARISTIAM

438. THESIS. **Eucharistiam fructuose sumunt, qui** 1) **ex parte animae sunt in gratia sanctificante saltem praesumpta; et** 2) **ex parte corporis manent jejuni.**

Pars 1.ª Qui sunt in gratia sanctificante.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus scribit haec gravissima verba: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo; et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit; non dijudicans corpus Domini* [3]. Probare se ipsum est conscientiam discutere ac purgare.

2) *Didaché* haec habet: «Die dominica autem convenientes frangite panem et gratias agite, postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum sacrificium vestrum» [4].

---

[1] *III p.*, q. 80, a. 3 ad 3.
[2] *Rituale romanum*, tit. 4, c. 1, n. 11.
[3] *I Cor.*, 11, 27 sqq.
[4] *Didaché*, 14, 1; **Journel**, 8.

3) *S. Thomas:* «Quicumque cum peccato mortali hoc sacramentum sumit, falsitatem in hoc sacramento committit; et ideo incurrit sacrilegium tanquam sacramenti violator. Et propter hoc mortaliter peccat» [1].

4) Ratio est clara, quia sacramenta vivorum sunt in statu gratiae sumenda.

Corollaria. 1) Ex hoc deducunt theologi contra Vazquez [2] et alios paucos nunquam dari casus, in quo sacerdos vel laicus conscientiam peccati mortalis habens, possit licite ad eucharistiam accedere, quia, si sacerdos coram multitudine missam celebraturus vel laicus communicaturus sit in peccato mortali, non potest sic eucharistiam sumere, sed tenetur prius perfectam saltem contritionem elicere cum proposito confitendi peccatum tempore opportuno.

2) Sufficit tamen ad hoc gratia sanctificans exsistimata, quia potest contingere, ut qui ignorat se peccatum commisisse, vel credit se esse vere contritum aut rite confessum, revera commiserit peccatum mortale, et non sit contritus vel rite confessus, et sumat eucharistiam cum sola attritione supernaturali. Hoc in casu eucharistia producit per accidens primam gratiam in anima, et fit fructuosa communio.

Pars 2.ª Jejunus in corpore.

1) Concilium constantiense adseruit: «Sacrorum canonum auctoritas, laudabilis et approbata consuetudo Ecclesiae servavit et servat, quod hujusmodi sacramentum non debet confici post coenam, neque a fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a jure vel Ecclesia concesso vel admisso» [3].

2) *S. Augustinus* suo tempore ajebat: «Liquido apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos... Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os christiani prius dominicum corpus intraret quam caeteri cibi; nam ideo per universum orbem mos iste servatur» [4].

Graviter tamen aegrotantes possunt non jejuni viaticum sumere, sicut etiam communionem aegroti ultra mensem decumbentes [5], imo ««qui, quamvis morbo correpti et ex medici judicio naturale jejunium servare non valentes, nihilominus in lecto decumbere non possunt» [6].

Alia apud moralitas et liturgistas.

---

[1] *III p.*, q. 80, a. 4.
[2] *In III p.*, disp. 207, c. 1.
[3] *Definitio de communione sub una specie;* **Denz-Bannw.,** 626.
[4] *Ep. ad Januarium*, c. 6; ML **33,** 203.
[5] *Decret. S. C. Concilii*, die 7 Dec. 1906; *Acta S. Sedis*, vol. 39, p. 603.
[6] *Decret. S. C. Concilii*, 25 Martii 1907; *Acta S. Sedis*, vol. 40, p. 344.

QUAESTIO XXV

DE EUCHARISTIA UT EST SACRIFICIUM

ARTICULUS I

QUAEDAM PRAENOTANTUR DE SACRIFICIO IN GENERE

439. I. *Sacrificium*, si etymon spectes, idem est ac sacrum facere vel sacrum factum. Et hoc sensu quilibet actus religionis, sive internus cum intellectus ac voluntatis erga Deum subjectione, sive externus cum membrorum ad Deum colendum exercitio, lato sensu vocari potest sacrificium, quia revera in actibus internis et externis religionis aliquod sacrum facimus ad Deum colendum. Unde *S. Augustinus* ait ad rem: «Verum sacrificium est omne opus, quod agitur, ut sancta societate inhaereamus Deo» [1].

Hic sistunt protestantes. *Melanchthon* hanc notionem sequutus definit sacrificium: «Caerimonia vel opus, quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus» [2]. *Calvinus:* Sacrificium vocat «quidquid omnino Deo offertur» [3].

Sed Angelicus adserit hanc definitionem esse metaphoricam, «in quantum Deum placabilem reddit, ad quod sacrificium offertur» [4].

440. II. Sacrificium rigorose sumptum recte definitur: *Oblatio rei sensibilis per realem vel aequivalentem ejus destructionem legitime Deo facta ad testandum supremum Dei dominium in omnes res.*

Est actus religionis seu actus cultus publici, quo societas ex quadam institutione in honorem Dei victimas offert.

Quatuor, ut vides, ad sacrificium requiruntur.

1 *Oblatio rei sensibilis*, id est, signum sensibile, quo homo significat se ipsum suasque res qua victimas Deo offerre ad honorem ipsi praestandum. Est in genere signi exprimens interiorem adorationis affectum. «Significat, autem ait S. Thomas, sacrificium, quod offertur exterius, interius spirituale sacrificium, quo anima se ipsam offert Deo... quia, sicut supra dictum est, exteriores actus religionis ad interiores ordinantur» [5].

Cum sacrificium sit actus cultus publici, non est signum ad placitum, sed debet a publica auctoritate esse institutum.

Omne sacrificium est oblatio sed non omnis oblatio est proprie sacrificium; et ideo sacrificium dicitur *oblatio rei sensibilis*, quia, ut ait *Angelicus*, «sacrificia proprie dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit» [6].

---

[1] *De civ. Dei*, lib. 16, c. 6; ML **41**, 283.
[2] *Confessio aug.*, art. Missae sacrif.
[3] *Inst.*, lib. 4, c. 18.
[4] *In III Sent.*, dist. 9, q. 1, a. 1, sol. 2 ad 1.
[5] *II-II*, q. 85, a. 2.
[6] *II-II*, q. 85, a. 3 ad 3.

2) *Realis vel aequivalens rei sensibilis destructio*, qua res oblata non solum usui communi subtrahitur, sed quodammodo immolatur et in pejorem statum reducitur.

Sacrificium significat perfectam hominis, id est, sui ipsius vitaeque oblationem, ut practice testetur Deum esse supremum vitae mortisque Dominum. Sed, quia sui ipsius mactatio seu immolatio vetita est, ea, quae ad sustentationem et ad nostrum servitium ordinata sunt, homo Deo offert ac destruit in recognitionem supremi Dei dominii et propriae subjectionis erga ipsum. Sic antiquitus animalia mactabantur, thus cremabatur, fructus destruebantur, liquida vel comburebantur vel effundebantur.

Ubi tamen perfecta subjectio in Deum potest sine reali destructione significari, sufficit aequivalens destructio, quae in ratione signi aequivalet destructioni.

In sacrificio crucis Christus mortuus est ac realiter destructus.

In sacrificiis veteris legis aliquando physice destruebatur victima, ut quando mactabantur animalia, interdum moraliter destruebatur, ut cum effundebatur vinum.

Oblatio et immolatio sunt conceptus diversi, sed aliquando simul fiunt, quia res sensibiles interdum simul offeruntur ac destruuntur [1].

Discutiunt theologi, an *destructio realis aut saltem aequivalens victimae* sit de essentia sacrificii, vel sufficiat quaelibet rei sensibilis etiam in melius *mutatio* seu *transformatio:* a) Aliqui tenaciter docuerunt et docent ad sacrificium proprie dictum sufficere realem victimae immutationem etiam in melius, qua res ex humana possessione vertantur in divinum mancipium. Ita *Suarez, Scheeben*, et alii [2]. b) Alii communius requirunt realem vel saltem aequivalentem rei sensibilis destructionem, adeo ut non possit dari verum sacrificium, nisi res in ratione signi speciem destructionis prae se ferat. Ita *Bellarminus, Vazquez, Lugo, Billot, Van Noort*, et alii [3]. c) Alii in sacrificiis latreuticis solam rei immutationem, in propitiatoriis destructionem requirunt. Ita *Taille* [4].

Angelicus Doctor destructionem saltem aequivalentem requirere videtur, cum ait: «Si aliquid exhibeatur in cultum divinum, quasi in aliquod sacrum, quod inde fieri debeat *consumendum*, et oblatio est et sacrificium... Si vero sic exhibeatur, ut *integrum maneat* divino cultui deputandum, vel in usus ministrorum expendendum, erit oblatio et non sacrificium» [5].

3) *Legitime Deo facta.* a) Deo facta, quia, cum sacrificium offeratur ad recognoscendum supremum dominium, quod nonnisi divinae majestati competit, soli Deo offertur. Unde *S. Augustinus* ajebat: «Nec tamen nos eisdem martyribus templa, sacerdotia, sacra, et sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus... Quis

---

[1] Cfr. **Taille,** *Mysterium fidei*, lib. 1, c. 1, sect. 2 (p. 11).

[2] **Suarez,** *De eucharistia*, disp. 73, sect. 5, nn. 4-5; **Scheeben,** *Handb. d. kath. Dogm.*, III, p. 400.

[3] **Bellarminus,** *De missa*, lib. 5, c. 2, § ult.; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 220, c. 2, n. 12 sqq.; **Lugo,** *De eucharistia*, disp. 19, sect. 1, n. 7; **Billot,** *De Ecclesiae sacramentis*, qq. 82-83, § 1, III.

[4] *Mysterium fidei*, lib. 1, c. 1, sect. 1, (p. 10).

[5] *II-II*, q. 86, a. 1.

autem audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare... dicere in precibus: Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane, cum apud eorum memorias offeratur Deo» [1]. b) *Legitime facta*, id est, a publica auctoritate instituta et a ministro competenti oblata. Hinc vides ad legitimam victimae oblationem requiri, ut sacrificium, utpote exercitium actus publici nomine societatis exercendum, debere esse a publica auctoritate institutum et a ministro publico seu persona specialiter deputata oblatum. Utrumque declarat concilium tridentinum dicens: «Sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit. Cum igitur in Novo Testamento sanctum eucharistiae sacrificium visibile ex Domini institutione catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet in ea novum esse visibile et externum sacerdotium, in quod vetus translatum est» [2].

4) *Attestatio supremi Dei dominii in omnes res.* Offeruntur Deo victimae per earum destructionem, ut significetur nos et omnia creata a supremo Dei dominio ita pendere, ut ad libitum possit Deus ea conservare vel in nihilum redigere, sicut res illae destruuntur.

441. III. *Materia sacrificii* una est *remota*, res nempe sensibilis, quae legitime declaratur apta, ut nostram subjectionem erga Deum et supremum Dei dominium in omnes res significare valeat; altera *proxima*, ipsa scilicet destructio materiae remotae ad profitendum praefatum Dei dominium.

Forma sacrificii est actio ministri, qua res ex se indifferens ad honorandum Deum supremum Dominum offertur.

442. IV. *Sacrificium differt a sacramento:* quia 1) sacramentum est signum gratiae, dum sacrificium est signum subjectionis nostrae; 2) sacramentum causat instrumentaliter gratiam, et sacrificium non causat, sed impetrat gratiam; 3) sacramentum Deo auctore instituitur et sacrificium potest esse per se institutum ab humana societate; et 4) sacramentum non semel conficitur ab homine privato, et sacrificium semper offertur a persona publica per societatem deputata.

443. V. *Divisio.* 1) Sacrificium ex parte finis potest esse: a) *latreuticum*, quatenus est cultus latriae, seu adoratio, qua honorem Deo propter infinitam ejus excellentiam deferimus; b) *eucharisticum*, si oblationes Deo deferantur in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis; c) *propitiatorium*, ubi subjicimur Deo in signum poenitentiae, eique res sensibiles offerimus ac immolamus ad placandum Numen offensum; ac tandem d) *impetratorium*, quando Deum oblationibus nobis propitium reddere intendimus.

2) Ratione modi sacrificia possunt esse *cruenta* vel *incruenta*, prout cruoris seu sanguinis effusione fiunt vel non. Sic agnus in Veteri Testamento et Christus in cruce cruento sacrificio, panes et vinum incruento offerebantur. Incruentum est non solum quando res ex sua natura ad cruentam immolationem non apta, ut panis, vinum, thus, etc., offertur, sed etiam, quando res ad cruentum sacrificium ex se apta, non in

---

[1] *De civ. Dei*, lib. 8, c. 27; ML **41**, 255.
[2] *Sess.* 23, c. 1; **Denz-Bannw.**, 957.

sua specie, sed specie sacramenti mystice immolatur, ut Christus Dominus in sancto sacrificio missae.

3) *Ex parte efficaciae:* a) sacrificia Veteris Testamenti in foro externo ex opere operato seu per se tollebant irregularitates et legales immunditias; in foro interno producebant effectus ex opere operantis; b) sacrificium cruentum Domini nostri Jesu Christi in cruce habebat valorem infinitum tum ex opere operato, tum ex opere operantis; et c) sacrificium missae habet valorem infinitum ex opere operato [1].

ARTICULUS II

QUID SIT SACRIFICIUM NOVAE LEGIS

444. In quolibet statu Ecclesiae oportet dari sacrificium, quo subjicimur Deo, tum ad honorandum ipsum Deum, tum ad referendam ei gratiarum actionem, tum ad reddendum ipsum propitium erga nos peccatores, tum denique ad impetrandum ea, quibus indigemus.

Incipiente jam nova lege et oeconomia, vetera sacrificia evanuerunt, quia, ut optime ait Apostolus, *translato... sacerdotio, necesse est, ut legis translatio fiat* [2].

Novum igitur sacrificium institutum est pro lege gratiae, in qua *melioris testamenti sponsor factus est Jesus* [3].

Quando haec translatio antiquae legis in novum foedus fiebat, Christus Dominus se ipsum in cruce Deo Patri victimam propitiatoriam pro mundi salute obtulit, et reconciliavit ima summis.

Hoc tamen sacrificium crucis, quod Christus morte cruenta obtulit, non fuit sacrificium Novae Legis, tum quia semel oblatum est, tum quia non fuit oblatum a sacerdotibus novae legis.

Pro novo autem testamento *plures facti sunt sacerdotes* [4], quibus competit ex officio offerre Deo sacrificium. Magni momenti est hoc sacrificium cognoscere.

Dominus noster Jesus Christus, antequam sacrificium cruentum sui ipsius in cruce offerret, obtulit et immolavit se mystice, et sacrificium eucharisticum imo et sacerdotes instituit, cum panem et vinum in suum corpus et sanguinem convertit, et manducandum dedit discipulis suis commendans eis, ut idem in suam commemorationem facerent.

Hoc igitur sacrificium, quod offertur in Ecclesia seu societate christiana, est sacrificium missae, de quo disserendum est.

ARTICULUS III

UTRUM MISSA SIT VERUM SACRIFICIUM

445. I. **Nomen missae.** Pluribus nominibus hoc sacrificium designari solet. Dicitur enim apud latinos *sacrificium, oblatio,* et generaliter *missa*. Hoc nomen, quod tempore S. Ambrosii erat in usu [5], vide-

[1] Cfr. **Billot,** *De Ecclesiae sacramentis,* qq. 82-83, § 2.
[2] *Hebr.*, 7, 12.
[3] *Hebr.*, 7, 22.
[4] *Hebr.*, 7, 23.
[5] *Ep. primae classis,* 20, 4; ML **16,** 1037. De *missa* mentionem saepe facit

tur esse derivatum a verbo *mitto*, ut dicit Angelicus [1], vel quia 1) post sermonem ante offertorium dimittebantur catechumeni, juxta illud S. Augustini: «Ecce post sermonem fit *missa* (dimissio) catechumeni, manebunt fideles» [2]: vel quia 2) hoc verbum sumitur pro legatione missa ad Deum, ut expresse docet Rupertus Tuit. his verbis: «Hoc autem sacrosanctum altaris mysterium idcirco missa dicitur, quia ad placationem et solutionem inimicitiarum, quae erant inter Deum et homines, sola valens et idonea *missio est*» [3]; vel quia 3) preces ad Deum a sacerdote mittuntur, juxta illud S. Thomae: «Propter hoc etiam missa nominatur, quia per angelum sacerdos preces ad Deum mittit» [4].

In hebraico sermone vix habetur vocabulum correspondens missae. Vox etenim מסה Missah (oblatio voluntaria), quam concilium senonense, Baronius, et alii volunt esse radicem etymologicam missae, nunquam venit apud syros et maronitas ad designandum sacrificium eucharisticum [5].

Graeci generatim utuntur voce λειτουργια, *Liturgia*, ad designandum sanctum sacrificium missae, quo significant in hoc consistere servitium Dei per excellentiam [6].

446. II. **Definitio missae.** Sacrificium missae recte definitur: *Sacrificium Novae Legis, in quo sub visibilibus speciebus panis et vini Christus invisibiliter et incruente Deo Patri offertur.* Termini hujus definitionis patebunt ex dicendis.

447. III. **Errores.** 1) Waldenses et albigenses imprimis inficiati sunt in missa offerri verum sacrificium [7].

2) Deinde Wiclef vehementius impugnavit doctrinam catholicam, cum ausus est «pertinaciter adserere non esse fundatum in Evangelio, quod Christus missam ordinaverit» [8]. Wiclefi cavillationes optime dissipavit egregius *Thomas Waldensis* [9].

3) Hunc errorem jam olim sopitum suscitarunt protestantes, quorum aliqui rem et nomen, alii rationem sacrificii rejiciunt. *Lutherus* ajebat: «Alterum scandalum amovendum est, quod multo grandius est et speciosissimum, id est, quod missa creditur passim esse sacrificium, quod offertur Deo» [10]. Alibi: «Sacerdotium illud Satanae impium et abominabile sat potentibus Scripturis subvertimus, quibus etiam probavimus missas non posse sacrificii nomine censeri» [11]. *Calvinus:* «Pestilentissimo errore totum pene orbem obcaecavit (Satan), ut crederet missam sacrificium et oblationem esse ad impetrandam peccatorum remissionem» [12].

Silvia seu Etheria circa a. 390; *Peregrinatio ad loca sancta*, 30. Cfr. **Kirck,** *Enchiridion fontium historiae*, n. 661.

[1] *III p.*, q. 83, a. 4 ad 9.

[2] *Serm.* 49, 8; ML **38,** 324.

[3] *De div. off.*, lib. 2, c. 20; ML **170,** 46. Hanc significationem habere videntur verba, quae sacerdos ad populum versus dicit: *Ite missa est*; quasi diceret: *Potestis abire, quia legatio seu hostia missa est.*

[4] *III p.*, q. 83, a. 4 ad 9.

[5] Cfr. **Bellarminus,** *De missa*, lib. 5, c. 1.

[6] Cfr. **Maximilianus,** *Praelectiones de liturgiis orientalibus*, t. 2, p. 2.

[7] Cfr. **Hergenröther,** *Hist. de la Iglesia*, vol. 4, pp. 87 et 116.

[8] *Concilium lond.*, a. 1382; **Mansi,** 26, 696.

[9] *De sacramento euch.*, cc. 31-32.

[10] *De captivitate babyl. Ecclesiae*, De sacramento altaris; «Jam et alterum».

[11] *De abroganda missa privata*, parte 2, «Prima parte».

[12] *Inst.*, lib. 4, c. 18, n. 1.

4) Hipercritici moderni sunt audaciores. Admissa partim narratione Scripturarum, negant Christum in relatis testimoniis aliquid de iteranda coena aut missa celebranda praecepisse, sed Dominum illis verbis vel parabolam indicativam imminentis suae mortis enuntiasse, ut vult *A. Jülicher* [1]; vel per communicationem panis et calicis convivalem amicitiam imo et unionem socialem discipulis commendasse, ut placet *J. Hoffmann* [2]. Consequenter docent coenam christianorum non fuisse ortam a coena Christi.

Si ab eis quaeras, cujus indolis fuerit coena illa christianorum, et qua ratione creditum fuerit a coena Christi originem duxisse, diversimode respondent. *Quoad primum* vult Hoffmann praefatam coenam christianorum fuisse symbolum religiosum et imitationem conviviorum, quae apparatu religioso haberi solebant apud judaeos, et in quibus mos erat benedicendi panem et vinum a patrefamilias [3]. *Quoad secundum* idem Hoffmann confugit ad fidem eschatologicam fidelium primitivae Ecclesiae. Exspectabant enim proximam parusiam, quae cum retardaretur, animo volvebant ad memoriam passionis et mortis Christi, quam etiam in convivio mystice renovari credebant [4].

448. THESIS. **Missa est vere et proprie sacrificium. «Est de fide».**

Arg. 1) *Ex vaticinio Malachiae.* Malachias ait: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus* [5].

Haec verba referuntur ad tempus messianicum, praenuntiant verum sacrificium post Messiam futurum, et solo missae sacrificio respondent.

a) *Referuntur ad tempus messianicum.* Respiciunt enim tempus, quo in omni loco sacrificabitur Deo oblatio munda, et cessabunt sacrificia levitarum. Haec autem certe determinant tempus futurum post adventum Messiae. Unde prophetiae, quae annuntiant Deum ab omnibus coli, referuntur ad tempus messianicum.

b) *Praenuntiant verum sacrificium post Messiam futurum,* tum quia propheta utitur verbis *sacrificatur* et *offertur,* quae verum sacrificium important, tum etiam quia *oblatio munda* non potest nisi per verum sacrificium compleri.

c) *Solo missae sacrificio respondent.* Verba enim prophetae characteres solius missae apprime designant, cum praenuntiant sacrificium mundum Deoque gratum celebrari, idque in omni loco a solis ortu usque ad occasum Deo offerri.

Eamdem interpretationem SS. Patres communiter huic loco adhibuerunt [6]; et concilium tridentinum expresse admisit dicens: «Et haec quidem illa *munda oblatio* est, quae nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest, quam Dominus per Malachiam nomini suo,

---

1 *Zur Geschichte der Abendmahlsfeier der Alten Kirche.*
2 *Das Abendmahl im Urchristentum;* 1903.
3 *Das Abendmahl im Urchristentum,* p. 108.
4 *Ibid.,* p. 107 sqq.
5 *Malach.,* 1, 10 sq.
6 Cfr. *Didaché,* 14; **Journel,** 8; **S. Justinus,** *Dial. contra Tryph.,* 41; MG **6,** 564; **Journel,** 135; **S. Irenaeus,** *Adv. haer.,* lib. 4, c. 17, n. 5; MG **7,** 1023; **Journel,** 232; et alii.

quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam praedixit» [1].

2) *Ex sacerdotio Melchisedech.* In psalmo 109 Christus Dominus dicitur *sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* [2]. Ex hoc textu duo praesertim probantur: nempe Christum, utpote sacerdotem aeternum, perpetuum habere sacrificium; et hoc sacrificium esse secundum ordinem Melchisedech, hodiernam scilicet missam.

a) *Christus est sacerdos in aeternum et perpetuum habet sacrificium.* Expresse hoc annuntiat psalmista dicens: *Dixit Dominus Domino meo*, id est, dixit Pater Filio suo, ut omnes, exceptis rationalistis, interpretantur... *Tu es sacerdos in aeternum* [3]. Sacerdos autem est propter sacrificium, et, ubi est sacerdos in aeternum, oportet esse sacrificium perpetuum. Unde sacrificium Christi sacerdotis aeterni durat ad finem usque saeculorum.

b) *Hoc sacrificium est secundum ordinem Melchisedech, hodierna scilicet missa.* Christus ex eo dicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedech, quia sacrificium, sicut olim Melchisedech, in pane et vino obtulit. *Melchisedech, rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei Altissimi, benedixit ei* (Abrahae)... *Et dedit ei decimas ex omnibus* [4]. Christus igitur est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, quia sacrificium in pane et vino instituit; et est sacerdos in aeternum, quia hoc sacrificium in missa durat usque in aeternum.

3) *Ex institutione eucharistiae* [5]. Christus in ultima coena, instituendo eucharistiam, verum sacrificium obtulit. Sed missa hodierna non est nisi repetitio ejus, quod Christus in institutione peregit. Ergo missa est verum sacrificium.

Probatur major. Christus instituens eucharistiam non solum protulit verba, quae conversionem panis et vini in corpus et sanguinem suum significabant atque efficiebant, verum etiam addidit verba significantia sacrificium. De corpore quidem ait: *quod pro vobis datur;* seu: *quod pro vobis traditur;* το υπερ υμων διδομενον; et de sanguine: *qui pro vobis effunditur;* το εκχυνομενον, ut dicitur in graeco; vel: *effundetur*, ut vertitur a Vulgata. Haec verba satis clare innuunt Christum tradidisse suum corpus et sanguinem sub speciebus panis et vini discipulis ut victimam, corpus quidem immolandum et sanguinem effundendum immolatione ac effusione mystica in remissionem peccatorum.

Quod si e lectione Vulgatae *tradetur, effundetur*, objicias Christum non obtulisse sacrificium in coena, sed offerendum in cruce praenuntiasse, respondendum est: a) in Vulgata olim conformius ad textum

---

[1] *Sess.* 22, c. 1; **Denz-Bannw.,** 939.

[2] *Ps.* 109, 4.

[3] Hunc psalmum esse messianicum et ad Christum referri expresse docet Apostolus dicens: *Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Hebr., 5, 5-6.

[4] *Gen.*, 14, 18 sqq.

[5] Verba institutionis sunt: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur* (Luc., 22, 19); *Quod pro vobis tradetur* (I Cor., 11, 24); *Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur* (Marc., 14, 24); *Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (Matth., 26, 28).

graecum legi solitum fuisse *traditur, effunditur;* et b) lectionem Vulgatae nullatenus favere objicientibus. Vulgata apud Lucam satis determinat effusionem sanguinis ad sacrificium eucharisticum referri, cum ait: *Hic est calix... qui pro vobis fundetur;* per metonymiam indicans sanguinem, prout in calice est, effundi.

Unde in lectione graeca directe enuntiatur sacrificium incruentum eucharisticum praesens, et indirecte sacrificium crucis futurum; in lectione vero Vulgatae directe enuntiatur sacrificium crucis futurum, et indirecte sacrificium eucharisticum praesens [1].

Probatur minor ex verbis a Christo statim post sacrificium prolatis: *Hoc facite in meam commemorationem* [2].

4) *Ex conciliis.* Concilium ephesinum: «Sanctum ac vivificum incruentumque sacrificium peragimus: corpus, quod proponitur, similiter et pretiosum sanguinem, non communis nobisque similis hominis cujuspiam esse credentes, sed potius tanquam proprium corpus effectum, et sanguinem etiam Verbi, quod omnia vivificat, accipientes» [3].

Juxta concilium tridentinum Dominus Jesus «in coena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium... sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, apostolis, quos tunc novi testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba: *Hoc facite in meam commemorationem,* uti semper Ecclesia catholica intellexit et docuit» [4]. *Si quis dixerit in missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari, a. s.* [5].

5) *Ex SS. Patribus.* In *Didaché* sub finem saeculi I scripto legimus: «Die dominica autem convenientes frangite panem et gratias agite, postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum sacrificium vestrum. Omnis vero, cui est controversia cum amico suo, ne conveniat vobiscum, donec reconciliati sint, ne inquinetur sacrificium vestrum. Hoc enim est dictum a Domino: *In omni loco et tempore offeratur mihi sacrificium mundum, quoniam rex magnus sum, dicit Dominus, et nomen meum mirabile in gentibus*» [6]. Hic certe agitur de eucharistiae sacrificio, quia ad frangendum panem conveniebant fideles, et fractio panis erat communio juxta illud Apostoli: *Panis autem, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* [7].

S. *Ignatius:* «Studeatis igitur una eucharistia uti; una enim est caro Domini nostri Jesu Christi et unus calix in unitatem sanguinis ipsius, *unum altare,* sicut unus episcopus cum presbyterio et diaconis, conser-

---

1 Cfr. **Pesch,** *De eucharistia,* n. 872.
2 *Luc.,* 22, 19.
3 *Declaratio anathematismi* 11; **Mansi,** 5, 18.
4 *Sess.* 22, c. 1; **Denz-Bannw.,** 938.
5 *Sess.* 22, c. 1, *De sacrificio missae;* **Denz-Bannw.,** 948.
6 *Didaché,* 14; **Journel,** 8.
7 *I Cor.,* 10, 16.

vis meis, ut, quod faciatis, secundum Deum faciatis» [1]. Expressio *unum altare* satis determinat eucharistiam ad rationem sacrificii.

S. Justinus: «De iis autem, quae in omni loco a nobis gentibus offeruntur ei, sacrificiis, hoc est, de pane eucharistiae et de calice similiter eucharistiae, jam tunc praedicit, illud etiam addens, nomen suum a nobis glorificari, a vobis autem profanari» [2].

S. Irenaeus: «Novi Testamenti novam docuit (Christus) oblationem, quam Ecclesia ab apostolis accipiens in universo mundo offert Deo» [3]. «Hanc oblationem Ecclesia sola puram offert... Judaei autem non offerunt, manus enim eorum sanguine plenae sunt; non enim receperunt Verbum, quod offertur Deo» [4].

Tertullianus: «Accepto corpore Domini et reservato, utrumque salvum est, et participatio sacrificii et executio officii» [5].

Hippolytus: «Cum vero ille (anti-Christus) advenerit, auferetur sacrificium et libamen, quod modo ubique locorum a gentibus offertur Deo» [6].

Alii plures Patres videri possunt apud Pesch, Taille, et alios [7].

6) *Ex ratione theologica.* Tanta est inter religionem et sacrificium connexio, ut nullatenus possit vera religio haberi sine sacrificio. Sed in Ecclesia catholica est unica vera religio, et non offertur aliud sacrificum quam missa... Ergo missa est verum sacrificium.

7) *Ex liturgiis.* In liturgia S. Jacobi orat sacerdos in missa dicens: «Dona nobis, Domine, ut cum omni timore et conscientia pura offeramus tibi hoc spirituale et incruentum sacrificium» [8].

ARTICULUS IV

IN QUO CONSISTAT ESSENTIA SACRIFICII MISSAE

449. Status quaestionis. Sex numerantur actiones in missa, de quibus dubitari potest, an saltem inadaequate constituant essentiam sacrificii, ut de facto aliqui auctores defenderunt. Hujusmodi sunt: oblatio hostiae in offertorio ante consecrationem, consecratio, oblatio hostiae post consecrationem, fractio hostiae, communio sacerdotis et communio fidelium.

Quaestio est, an et in qua harum actionum consistat essentia sacrificii missae.

450. Placita theologorum. 1) Aliqui videntur essentiam sacrificii missae reponere in oblatione hostiae ante consecrationem. Sic *Scotus*, *Biel*, et alii [9].

---

[1] *Philad.*, 4; MG **5,** 700.
[2] *Dialog. contra Tryph.*, n. 41; MG **6,** 563.
[3] *Adv. haer.*, 4, 17, 5; MG **7,** 1023.
[4] *Adv. haer.*, lib. 4, c. 18, n. 4; MG **7,** 1027.
[5] *De oratione*, 19; ML (Garnier) **1,** 1287.
[6] *Fragmenta in Dañielem*, n. 22; MG **10,** 656.
[7] **Pesch,** *De eucharistia*, n. 882 sqq.; **Taille,** *Mysterium fidei*, Elucidatio 18.
[8] **Maximilianus,** *Praelectiones de liturgiis orientalibus*, t. 2, p. 32.
[9] **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 13, q. 2, § «Si objicis»; **Biel,** *In IV Sent.*, dist. 13, q. 1, a. 3, dub. 2, «Sed adhuc dicitur».

2) Alii docent essentiam sacrificii missae consistere in consecratione simul et oblatione hostiae consecratae, fractione, mixtione, et sumptione Ita *Cano* et *Valentia* [1].

3) Alii plures, iique graves Doctores, volunt essentiam sacrificii missae consistere aeque in consecratione et communione sacerdotis. Ita *Sotus, Bellarminus, Lugo, Salmanticenses scholastici, S. Alphonsus M. de Ligorio* et alii [2].

4) Alii eam reponunt in sola consumptione. Ita *Gabriel a S. Vincentio* [3].

5) Alii denique multo communius defendunt essentiam sacrificii missae perfici in sola consecratione utriusque speciei. Ita *S. Thomas, S. Bonaventura, Suarez, Vazquez, Philippus a SS. Trinitate, Salmanticenses morales, Taille, Del Val*, et alii [4].

451. THESIS. **Essentia sacrificii missae consistit in sola consecratione utriusque speciei.**

Arg. 1) *Ex SS. Patribus.* Sancti Patres diserte hoc docent.

S. Joannes Chrysostomus: «Vox haec (*Hoc est corpus meum*)... ab illo ad hodiernum usque tempus et usque ad adventum ejus, sacrificium perfectum efficit» [5].

S. Gregorius Nyssenus: «Se ipsum pro nobis hostiam offert, et victimam immolat, sacerdos simul exsistens et agnus Dei, ille, qui mundi peccatum tollit. Quando id praestitit? Cum corpus suum discipulis congregatis edendum et sanguinem bibendum praebuit, tunc aperte declaravit agni sacrificium jam esse perfectum. Nam victimae corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit. Quare, cum corpus edendum et sanguinem bibendum discipulis exhibuit, jam corpus infallibiliter et invisibiliter immolatum erat secundum voluntatem ejus, qui potentia sua hoc mysterium peragebat» [6].

S. Cyrillus hierosolymitanus: «Postquam vero perfectum est spirituale sacrificium, incruentus cultus, super illam propitiationis hostiam obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace» [7].

Ex his sequitur ante sumptionem perfectum esse sacrificium per consecrationem.

2) *Ex ratione theologica.* Sola consecratione, ut ajunt *Salmanticenses morales*, Christus sufficienter mutatur et mactatur incruente ac mystice tanquam victima, ejusque mors repraesentatur; imo aeterno Patri Filius incarnatus offertur in signum supremi dominii actu ipso conse-

---

[1] **Cano,** *De locis theolog.*, lib. 12, c. 12; **Valentia,** *In III p.*, disp. 6, q. 11, § 2, «De quaestione autem illa».

[2] **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 13, q. 1, a. 4; **Bellarminus,** *De missa*, lib. 5, c. 27; **Lugo,** *De eucharistia*, disp. 19, sect. 5; **Salmanticenses schol.,** *De eucharistiae sacramento*, disp. 13, n. 29; **S. Alphonsus,** lib. 6, n. 305.

[3] *De sacrosancto missae sacrificio*, disp. 1, q. 4.

[4] **S. Thomas,** *III p.*, q. 80, a. 12 ad 2 et 3. **S. Bonaventura,** *In IV Sent.*, dist. 13, a. 1, q. 4; **Suarez,** *De eucharistia*, disp. 75, sect. 5; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 222, c. 5; **Philippus a SS. Trinitate,** *De euch. sacram.*, disp. 8, dub. 4; **Salmanticenses morales,** *De missae sacrificio*, c. 1, p. 2, dub. un.; **Taille,** *Mysterium fidei*, Elucidatio 34; **Del Val,** *De SS. Eucharistia*, n. 202.

[5] *De proditione Judae*, hom. 1, n. 6; MG **49,** 380.

[6] *Oratio 1 in resurrectionem;* MG **46,** 611.

[7] *Catech. mystag.*, 5, n. 8; MG **33,** 1115.

crationis ex intentione ministri. Ergo in sola consecratione utriusque speciei consistit essentia sacrificii missae [1].

Quomodo haec in sola consecratione verificentur, constabit ex dicendis.

452. Corollaria. Ex his sponte sua sequuntur quaedam corollaria.

1) *Oblatio hostiae ante consecrationem non pertinet ad essentiam sacrificii missae.* Res enim, quae in sacrificio missae offertur, est corpus et sanguis Christi, ut expresse docet concilium tridentinum [2]. In oblatione autem hostiae, quae fit ante consecrationem, nequeunt offerri corpus et sanguis Christi, quia nondum sunt praesentia sub speciebus panis et vini. Ergo.

Nec videtur haec oblatio in usu fuisse semper in aliquibus liturgiis.

2) *Oblatio verbalis, quae fit post consecrationem utriusque speciei, non pertinet ad essentiam sacrificii missae.* Quamvis enim sacrificium missae sit quaedam oblatio, non tamen illa, quae fit post consecrationem illis verbis: *Unde et memores, Domine, nos servi tui... offerimus praeclarae majestati tuae*, etc., sed illa, quae fit in ipsa consecratione et immolatione mystica victimae, quaeque est actio sacrificalis, ut mox dicemus.

Hac etiam ratione diximus supra epiclesim graecorum non habere efficaciam in consecratione, et excludi a ratione sacrificii.

3) *Fractio hostiae consecratae et mixtio specierum in calice non sunt de essentia sacrificii missae.* Hanc doctrinam expresse tradit *S. Thomas* dicens: «Fractio hostiae consecratae, et quod una sola pars mittatur in calicem, respicit corpus mysticum, sicut admixtio aquae significat populum. Et ideo horum praetermissio non facit imperfectionem sacrificii, ut propter hoc sit necesse aliquid reiterare circa celebrationem hujus sacramenti» [3].

Docent nonnulli fractionem hostiae solummodo significare passionem Christi e cruce pendentis. Sed haec interpretatio, est recentior. Frangimus hostiam juxta S. Augustinum et S. Gregorium M. ad distribuendum [4]; juxta Innocentium III ad imitationem discipulorum, qui in fractione panis agnoverunt Dominum in Emmaus [5]; juxta alios ad imitationem Christi, qui panem fregit deditque discipulis suis; juxta Albertum M., S. Thomam et alios recentiores ad repraesentandam passionem Christi [6].

4) *Communio sacerdotis et fidelium non est de essentia sacrificii missae.* Per communionem sacerdotis et fidelium non repraesentatur passio Christi, nec immolatur victima, sed species tantum sacramentales in ratione sacramenti recipiuntur ac consummuntur [7].

453. Scholion I. *Quae sit hostia hujus sacrificii.* Ad rationem sa-

---

[1] Cfr. **Salmanticenses morales,** *De missae sacrificio*, c. 1, p. 2, dub. un.
[2] *Sess.* 22, c. 2; **Denz-Bannw.,** 940.
[3] *III p.*, q. 83, a. 6 ad 6.
[4] **S. Augustinus,** *Ep.* 149, 16; ML **33,** 637; **S. Gregorius M.,** *Dial.* 4, 58; ML **77,** 425.
[5] *De sacro altari mystico*, 6, 2; ML **217,** 907.
[6] **Albertus M.,** *In IV Sent.*, dist. 13, E, 15; **S. Thomas,** *III p.*, q. 83, a. 5 ad 7.
[7] Cfr. **Philippus a SS. Trinitate,** *De S. eucharistiae sacramento*, disp. 8, dub. 4.

crificii semper requiritur, ut patet ex ejus definitione, aliqua victima seu res sensibilis, quae tanquam materia Deo offeratur.

Concilium tridentinum recte declarat hostiam hujus sacrificii esse ipsum Christum seu corpus et sanguinem Christi, cum ait. «In divino hoc sacrificio, quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit» [1].

Unde falluntur, qui immutationes factas in substantia panis et vini in consecratione, vel in speciebus sacramentalibus post consecrationem, censent ad essentiam sacrificii missae pertinere. Hostia seu victima hujus specialissimi sacrificii est Christus, et oportet oblationem ac immolationem, quae ad sacrificium requiruntur, ipsum Christum afficere.

Sed Christus in missa non offertur nec immolatur in propria specie naturali, sed sub speciebus sacramentalibus, et consequenter caetera, quae circa ipsum actione sacrificali fiunt, verificantur in corpore et sanguine Christi, prout sunt in sacramento, et per signa sacramentalia repraesentantur. Hinc species sacramentales non offeruntur, nec immolantur, sed corpus et sanguis Christi sub speciebus. Ipse igitur Christus seu corpus et sanguis Christi, prout continentur hic per modum substantiae, et per signa sacramentalia exhibentur sensibus in habitu externo immolationis ac destructionis, sunt hostia seu victima hujus sacrificii.

454. Scholion II. *Quomodo verificetur immolatio victimae in sola consecratione utriusque speciei.*

Contra doctrinam, quam modo exposuimus, difficultas non parva exsurgit ex definitione sacrificii. Ad rationem quippe sacrificii requiritur immolatio seu destructio victimae, et non facile explicatur, quomodo immoletur aut destruatur Christus, qui est victima hujus sacrificii, in sola consecratione.

Diversi diversimode rem explicant:

1) Qui censent ad rationem sacrificii sufficere quamlibet rei sensibilis etiam in melius immutationem, dicunt in consecratione fieri victimae immutationem, quatenus per destructionem panis et vini *caro et sanguis Christi producuntur in honorem Dei*, et ita victima in melius immutatur. Ita *Suarez* [2].

2) Alii contendunt destructionem aequivalentem victimae fieri in sola consecratione, quatenus Christus per eam constituitur in statu decliviori, seu quatenus humanitas ejus sanctissima, a functionibus et rationibus exsistendi connaturalibus exinanita, reducitur ad statum cibi et potus. Ita *Lugo*, *Franzelin*, et alii [3].

3) Nonnulli dicunt Christum immolari mystice in consecratione, quatenus consecratio vi verborum est actio ex se tendens ad veram occisionem; quia per consecrationem panis ponitur solum corpus, per

---

[1] *Sess.* 22, c. 2; **Denz-Bannw.,** 940.

[2] *De eucharistia*, disp. 75, sect. 5, nn. 6 sqq.

[3] **Lugo,** *De eucharistia*, disp. 19, sect. 5, nn. 65-67; **Franzelin,** *De sacrificio*, th. 16. Huic sententiae favet **Philippus a SS. Trinitate,** cum ait: «Realiter immutatur. . etiam immutatione quodammodo destructiva, per hoc quod ex vi consecrationis ponatur sub speciebus eucharisticis modo praeternaturali; scilicet inextenso et indivisibili in ordine ad extrinseca». *De S. euch. sacramento*, disp. 8, dub. 4.

consecrationem sanguinis solus sanguis, ita ut veluti per accidens sit respectu consecrationis, quod illa peracta sanguis reperiatur in corpore Christi». Ita *Lessius, Gonet,* et alii [1].

4) Alii denique observant victimam seu rem sensibilem hujus sacrificii esse corpus et sanguinem Christi, quatenus sacramentaliter continentur sub speciebus panis et vini; et dicunt hanc victimam seu hostiam mystice immolari ac mactari, in quantum Christus sub speciebus sacramentalibus ponitur, et per eas sensibus nostris repraesentatur *in quodam externo habitu mortis ac destructionis.* Ita *Billot, Van Noort* et *Tanquerey* [2].

Haec ultima theoria magis mihi probatur, quia sufficienter explicat immolationem ac destructionem hostiae, quae in missa offertur. Victima seu hostia hujus sacrificii est, ut diximus, ipse Christus, prout per signa sacramentalia sensibus exhibetur, qui cum externo signo mactationis et mortis sensibus sub speciebus apparet, mystice immolatur ac destruitur, quae immolatio aequivalet in casu destructioni reali.

Fit igitur oblatio realis corporis et sanguinis Christi in eodem actu consecrationis, in recognitionem supremae majestatis cum mystica immolatione victimae, quatenus per species sensibiles nobis apparet victima in habitu externo destructionis, corpus scilicet separatum a sanguine.

Doctrinam sic explicatam tenent SS. Patres. *S. Gregorius Nazianzenus* ait: «Ne cuncteris et orare et legatione fungi pro nobis, quando verbo Verbum attraxeris, quando incruenta sectione secaveris corpus et sanguinem Domini, vocem adhibens pro gladio» [3]. *S. Gregorius Nissenus:* «Perspicuum est, quod ore vesci homo non potest, nis comestionem mactatio praecesserit. Quum igitur dedit discipulis suis corpus comedendum, aperte demonstravit sacrificium agni esse peractum. Non enim esset corpus sacrificii, ut comederetur, idoneum, si animatum esset. Ergo, quando corpus edendum et sanguinem bibendum praebuit, jam arcana et non aspectabili ratione corpus immolatum erat» [4].

455. Scholion III. In hac theoria magis quam in aliis explicationibus requiritur consecratio utriusque speciei ad validitatem sacrificii, non solum ex lege institutionis Christi, qui hoc instituens sacrificium utramque speciem consecravit, verum etiam ad salvandam immolationem et mactationem mysticam victimae. In consecratione quippe unius speciei non exhibetur victima per signa sacramentalia in habitu externo mactationis, dum in consecratione utriusque speciei per species sacramentales repraesentantur corpus et sanguis mystice separata, et Christus incruente immolatus.

---

[1] **Lessius,** *De perf. div.*, lib. 12, c. 13, n. 97; **Gonet,** *De sacram. eucharistiae*, disp. 11, nn. 46 sqq.

[2] **Billot,** *In III p.*, qq. 82-83, th. 54, § 2; **Van Noort,** *De sacramentis*, n. 469; **Tanquerey,** n. 634.

[3] *Ep.* 171 *ad Amphilochium;* MG **280.**

[4] *In Christi resurrectionem*, oratio 1; MG **46,** 612.

ARTICULUS V

QUIS SIT SACERDOS OFFERENS SACRIFICIUM MISSAE

456. Sacrificium Deo non placet, nisi a legitimo ministro offeratur. Hinc oportet ad sacrificium missae celebrandum constitutos esse a jure legitimos ministros.

Porro duplex est sacrificii missae minister, *primarius* et *secundarius*. Declarandum est hic, qui sint hujusmodi ministri sacrificii missae.

457. THESIS I. **Christus Dominus est primarius minister et sacerdos offerens sacrificium missae.**

Arg. 1) *Ex concilio tridentino.* «Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa» [1].

2) *Ex SS. Patribus. S. Ambrosius:* «Etsi nunc Christus non videtur offerri, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur; imo ipse offerre manifestatur in nobis» [2]. *S. Augustinus:* «Et sacerdos est (Christus), ipse offerens, ipse et oblatio. Cujus rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiae sacrificium, quae, cum ipsius capitis corpus sit, se ipsam per ipsum discit offerre» [3].

3) Ratio id ipsum suadet, tum quia Christus dicitur sacerdos in aeternum, cui convenit sacrificium perpetuo offerre; tum quia Christus alios sacerdotes legatos misit, ut nomine ejus sacrificia peragerent, ac proinde videtur ipse simul sacrificium offerre.

458. Scholion. Haec in genere admittuntur a theologis, sed quaestio est, quomodo Christus in singula missarum sacrificia influat.

1) Aliqui volunt ideo Christum esse ministrum primarium sacrificii missae et remote illud offerre: a) quia hoc sacrificium instituit; b) quia ex propriis meritis virtutem ipsi tribuit; et c) quia nomine ejus alii sacerdotes missas celebrant. Ita *Scotus, Biel, Vazquez,* et alii [4].

2) Alii multo communius et verius docent Christum qua sacerdotem supremum immediatius actione instrumentali, actualiter elicita, offerre Deo omnia et singula missarum sacrificia. Ita *Suarez, Gabriel a S. Vincentio, Salmanticenses morales, Salmanticenses scholastici,* et recenter *Sasse* [5].

Ratio hujus doctrinae est, quia humanitas Christi est instrumentum

---

[1] *Sess.* 22, c. 2; **Denz-Bannw.,** 940.

[2] *Enarrationes in ps.* 38, n. 25; ML **14,** 1012.

[3] *De civ. Dei,* lib. 10, c. 20; ML **41,** 298.

[4] **Scotus,** *Quodlib.* 20, a. 1, § «Hic praemittendum»; **Biel,** *De canone missae,* lect. 26 et 27; **Vazquez,** *In III p.,* disp. 225, c. 3.

[5] **Suarez,** *De eucharistia,* disp. 77, sect. 1; **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacrosancto missae sacrificio,* disp. 1, q. 5; **Salmant. morales,** *De missae sacrificio,* c. 2, p. 1, n. 3; **Salmant. schol.,** *De eucharistiae sacramento,* disp. 13, n. 50; **Sasse,** *De eucharistia,* th. 25.

conjunctum divinitati, concurrens ad omnes effectus supernaturales et miraculosos, qui per homines fiunt [1]. Hinc in singulis missarum sacrificiis elicit Christus actum humanae voluntatis, quo se ipsum exhibet mystice immolandum Deoque offerendum ut caput Ecclesiae.

459. THESIS II. **Omnes et soli sacerdotes rite ordinati possunt ut ministri secundarii celebrare et offerre missae sacrificium.**

Omnes sacerdotes rite ordinati.

Arg. 1) In ordinatione sacerdotali dicit episcopus ordinando: «Accipe potestatem offerre sacrificium Deo missasque celebrare tam pro vivis, quam pro defunctis» [2].

2) Munus sacerdotale in hoc praecise consistit, quod oret pro populo, et nomine omnium sacrificia offerat Deo.

Soli sacerdotes rite ordinati.

Lutherus docebat etiam laicos esse sacerdotes et habere facultatem consecrandi. «Re ipsa missae et sacramenti omnes sumus aequales, sacerdotes et laici» [3].

Arg. 1) *Innocentius III* praescripsit waldensibus professionem fidei, in qua expresse dicebatur neminem posse «eucharistiam consecrare nec altaris sacrificium conficere, nisi sit presbyter a visibili et tangibili episcopo regulariter ordinatus» [4].

2) Concilium tridentinum declaravit non omnes christianos in verbo et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem [5].

460. Corollarium. Veteres quidam scriptores ac theologi docuerunt sacerdotem haereticum, praecipue si fuerit ab Ecclesia praecisus, depositus aut degradatus, non posse valide offerre missae sacrificium, quia putabant vel per degradationem in sacerdote deleri characterem, vel saltem degradatum non posse amplius agere nomine ac deputatione Ecclesiae.

Sed hodie certa est sententia, quae docet sacerdotem semel a Deo constitutum ministrum Ecclesiae ad offerendum missae sacrificium, semper manere ad hoc deputatum. Unde sacerdos, quantumvis haereticus, ab Ecclesia praecisus, et degradatus, si missam rite celebret, vere offert sacrificium corporis et sanguinis Domini.

461. Scholion. *De fidelibus offerentibus.* Omnes etiam fideles quodammodo offerunt sacrosanctum missae sacrificium, quatenus unum corpus morale cum sacerdote efficiunt, et per ipsum mediate influunt. Unde sacerdos in missa fidelibus adstantibus dicit: «Orate, fratres, ut meum ac *vestrum sacrificium* acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem» [6]. Et in canone dicit: «Et omnium circumstantium, quorum

---

[1] **Gabriel a S. Vincentio,** *De sanctissimo missae sacrificio*, disp. 1. q. 5, defendit Christum concurrere ut causam physicam principalem, non tantum ut instrumentalem, ad sacrificium missae offerendum.

[2] *Pontificale romanum*, «De ordinatione presbyteri».

[3] *De capt. babyl.*, De sacramento altaris, «Deinde publice».

[4] **Denz-Bannw.,** 424.

[5] *Sess. 7, De sacram. in genere*, can. 10; **Denz-Bannw.,** 853.

[6] *Missale romanum* ante orationes secretas.

tibi fides cognita est et nota devotio; pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt» [1].

Ad rem praeclare *S. Petrus Damianus:* «In quibus verbis (canonis) patenter ostenditur, quod a cunctis fidelibus, non solum viris, sed etiam mulieribus, sacrificium illud laudis offertur; licet ab uno specialiter offerri sacerdote videatur; quia, quod ille offerendo manibus tractat, hoc multitudo fidelium intenta mentium devotione commendat. Quod illic quoque declaratur, ubi dicitur: *Hanc igitur oblationem*, etc. Quibus verbis luce clarius constat, quia sacrificium, quod a sacerdote sacris altaribus superponitur, a cuncta Dei familia generaliter offeratur» [2].

Non tamen omnes fideles eodem modo hoc sacrificium offerunt. Alii generalissime, quatenus constituunt societatem christianam, quae per ministros legitime deputatos offerri facit missae sacrificium. Alii immediatius, quatenus sacerdotem stipe vel precibus movent ad sacrificium celebrandum. Alii denique specialiori modo, quatenus missae praesentes adsunt, caeremoniis missae participant, aut sacerdoti legenti respondent ac serviunt.

ARTICULUS VI

DE HABITUDINE SACRIFICII MISSAE AD SACRIFICIUM CRUCIS, AD SACRIFICIUM ULTIMAE COENAE, ET AD SACRAMENTUM EUCHARISTIAE

462. I. Sacrosanctum missae sacrificium, quod in altari offertur, idem est quoad substantiam ac sacrificium crucis [3]. *Eadem* siquidem est *victima*, Jesus Christus, cujus corpus et sanguis separata sunt cruente in cruce, et mystice separantur in altari. *Idem est sacerdos seu offerens principalis*, Christus Dominus.

II. Differt a sacrificio crucis quoad accidentalia: 1) sacrificium crucis fuit cruentum, sacrificium missae incruentum; 2) Christus in cruce oblatus est mortalis, hic vero immortalis; 3) in cruce semel oblatus est, in altari saepe; 4) in cruce solutum est Deo pretium redemptionis, hic applicatur redemptis.

III. Sacrificium missae a fortiori est essentialiter idem ac sacrificium oblatum a Christo in ultima coena. Eadem enim est in utroque victima, idem principalis offerens, imo idem modus offerendi, quatenus in utroque incruente ac mystice oblatus est Christus.

Differt tamen quoad aliquas circumstantias, quia in ultima coena significata est passio Christi ut futura, in missa autem ut praeterita; in coena oblatus est Christus mortalis ac passibilis, in missa immortalis ac impassibilis.

IV. Licet eadem actione conficiantur sacrificium missae et sacramentum eucharistiae, et sint quoddam signum sacrum, in multis tamen

---

[1] *Missale romanum* post *Memento* pro vivis.

[2] *Opusc.* 11; *Liber qui dicitur Dominus vobiscum*, c. 8; ML **145,** 237.

[3] **Suarez,** disp. 76, sect. 1, n. 1 sqq.; **Pesch,** *De eucharistia*, n. 916, dicunt sacrificum missae esse specifice distinctum a sacrificio crucis.

differunt inter se: 1) Sacrificium missae constituitur actione transeunte seu sola consecratione, sacramentum consistit in speciebus permanentibus; 2) sacrificium primario significat interiorem cultum, sacramentum vero gratiam sanctificantem; 3) sacrificium omnibus, sacramentum soli prodest sumenti.

ARTICULUS VII

QUI SINT EFFECTUS SACRIFICII MISSAE

463. 1) Sacrificium potest esse a) *latreuticum*, quatenus ordinatur ad agnoscendum supremum Dei in nos dominium, cultumque Deo tribuendum; b) *eucharisticum*, quatenus divinae majestati gratias refert pro collatis beneficiis; c) *propitiatorium*, quatenus offertur Deo ad conciliandam divinam misericordiam et obtinendam remissionem peccatorum; d) *impetratorium*, quatenus offertur ad obtinenda beneficia in futurum [1].

2) Quaerimus, an sacrificium missae praefatos quatuor effectus producat.

464. THESIS. **Sacrificium missae est simul latreuticum, eucharisticum, propitiatorium, et impetratorium.**

Probatur primo in genere.

Arg. 1) Concilium tridentinum definit: *Si quis dixerit missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium* [2], *vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere, a. s.* [3].

2) Sacrificium missae est idem substantialiter ac sacrificium crucis. Sed sacrificium crucis simul fuit latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium, et fructus, qui his vocabulis significantur, produxit. Ergo.

Probatur in particulari.

I. *Est latreuticum.*

Latreuticum venit a latria, et est sacrificium, quod ordinatur ad agnoscendum supremum Dei dominium, et ad tribuendum Deo cultum. Sacrificium autem missae agnoscit supremum Dei dominium tribuitque Deo cultum, ut constat ex ejus germana notione. Oblatio siquidem Jesu Christi sub speciebus panis et vini Deo facta, ejusque mactatio per mysticam separationem corporis et sanguinis, prout specierum signo

---

[1] *Propitiatorium* et *impetratorium* possunt sub uno vocabulo intelligi, quia in propitiatione includitur impetratio beneficiorum, quatenus offensum reddere propitium simul est ipsum placare, et ad beneficia conferenda inclinare. Cfr. **Billot,** *De sacramentis*, th. 55 in nota. Morem tamen theologorum sequuti quatuor genera sacrificiorum numeravimus, ut melius intelligatur hos omnes effectus per missae sacrificium produci.

[2] Sub vocabulo *propitiatorium* intelligit simul *impetratorium*.

[3] *Sess.* 22, can. 3; **Denz-Bannw.,** 950.

sensibus nostris exhibetur, protestatur supremum Dei dominium erga nos, et demonstrat nos in Dei servitium mancipari. Est igitur missa sacrificium latreuticum.

Hinc sacrificium missae per se institutum est ad Deum colendum. Soli enim Deo, non sanctis, victimam in missa offerimus.

Nihil tamen obstat, quominus missas celebremus in honorem sanctorum. Primo quidem, ut sanctorum agmini adsociati fructuosius offeramus sacrificia ad Deum. Et secundo, ut sancti «pro nobis intercedere dignentur in caelis, quorum memoriam agimus in terris» [1].

II. *Est eucharisticum.*

Nulla quippe est in Ecclesia clarior pro beneficiis acceptis gratiarum actio, quam oblatio incruenta Filii Dei ad Patrem. Hac oblatione recordamur nos a peccati servitute esse solutos et in societatem filiorum Dei esse cooptatos.

III. *Est propitiatorium.*

Nota. Protestantes facile concedunt sacrosanctum missae sacrificium esse latreuticum et eucharisticum, quia agnoscunt in missa aliquem Dei cultum celebrari gratiasque Deo referri, sed obstinate negant missae sacrificium esse *propitiatorium* et *impetratorium*. Ita *Lutherus, Melanchthon, Calvinus,* et alii [2].

Arg. 1) Sacrificium crucis, fatentibus protestantibus, fuit propitiatorium. Sed sacrificium missae est substantialiter idem ac sacrificium crucis. Ergo sacrificium missae est propitiatorium.

2) Sacrificium coenae fuit propitiatorium, ut patet ex verbis, quae in consecratione protulit Christus: *Hic est sanguis meus... qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* [3]. Ergo et sacrificium missae est propitiatorium.

3) Concilium tridentinum expresse condemnat eos, qui dixerint sacrificium missae non esse *propitiatorium* [4].

4) Sancti Patres uno ore confitentur hanc doctrinam. *S. Cyrillus hierosolymitanus* victimam hujus sacrificii diserte vocat *propitiationis hostiam* [5]. *S. Augustinus* ait: «Illis sacrificiis (veteris testamenti) unum hoc sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum» [6].

5) *Antiquissimae liturgiae* idem confirmant. *In liturgia S. Jacobi* legitur: «Tribuisti nobis (Dominator Domine)... ut accedamus ad tuum sanctum altare et offeramus tibi hoc tremendum et incruentum sacrificium pro nostris peccatis et pro populi ignorantiis» [7]. *In liturgia S. Basilii:* «Suscipe etiam nos... ut digni simus, qui offeramus tibi hoc rationabile et incruentum sacrificium pro nostris peccatis et populi ignorantiis» [8].

---

1 *Missale romanum,* oratione *Suscipe* post offertorium.

2 **Lutherus,** *De abrog. missa priv.,* 2 p., «Denique»; **Melanchthon,** *De usu sacramenti et sacrificio,* «Accedit et sacrificium»; **Calvinus,** *Inst.,* lib. 4, c. 18, n. 13.

3 *Matth.,* 26, 28.

4 *Sess.* 22, can. 3; **Denz-Bannw.,** 950.

5 *Catechesi* 23 (myst. 5), n. 8; MG **33,** 1116.

6 *Quaest. in Heptateuch.,* 3, 57; ML **34,** 704.

7 Apud **Maximilianum,** *Prael. de liturgiis orient.,* t. 2, p. 31.

8 Apud **Maximilianum,** *Praelect. de lit. orient.,* t. 2, p. 288.

Hoc tamen non ita intelligendum est, ut Christus in missa oblatus aliquid de novo mereatur, sed quatenus in missa oblatus ac mystice immolatus fructum satisfactorium et meritorium sacrificii crucis nobis applicat [1]. Hoc quippe sacrificum institutum est, ut «cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur... atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae in nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur» [2].

Corollarium. Ex hoc sequitur sacrificium missae remittere peccata mortalia, quia «hujus... oblatione placatus Dominus gratiam et donum poenitentiae concedens crimina et peccata etiam ingentia dimmittit» [3].

Remittit etiam a fortiori peccata venialia, quia facilius venialia quam mortalia remittuntur.

Remittit quoque poenas debitas pro peccatis vivorum et mortuorum. *Si quis dixerit*, ait concilium tridentinum, *missae sacrificium... soli prodesse sumenti; neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere, a. s.* [4].

IV. *Est impetratorium.*

1) *S. Cyrillus hierosolymitanus* ait: «Universim pro omnibus, qui opis indigent, precamur nos omnes, et hanc victimam offerimus» [5].

2) Si pacificis hostiis olim obtinebant homines dona ac beneficia tum temporalia tum spiritualia, ut patet ex sacris Veteris Testamenti paginis (Cfr. II, Reg., c 24), quanto magis elargietur nobis Deus beneficia per sacrificium missae, in quo offertur Rex pacificus?

ARTICULUS VIII

QUOMODO SACRIFICIUM MISSAE PRODUCAT SUOS EFFECTUS

465. Status quaestionis. 1) Dupliciter dicitur aliquid per missae sacrificium produci, nempe *ex opere operato* et *ex opere operantis*. Producitur *ex opere operato*, quod causatur ex ipsa dignitate sacrificii et meritis Jesu Christi instituentis; producitur *ex opere operantis*, quod causatur ex meritis sacerdotis et fidelium offerentium.

2) Sacrificium missae producit effectus *infallibiliter*, quando nullatenus impeditur in sua efficacia, ut cum refert Deo gratiarum actiones; et *fallibiliter*, quando potest impediri ex defectu cooperationis humanae voluntatis, ut cum ordinatur ad remittenda peccata.

3) Aliquos effectus producit *immediate* sine ulla interveniente causa; alios causat *mediate*, tribuendo homini auxilia necessaria ad producendos effectus.

466. Error. Protestantes in hac quaestione abhorrent a voce et significatione *ex opere operato* [6].

---

[1] Cfr. **Van Noort,** *De sacramentis*, n. 481.
[2] *Conc. trid., sess.* 22, c. 1; **Denz-Bannw.,** 938.
[3] *Conc. trid., sess.* 22, c. 1; **Denz-Bannw.,** 940.
[4] *Sess.* 22, can. 3; **Denz-Bannw.,** 950.
[5] *Catech.* 23 (mystagogica 5), n. 8; MG **33,** 1115.
[6] Cfr. **Melanchthon,** *De vocabulo missae.*

467. I. *Sacrificium missae producit ex opere operato, infallibiliter et immediate omnes effectus latreuticos et eucharisticos.*

Sacrificium missae, independenter a meritis et devotione sacerdotis et fidelium offerentium, ex se et ex propria dignitate, quam habet ex institutione Christi, in quantum est oblatio atque immolatio mystica Jesu Christi, agnoscit supremum Dei dominium et refert Deo gratiarum actiones.

468. II. *Sacrificium missae ex opere operato, non infallibiliter nec immediate, sed fallibiliter et mediate, producit effectus propitiatorios seu remissionem peccati mortalis ac poenae, quatenus agit ex se quidem, sed dependenter a cooperatione humanae voluntatis (fallibiliter), et movet Deum ad dandum homini auxilia pro eliciendis actibus, quibus respective mortalia, venialia et poenae remittuntur (mediate).*

Ex opere operato.

Sacrificium missae producit effectus propitiatorios, non intuitu meritorum ac devotionis sacerdotis fideliumque offerentium, sed ex se et ex propria dignitate, quam habet ex institutione Christi, cujus merita applicat homini sicut sacramenta virtute instrumentali a Christo accepta independenter a meritis et moralitate ministri. Hac ratione missa oblata a sacerdote indigno prodest homini, pro quo offertur.

Dices. Per sacrificium missae: 1) peccator non fit ex attrito contritus; 2) peccata remittuntur per modum impetrationis; et 3) non semper peccator justificatur. Haec autem innuunt sacrificium missae non remittere peccata *ex opere operato*. Ita *Suarez* [1].

Resp. Haec objectio procedit ex confusa intelligentia verborum *ex opere operato*. Ad remittenda peccata ex opere operato non requititur, ut semper et infallibiliter culpa deleatur, sed sufficit, ut causa ex virtute propria vel ex meritis Christi effectum producat, quamvis aliquando frustretur. Effectus semper sequitur, si causa ex opere operato simul et immediate ac infallibiliter operetur, sed si mediate et per cooperationem humanae voluntatis operetur, non semper producit effectum. Sacrificium autem missae non immediate nec infallibiliter remittit peccata hominum, ut statim dicemus.

Non infallibiliter.

Quamvis enim sacrificium missae virtutem habeat placandi Deum in favorem peccatoris, ad remissionem tamen peccati requiritur omnino cooperatio humanae voluntatis rejicientis propriam culpam. Haec ubi deficit, impeditur effectus propitiationis sacrificii missae.

Non immediate.

Sacrificium siquidem missae non agit immediate in peccatorem, sicut sacramenta, sed impetrat et movet Deum, ut conferat peccatori auxilium, quo possit elicere actum poenitentiae ad obtinendam remissionem peccati mortalis, vel actum formalem aut virtualem caritatis ad remissionem peccati venialis. «Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit» [2].

469. III. *Sacrificium missae infallibiliter et immediate relaxat tum*

[1] *De sacramentis*, disp. 83, sect. 4, n. 4.

[2] *Concilium trid., sess.* 22, c. 2; **Denz-Bannw.,** 940.

in vivis tum in defunctis poenam temporalem peccatis remissis debitam, vel in toto vel in parte.

Remissio poenae non fit actu debitoris sed gratia creditoris. Creditor enim, supposita dispositione subjecti, relaxat poenam directe, quin necesse sit actus speciales creditoris excitare, quia fit per remissionem debiti. Cum igitur quoquo modo offeratur pretium debiti creditori, hic illud acceptat, et directe debitum condonat. Sacrificium autem missae offert, ut dicemus inferius, valorem sufficientem ad solvendum omne debitum peccatorum. Ergo.

Dixi *in toto vel in parte*, quia applicatio valoris missae et inde remissio poenae non semper fit integre debitori. Ex hoc deprehenditur convenientia, ut pro uno eodemque debitore offerantur et applicentur plures missae.

Si quaeras, qua proportione remittantur tum vivis tum defunctis poenae temporales per applicationem missae, non est facilis responsio.

Plures dicunt applicationem valoris missae tum vivis tum defunctis fieri juxta beneplacitum Dei et Christi, qui secundum magnam misericordiam suam pro suo arbitrio distribuit bona hominibus, et dimittit, quibus vult et quomodo vult, debita temporalia. Ita *Lehmkuhl* et alii [1].

Alii defendunt sacrificium missae remittere poenas temporales: 1) *Vivis* secundum dispositionem et devotionem, quam actu habent, adeo ut homini habenti debitum ut centum et dispositionem ut viginti per singulas missas remittatur debitum ut viginti, et applicandae sint quinque missae ad totalem exstinctionem debiti; 2) *defunctis* autem «per respectum ad devotionem et dispositionem, quam homo habuit in morte vel morti proximus» [2]. Ex quo fit ut ex habentibus idem debitum in purgatorio unus majori numero missarum indigeat quam alter ad totalem liberationem. Ita *Salmanticenses* [3].

Huic secundae sententiae favere visus est *S. Thomas*, cum ait: «Quamvis ergo haec oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni poena, tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem suae devotionis, et non pro tota poena» [4].

470. IV. *Sacrificium missae ex opere operato, infallibiliter et immediate deprecatur ac movet Deum, ut hominibus offerat vel bona spiritualia et materialia, vel gratias sufficientes ad bona consequenda, sed collatio horum bonorum saepe fallitur ob resistentiam humanae voluntatis.*

Sacrificium siquidem missae ex opere operato, infallibiliter et immediate agit ea omnia, quae referuntur ad Deum, ut tribuere Deo cultum, referre gratiarum actiones, etc. Deprecari autem ac movere Deum, ut bona hominibus offerat vel etiam gratias sufficientes eis conferat, est negotium, quod cum solo Deo agitur. Unde sacrificium missae ex opere operato, infallibiliter et immediate hoc agit. Ipsa tamen bonorum collatio objectiva saepe dependet ab hominum voluntate, quae non semel fallitur et frustrat effectum.

---

[1] *De eucharistia*, n. 253.
[2] **Salmanticenses,** *De eucharistiae sacramento*, disp. 13, 123.
[3] *De eucharistiae sacramento*, disp. 13, n. 123.
[4] *III p.*, q. 79, a. 5.

471. V. *Sacrificium missae producit secundario omnes, quos retulimus, effectus ex opere operantis ob meritum et devotionem sacerdotis celebrantis et fidelium offerentium.*

Duo sunt in missa consideranda: 1) Ipsum scilicet sacrificium incruentum, quod est oblatio cum immolatione victimae valoris infiniti, et hoc producit effectus enumeratos ex opere operato; et 2) orationes ac preces Ecclesiae, quas sacerdos nomine Ecclesiae recitat ad obtinendos eosdem effectus. Quo autem majori devotione et fervore praedictae orationes recitentur, magis laudant Deum atque movent ad miserendum et elargienda beneficia.

Hinc missa celebrata a sacerdote indigno producit effectus proprios sacrificii ex opere operato, non vero effectus, quos producere deberet ex opere operantis.

ARTICULUS IX

UTRUM VALOR SACRIFICII MISSAE SIT INFINITUS

472. Status quaestionis. 1) Valor sacrificii missae, quantum ad praesens attinet, consistit in dignitate, quam habet ex parte victimae oblatae et offerentis principalis, et in virtute seu efficacia, quae ex illa dignitate oritur ad producendos effectus sacrificales.

2) Infinitum est, quod caret limite. Dignitas potest esse *physice infinita*, quando ejus subjectum in perfectionibus absolutis caret limitibus, ut Deus; vel *moraliter infinita*, quando secundum prudens judicium aestimatur illimitata, ut valor satisfactorius operum Christi dicitur infinitus.

3) Virtus seu efficacia dicitur infinita, si in se nullatenus limitatur, id est, si extensive potest omnes effectus sine fine producere.

473. I. *Valor seu pretium missae, qui attenditur penes dignitatem rei oblatae et principalis offerentis, est infinitus, et secundum prudentem aestimationem augeri non potest.*

Victima, quae in hoc sacrificio offertur, et sacerdos principalis, qui sacrificium offert, est ipse Christus infiniti valoris. Ergo valor missae sensu, quo diximus, est infinitus.

II. *Virtus quoque seu efficacia missae ad producendos effectus sacrificales ex se in actu primo est illimitata.*

Virtus seu efficacia hujus sacrificii enascitur ab ipso Christo, qui est victima et offerens principalis in missa. Sicut ergo Christus, habet valorem infinitum, missa etiam, in qua offertur Christus, habet efficaciam illimitatam.

III. *Valor sacrificii missae, qui attenditur penes dignitatem Ecclesiae, sacerdotis celebrantis, et fidelium offerentium, est omnino finitus.*

Hic enim valor competit meritis et devotioni creaturarum, ac proinde est finitus.

IV. *Fructus sacrificii missae in actu secundo est semper finitus, quamvis extensive possit syncathegorematice sine fine augeri.*

Ratio est, quia valor fructus missae in actu secundo dependet a

devotione et dispositionibus subjecti, quae in praxi limitant effectus causae infiniti valoris.

Ex quo proveniat haec limitatio, diximus articulo superiori.

ARTICULUS X

PRO QUIBUS OFFERATUR SACRIFICIUM MISSAE

474. Status quaestionis. 1) Efectus sacrificii missae potest esse, sicut diximus superius, latreuticus, eucharisticus, propitiatorius et impetratorius, qui non semper simul producuntur, et juxta diversitatem fructuum, diversa sunt subjecta sacrificii missae.

2) Fructus iterum sacrificii missae potest esse *generalis*, quatenus missa offertur nomine Ecclesiae, et debetur omnibus fidelibus; *specialis*, quatenus offertur nomine adstantium, mandantis vel stipem dantis, et applicatur eisdem; *specialissimus*, quatenus offertur nomine sacerdotis offerentis, et debetur ipsi sacerdoti. Horum fructuum meminit sacerdos in missa dicens: «Hanc immaculatam hostiam offero tibi... pro innumerabilibus peccatis *meis*, et pro omnibus *circumstantibus*, sed et pro *omnibus fidelibus*» [1].

3) Homines in societate sunt diversae conditionis; sunt quippe vivi ac defuncti, christiani ac infideles, justi et peccatores, membra Ecclesiae ac excommunicati, etc.

4) Quaeritur, pro quibus et quomodo possit sacrificium missae offerri.

I. *Sacrificium missae offerri potest pro quibuslibet hominibus vivis atque defunctis, salvis exceptionibus infra referendis.*

Concilium tridentinum expresse ait: *Si quis dixerit missae sacrificium... soli prodesse sumenti; neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere, a. s.* [2].

Codex Juris Canonici haec habet: «Integrum est missam applicare pro quibusvis tum vivis tum etiam defunctis, purgatorio igne admissa expiantibus, salvo praescripto canone 2262, § 2, n. 2» [3].

Ex hoc consequitur missae sacrificium certe offerri posse pro omnibus fidelibus baptizatis, sive vivis sive defunctis, quia sunt membra Ecclesiae, et ut tales possunt fructum sacrificii percipere.

Hinc sacrificium missae quoad fructum propitiatorium et impetratorium prodest:

1) Pueris baptizatis quoad beneficia in futurum conferenda.

2) Peccatoribus fidelibus quantum ad remissionem peccatorum et extinctionem poenae.

3) Animabus purgatorii quantum ad exstinctionem debiti.

4) Catechumenis, haereticis, et infidelibus, quoad eorum conversionem ac remissionem peccatorum.

---

[1] *Missale romanum* in oblatione post offertorium.
[2] *Sess.* 22, can. 3; **Denz-Bannw.,** 950.
[3] *Codex Juris Canonici*, can. 809.

II. *Lege tamen positiva sequentia ordinantur:*

1) *De vivis.* «Excommunicatus non fit particeps... publicarum Ecclesiae precum» [1], cujusmodi est missa celebrata nomine Ecclesiae.

«Non prohibentur tamen... sacerdotes missam privatim ac remoto scandalo pro eo applicare; sed, si sit vitandus, pro ejus conversione tantum» [2].

2) *De defunctis.* Vetamur missam exequialem etiam anniversariam applicare defunctis, qui sepultura ecclesiastica privantur a jure juxta canones 1239 et 1240 [3].

---

1 *Codex Juris Canonici*, can. 2262.
2 *Codex Juris Canonici*, can. 2262, § 2, n. 2.
3 *Codex Juris Canonici*, can. 1241.

SECTIO V

DE SACRAMENTO POENITENTIAE

QUAESTIO XXVI

DE EXSISTENTIA SACRAMENTI POENITENTIAE

ARTICULUS I

NOTIONES PRAEVIAE

475. I. *Poenitentia*, si nomen spectes, idem est ac *poenam tenere*, quia omnia in poenitentia significant poenam concipere de peccatis, cum displicent nobis praeterita, detestamur peccata commissa et adhibemus opera poenalia.

II. *Poenitentia dupliciter accipi solet:* 1) In quantum est virtus supernaturalis, moralis, pertinens ad justitiam commutativam, quae nos inclinat ad detestationem peccati commissi contra Deum, et nos movet ad propositum emendationis et satisfactionis. 2) Quatenus est sacramentum, in quo homo contritus, confessus et ad satisfactionem dispositus a sacerdote juridice absolvitur a peccatis post baptismum commissis.

De poenitentia, ut est sacramentum, praesertim hic agitur.

III. *Sortitur varia nomina.* Vocari consuevit: 1) Ab actu poenitentis *confessio:* 2) a ritu, quo aliquando conferebatur, *manuum impositio;* 3) ab effectu, quem producit, *sacramentum reconciliationis;* 4) ab ipsa sua natura communiter et proprie *sacramentum poenitentiae.*

ARTICULUS II

ERRORES CIRCA EXSISTENTIAM SACRAMENTI POENITENTIAE

476. Plures haeretici impugnarunt exsistentiam hujus sacramenti. Saeculo II *montanistae* negaverunt Ecclesiae relictam fuisse potestatem remittendi homicidium, idololatriam, negationem, blasphemiam, moechiam et fornicationem [1], imo ipse *Tertullianus*, postquam ad castra montanistarum convolavit, dixit soli Petro relictam fuisse potestatem clavium [2].

1 Cfr. **Tertullianus,** *De pudicitia*, c. 19; ML **2,** 1071 sqq.
2 *De pudicitia*, c. 21; ML **2,** 1077 sqq.

Saeculo III *novatiani* negaverunt primo Ecclesiam habuisse facultatem remittendi lapsis peccata enormia, et deinde potestatem remittendi quodlibet peccatum post baptismum commissum [1].

Saeculo IV *donatistae* putaverunt peccatum traditionis ita grave esse, ut a nemine possit in Ecclesia remitti.

Saeculo XII *Abaelardus* defendit potestatem ligandi atque solvendi apostolis tantum non eorum successoribus datam fuisse [2].

Saeculo XVI reformatores quoad exsistentiam hujus sacramenti sequentia dixerunt:

Lutherus primo quidem ait: «Principio neganda mihi sunt septem sacramenta, et tria tantum pro tempore ponenda, baptismus, poenitentia et panis» [3]. Sed deinde addidit: «Si rigide loqui velimus, tantum duo sunt in Ecclesia Dei sacramenta, baptismus et panis» [4].

Calvinus: «Mendacium ergo et impostura fuit, quod de sacramento poenitentiae commenti sunt (romanenses et scholastici)... Aptissime itaque dixeris, si baptismum vocaveris poenitentiae sacramentum» [5].

Hodierni protestantes, si ritualistas excipias, negant plane poenitentiam esse sacramentum. Hinc ecclesia anglicana et eclesia episcopalis americana articulo 25 ex triginta novem religionis articulis, quos admittunt, negant poenitentiam in Evangelio enumerari ut sacramentum [6]; et in parvo catechismo, quem habent pro fidelium instructione, duo sacramenta, scilicet baptismum et coenam, ponunt [7].

Indifferentes et *rationalistae* blaterant sacramentum poenitentiae esse inventum Ecclesiae catholicae ad exercendum suum despoticum influxum in conscientias hominum.

Modernistarum denique theoria his verbis exprimitur: «Non adfuit in primitiva Ecclesia conceptus de christiano peccatore auctoritate Ecclesiae reconciliato, sed Ecclesia nonnisi admodum lente hujusmodi conceptui assuevit. Immo etiam postquam poenitentia tanquam Ecclesiae institutio agnita fuit, non appellabatur sacramenti nomine, eo quod haberetur uti sacramentum probrosum» [8].

Hi sunt errores praecipui circa veritatem sacramenti poenitentiae.

Fuerunt etiam plurimae hominum aberrationes circa institutionem, naturam, partes, ministrum, etc., hujus sacramenti, sed de his inferius.

ARTICULUS III

UTRUM CHRISTUS INSTITUERIT VERUM SACRAMENTUM POENITENTIAE

477. Status quaestionis. 1) Quamvis inferius ex professo explicanda sit natura hujus sacramenti, ad resolutionem tamen quaestionis propositae operae pretium est notionem praemittere sacramenti, quod in Ecclesia administratur ad remittenda peccata post baptismum commissa.

Constituitur in Ecclesia tribunal, in quo reus et actor est peccator,

[1] Cfr. **Wouters,** *Hist. eccl. comp.*, epocha 2, n. 72. «Non hoc quidem, ajebat **S. Ambrosius** novatianis, auctor vestri erroris Novatianus, qui nemini poenitentiam dandam putavit». *De poenitentia*, lib. 1, c. 3, n. 10; ML **16,** 489.

[2] *Errores Abaelardi*, error 12; **Denz-Bannw.,** 379.

[3] *De captiv. babyl. Ecclesiae*, § «Principio».

[4] *De captiv. babyl. Ecclesiae*, «Proprie tamen».

[5] *Instit.*, lib. 4, c. 19, n. 17.

[6] *Articles of Religion*, art. 25.

[7] *The Book of common Prayer;* «A catecism.», versus finem.

[8] Decreto *Lamentabili*, prop. 46; **Denz-Bannw.,** 2046. Hunc gravissimum errorem late exponit ac defendit **Loisy,** *L'Evangile et l'Eglise*, pp. 196 sqq.

et judex est sacerdos auctoritatem Christi gerens. Reus igitur, qui se ipsum accusat, dolet de peccatis, atque satisfactionem promittit, auditur a sacerdote, et, poena imposita, juridice absolvitur.

2) Administratur in hoc tribunali verum sacramentum a Christo Domino institutum?

Quaestio, ut vides, est maximi momenti, et proxime tangit vitam spiritualem Ecclesiae catholicae. Quare, accurate exponenda est vera doctrina.

478. Errores. Osores hujus sacramenti numerantur hodie *omnes protestantes*, exceptis ritualistis, *rationalistae*, atque *modernistae*, juxta dicta articulo superiori.

479. THESIS. 1) **Christus instituit in Ecclesia verum sacramentum poenitentiae a sacramento baptismi distinctum**; 2) **et ordinavit, ut illud per potestatem clavium apostolis eorumque successoribus et sacerdotibus concessam in actu judiciali exerceretur**; 3) **in absolvendis peccatoribus contritis ac confessis a quibuslibet peccatis post baptismum commissis.**

Pars 1.ª Christus instituit verum sacramentum poenitentiae.

Arg. I. *Ex concilio tridentino. Si quis dixerit in catholica Ecclesia poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum, a. s.* [1].

II. *Ex S. Scriptura*: 1) Christus Dominus promisit Petro in vita potestatem clavium, qua remittenda erant peccata [2]; et deinde dixit apostolis: *Amen, amen dico vobis: quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo* [3].

Hic promissa est apostolis eorumque successoribus potestas solvendi omnia vincula moralia, quibus solent homines detineri in adipiscenda salute, sicut in persona apostolorum cunctis sacerdotibus collata est potestas docendi, baptizandi, consecrandi, etc. Vincula autem, quibus homines detinentur in adipiscenda salute, sunt peccata, ut profunde demonstrat *Palmieri* [4] ex consideratione triplicis vinculi, legis, poenae et culpae; et constat ex verbis parallellis S. Joannis, 20, 23, ubi certe agitur de potestate remittendi peccata.

2) Hanc potestatem promissam contulit Christus apostolis eorumque successoribus dicens: *Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit: et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt* [5].

---

[1] *Sess.* 14, can. 1, *De poenitentia*; **Denz-Bannw.**, 911.

[2] *Matth.*, 16, 19.

[3] *Matth.*, 18, 18.

[4] *De poenitentia*, th. 8.

[5] *Joan.*, 20, 21-23. Immerito contendunt protestantes in his verbis agi de remissione peccatorum per excitationem ad fidem. Ad excitationem enim producendam non requirebatur, ut apostoli acciperent Spiritum Sanctum.

Per haec verba collata est apostolis potestas remittendi peccata; tum quia in sensu biblico solvere peccata idem est ac ea remittere; tum quia Christus misit apostolos sicut ipsum misit Pater; id est, sicut Pater misit Filium suum redimere peccata potestate divina, ita Filius misit apostolos remittere peccata potestate ministeriali instructos. Ad hoc dedit eis Spiritum Sanctum, ut specialem haberent facultatem.

Unde concilium tridentinum «verissimum hunc verborum Domini sensum... probans et recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem praedicandi verbum Dei et Christi Evangelium annuntiandi, contra hujusmodi sacramenti institutionem, falso detorquent» [1]. Deinde doctrinam catholicam de institutione sacramenti poenitentiae tradidit dicens: *Si quis dixerit verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* (Joan., 20, 21 sqq.), *non esse intelligenda de potestate remittendi peccata in sacramento poenitentiae, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem hujus sacramenti, ad auctoritatem praedicandi Evangelium, a. s.* [2].

3) Potestas remittendi peccata, quam contulit Christus apostolis eorumque successoribus, erat valde distincta a munere baptizandi.

a) Hoc certe innuunt ipsa evangelica verba, quibus simul collata est potestas remittendi ac retinendi peccata, quae in munere baptizandi non includitur.

b) Potestatem baptizandi tribuit Christus apostolis, cum eos misit docere et baptizare omnes gentes [3], hic autem contulit eis potestatem remittendi peccata.

c) Concilium tridentinum diserte hoc docuit his verbis: *Si quis sacramenta confundens, ipsum baptismum poenitentiae sacramentum esse dixerit, quasi haec duo sacramenta distincta non sint, atque ideo poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, a. s.* [4].

III. *Ex SS. Patribus.* In *Didaché* agitur jam de delictis confitendis. «Frangite panem, et gratias agite, *postquam delicta vestra confessi estis*, ut sit mundum sacrificium vestrum» [5].

Tertullianus: «Cum accusat, cum condemnat, absolvit» [6]. Et montanista effectus, non exsistentiam, sed virtutem negavit hujus sacramenti ad graviora remittenda peccata.

S. Cyprianus: «Confiteantur singuli, quaeso vos, delictum suum, dum adhuc, qui deliquit, in saeculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Deum grata est» [7].

Firmilianus: «Potestas ergo peccatorum remittendorum apostolis

---

[1] *Sess.* 14, *Doctrina de sacramento poenitentiae*, c. 1; **Denz-Bannw.,** 894.

[2] *Sess.* 14, can 3, *De sacramento poenitentiae;* **Denz-Bannw.,** 913. Modernistae ausi sunt defendere verba S. Joannis minime referri «ad sacramentum poenitentiae, quidquid Patribus tridentinis adserere placuit». Decret. *Lamentabili*, prop. 47; **Denz-Bannw.,** 2047.

[3] *Matth.*, 28, 19.

[4] *Sess.* 14, can. 2, *De sacramento poenitentiae;* **Denz-Bannw.,** 912.

[5] *Didaché*, 14; **Journel,** *Enchiridion Patristicum*, 8.

[6] *De poenitentia*, c. 9; ML **1,** 1355.

[7] *De lapsis*, n. 29; ML **4,** 503.

data est et ecclesiis, quas illi... a Christo missi constituerunt, et episcopis, qui iis ordinatione vicaria successerunt» [1].

S. Athanasius: «Si nondum soluta sunt vincula tua, trade te ipsum discipulis Jesu. Adsunt enim, qui nos solvunt, accepta ea a Salvatore potestate his verbis: *quodcumque ligaveritis*, etc., ac: *quorum remiseritis*, etc., [2].

IV. *Ex ratione.* Cum Christus commiserit Ecclesiae, ut per sacramenta vitam spiritualem in fidelibus generaret, augeret, nutriret, operae pretium fuit, ut potestatem ipsi conferret reparandi vitam spiritualem, ubi amitteretur, per sacramentum poenitentiae.

Pars 2.ª Christus ordinavit, ut hoc sacramentum per potestatem clavium apostolis eorumque successoribus et sacerdotibus concessam in actu judiciali exerceretur.

1) *Hoc sacramentum per potestatem clavium administratur.*

Cum Christus primo promitteret Petro hanc potestatem, ait: *Tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis* [3].

Id ipsum promissum est deinde omnibus apostolis [4].

Ac denique haec potestas collata est omnibus apostolis apud Joannem, 20, 21 sqq., sicut diximus superius.

Potestas autem remittendi peccata merito vocatur *potestas clavium*, quia, sicut portae aperiuntur clavibus, ita aditus regni caelorum aperitur peccatori potestate absolvendi a peccatis.

Unde sacramentum penitentiae administratur per potestatem clavium.

2) *Per potestatem apostolis eorumque successoribus ac sacerdotibus concessam.*

Hanc potestatem non tantum apostolis sed etiam eorum legitimis successoribus fuisse collatam multiplici probatur argumento.

a) Apostolis siquidem haec potestas data est eodem modo ac munus praedicandi atque baptizandi, quod proculdubio ad successores apostolorum transiit. Egregie olim *S. Pacianus* circa hoc argumentabatur dicens: «An tantum hoc (solvere peccata) solis apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet, et Spiritum dare solis, et solis gentium peccata purgare; quia totum hoc non aliis quam apostolis imperatum est... Si ergo et lavacri et chrismatis potestas, majorum et longe charismatum, ad episcopos inde descendit, et ligandi quoque jus adfuit atque solvendi» [5].

b) Veteres apologetae ita rem intellexerunt, quando montanistas et novatianos, qui hanc potestatem ad solos apostolos partim restringebant, acerrime impugnarunt [6].

1 Apud **S. Cyprianum,** ep. 75, 16; ML **3,** 1216.
2 *Tract.* in illud *Profecti in pagum*, n. 7; MG **28,** 183.
3 *Matth.*, 16, 19.
4 *Matth.*, 18, 18.
5 *Ep.* 1, n. 6; ML **13,** 1057.
6 Cfr. **Eusebius,** *Hist. eccl.*, lib. 5, cc. 16, 17 et 18; MG **20,** 463 sqq.

c) Sancti Patres uno ore profitentur potestatem clavium apostolis a Christo concessam ad legitimos successores transire. «Memento, ait *Tertullianus*, claves ejus (caeli) hic Dominum Petro et per eum Ecclesiae reliquisse» [1].

d) Concilium tridentinum ait: «Dominus autem sacramentum poenitentiae tunc praecipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos dicens: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan.*, 20, 22 sq.). Quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit» [2].

e) Haec sane potestas clavium erat in apostolis ordinaria, non personis sed muneri sacerdotali adnexa, et oportuit, ut ad eorum successores transiret.

3) *In actu judiciali exercetur:*

a) Hoc patet ex verbis Christi, quibus potestas clavium collata est apostolis eorumque successoribus. Data enim est potestas *ligandi atque solvendi*, quae non est mera declaratio de statu gratiae vel peccati fidelium, sed actus jurisdictionalis, quo peccatores bene dispositi absolvuntur a ligaminibus, et male dispositi peccatis retineri judicantur. Porro ad hanc geminam potestatem recte exercendam requiritur omnino judicium, ut judex certo cognoscat singulorum statum ac dispositionem. Sane injuste ageret sacerdos, qui peccatorem absolveret vel ligatum judicaret sine praevia ejus cognitione. Sacerdos est judex cum auctoritate ligandi atque solvendi reum. Reus est peccator. Sed, cum nullus sit in hoc judicio, qui peccatorem de delicto accuset, opus est, ut ipse reus conscientiam suam aperiat, seque sententiae judicis subjiciat. Hinc in sacramento poenitentiae vere habetur tribunal et actus judicialis in foro interno.

b) Concilium tridentinum diserte hoc declaravit dicens: *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti..., aut sacerdos non serio sed joco absolvat... a. s.* [3].

c) Sancti Patres crebro docent per exercitium hujus potestatis vere remitti peccata a sacerdotibus. Unde horrebat *S. Innocentius I*, quod poenitentia morientibus aliquando negaretur [4]. Quid prodest homini peccatori mera declaratio, qua dicatur esse liber ab omni peccato?

Pars 3.ª Haec potestas clavium ad quaelibet etiam enormia peccata se extendit.

Nota. Docebant montanistae et novatiani hanc potestatem esse limitatam ad leviora peccata, non vero se extendere ad graviora delicta. Sed merito refutati sunt.

---

1 *Adv. gnosticos Scorpiacae*, c. 10; ML **2,** 165
2 *Sess.* 14, c. 1; **Denz-Bannw.,** 894.
3 *Sess.* 14, can. 9, *De sacram. poenit.*; **Denz-Bannw.,** 919.
4 *Ad ep. prov. vienn. et barb.*, c. 2, n. 3; ML **50,** 431 sq.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Christus, cum apostolis contulit potestatem clavium, nullam fecit exceptionem, sed potius universim locutus est dicens: *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo* [1]. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* [2]. Ad haec apposite *Pacianus:* «*Quaecumque solveritis* inquit, omnino nihil excipit; quaecumque inquit, vel magna vel modica» [3]. Ipsa etiam facultas, qua pollent sacerdotes, *retinendi peccata*, satis innuit potestatem esse universalem, nullaque eam restringi peccatorum gravitate.

2) *Ex SS. Patribus.* Sanctorum Patrum in hoc est concors sententia. *Tertullianus*, antequam ad montanistas confugeret, ajebat: «Omnibus ergo delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui poenam per judicium destinavit, idem et veniam per poenitentiam spopondit» [4].

S. Cyprianus: «Miror quosdam sic obstinatos esse, ut dandam non putent lapsis poenitentiam, aut poenitentibus exsistiment veniam denegandam» [5].

S. Ambrosius: «Sed ajunt (novatiani) se, exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus... Sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, et relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit» [6].

S. Augustinus: «Nec eos audiamus, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere. Itaque miseri, dum in Petro petram non intelligunt et nolunt credere datas Ecclesiae claves regni caelorum, ipsi eas de manibus amiserunt» [7].

Solvuntur difficultates.

480. Obj. 1.° Christus Dominus in Evangelio contradicit huic doctrinae dicens: *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiae non remittetur... Qui autem dixerit* (verbum) *contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro* [8].

Resp. Peccatum in Spiritum Sanctum «dicitur irremissibile, non quod nullo modo remittatur, sed quia, quantum est de se, habet meritum, ut non remittatur, et hoc dupliciter: Uno modo *quantum ad poenam:* qui enim ex ignorantia vel infirmitate peccat, minorem poenam meretur; qui autem ex certa malitia peccat, non habet aliquam excusationem, unde ejus poena minuatur... Alio modo potest intelligi *quoad culpam;* sicut aliquis dicitur morbus incurabilis secundum naturam morbi, per quem tollitur id, per quod morbus potest curari, puta cum morbus tollit virtutem naturae, vel inducit fastidium cibi et medicinae, licet talem morbum Deus possit curare; ita etiam peccatum in Spiritum Sanctum dicitur irremissibile secundum suam naturam, in quantum excludit ea, per quae fit remissio peccatorum. Per hoc tamen praecluditur via remittendi et sanandi omnipoten-

---

1 *Matth.*, 18, 18.
2 *Joan.*, 20, 23.
3 *Ep.* 3 *ad Sympronianum*, n. 12; ML **13,** 1071.
4 *De poenitentia*, c. 4; ML **1,** 1343.
5 *Ep.* 52 ad *Antonian.*, n. 22; ML **3,** 787.
6 *De poenitentia*, lib. 1, c. 3, n. 10; ML **16,** 489.
7 *De agone christiano*, c. 31, n. 33; ML **40,** 308.
8 *Matth.*, 12, 31-32. Cfr. *Marc.*, 3, 28 sqq.; et *Luc.*, 12, 10.

tiae et misericordiae Dei, per quam aliquando tales quasi miraculose spiritualiter sanantur» [1].

A peccatis igitur in Spiritum Sanctum absolvitur homo in sacramento poenitentiae, quamvis haec peccata ex natura sua difficilius veniam mereantur.

Obj. 2.° Apostolus ait: *Impossibile enim est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum caeleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque saeculi venturi, et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes»* [2]. Ergo, qui post baptismum peccata committunt, nequeunt in sacramento poenitentiae absolvi.

Resp. *Illuminati* in hoc textu juxta unanimem SS. Patrum et theologorum interpretationem sunt omnes illi, qui baptismum susceperunt, et Ecclesiae membra facti sunt [3].

Hoc admisso, diversi deversimode textum explicant.

1) Novatiani, litteraliter intelligentes verba, dixerunt impossibile esse eos, qui post baptismum et sanctificationem relapsi sunt, spiritualiter *renovari* in sacramento poenitentiae per absolutionem peccatorum. Est interpretatio certe haeretica.

2) Alii, etiam catholici, contendunt per particulam *impossibile* non significari impossibilitatem absolutam sed magnam difficultatem, quae potest impotentia moralis non incongrue nuncupari. Unde volunt verbum *impossibile* idem esse ac admodum difficile. Ita *Vazquez, Cornelius Alapide,* et alii [4].

3) Alii multo communius et verius docent mentem Apostoli esse semel illuminatos seu baptizatos, qui prolapsi sunt, non posse renovari per novum baptisma, atque ideo verba Scripturae legenda esse: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati... et prolapsi sunt, rursus renovari per poenitentiam* baptismalem. Voluit ergo Apostolus negare iterationem baptismi. Sic textum explicat *S. Athanasius* dicens: «Hebraeis enim haec scripsit; et, ne illi poenitentiae obtentu exsistimarent juxta legis consuetudinem multa esse et quotidiana baptismata, ideo eos ad poenitentiam hortatur, unamque esse per baptisma renovationem, nec secundam superesse affirmat» [5]. Et *S. Joannes Chrysostomus* addit: «Quid ergo? Ejecta est poenitentia? Non poenitentia, absit, sed quae rursus fit per lavacrum renovatio» [6].

ARTICULUS IV

UTRUM ALIQUANDO INVALUERIT CONSUETUDO IN ECCLESIA NEGANDI VENIAM GRAVIORIBUS PECCATIS

481. 1) Movetur haec quaestio, ut veritas de remissibilitate omnium peccatorum per poenitentiam magis clarescat, et documenta ac facta historica, quae contrarium innuere videntur, recte interpretentur.

2) Nonnulli siquidem catholici, admittentes, ut par est, quaelibet peccata posse per poenitentiam remitti, Ecclesiamque ad hoc habere potestatem, quoad usum tamen docent primis Ecclesiae saeculis con-

---

[1] **S. Thomas,** *II-II*, q. 14, a. 3.

[2] *Hebr.*, 6, 4-6. Propter hunc textum aliqui fideles olim dubitarunt, an epistola ad hebraeos esset vere canonica. Cfr. **Franzelin,** *De Scriptura*, th. 16.

[3] Quidam theologi protestantes voluerunt *illuminatos* esse, qui cognitionem Evangelii Christi adepti sunt, sed non sunt audiendi.

[4] **Vazquez,** *In I p.*, disp. 97, c. 1; **Alapide,** *In hebraeos*, 6, 4-6, «Ad tertium».

[5] *Ep. ad Serapionem*, n. 13; MG **26,** 655.

[6] *In hebr.*, hom. 9, n. 3; MG **63,** 78 sq. Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 84, a. 10 ad 1.

suetudinem invaluisse denegandi absolutionem, etiam in articulo mortis, iis, qui sive a) veniam nonnisi in articulo mortis petierant, sive b) post solemnem poenitentiam in graviora crimina relapsi fuerant.

Nunquam tamen negaverunt peccata graviora a Deo remitti, sed dixerunt in his casibus absolutionem ab Ecclesia denegatam fuisse, et veniam per solam contritionem perfectam a Deo obtineri potuisse. Ita quoad substantiam docuerunt *Sirmondus, Albaspinaeus, Juenin, Petavius, Natalis Alexander, Martène,* et ex recentioribus *Funk, Batiffol, Vacandard, Budinhon,* et alii [1].

3) Alii tamen multo communius, et, ut videtur, verius dixerunt quosdam quidem episcopos fuisse cum relapsis et magnis peccatoribus nimis rigidos, sed Ecclesiam nunquam approbasse eorum doctrinam ac praxim, et peccatoribus, etiam relapsis et magnis criminibus obnoxiis, veniam in sacramento poenitentiae semper concessisse. Ita *Palmieri, Sasse, Katschthaler, Hurter, Pesch,* et alii bene multi [2].

482. THESIS. **Primis Ecclesiae saeculis non invaluit consuetudo universalis denegandi veniam relapsis vel quolibet gravi crimine obnoxiis.**

Nota. Ultro concedimus aliquos episcopos in hoc fuisse nimis rigidos. «Apud antecessores nostros, ait *S. Cyprianus,* quidam de episcopis istic in provincia nostrâ dandam pacem moechis non putaverunt, et in totum poenitentiae locum contra adulteria clauserunt» [3]. Negamus tamen hunc rigorem in Ecclesia universali invaluisse, sed potius defendimus benignitatem commendatam fuisse.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus, qui incestuosum corinthum satanae esse tradendum judicavit (*I Cor.*, 5, 1-5), jam dolentem jussit in pacem recipi (*II Cor.*, 2, 1-10).

Item S. Joannes apostolus juvenem sceleratissimum de peccatis dolentem benigne excepit [4].

2) *Ex SS. Patribus.* Pastor Hermae, qui ad medietatem saeculi II scripsit, docuit fornicarios, moechos, et adulteros, ad poenitentiam admittendos esse [5].

S. Polycarpus initio saeculi II ajebat: «Presbyteri sint ad commiserationem proni, misericordes erga cunctos... non severi nimium in judicio, scientes nos omnes debitores esse peccati» [6].

---

[1] **Sirmondus,** *Historia poenitentiae publicae,* c. 1; **Albaspinaeus,** *De veteribus Ecclesiae ritibus,* lib. 2, observ. 9, 11, 15 et 17; **Juenin,** *De poenitentia,* q. 7, c. 1, a. 2, § 1; **Petavius,** in notis ad S. Epiphanium, Haer. 59, (ed. Barri-Duc, 1870, VIII, 408); alibi tamen suam opinionem mitigavit; **Natalis Alexander,** diss. 10 in saec. 3; **Martène,** *De ant. Eccles. ritibus,* lib. 1, c. 6, a. 2; **Funk,** *Theol. Quartalschrift,* Tubing. 1884, p. 268 sq.; **Batiffol,** *Etudes d'Histoire et de Théologie positive;* **Vacandard,** *La confession sacramentelle dans l'Eglise primitive;* **Boudinhon,** *Revue d'Hist. et de litt. relig.,* Paris, 1897.

[2] **Palmieri,** *De sacram. poenitentiae,* th. 9; **Sasse,** *De sacram. poenit.,* th. 12; **Katschthaler,** *Poenit. sacram.,* n. 627 in nota; **Hurter,** *De poenitentia,* n. 451; **Pesch,** *De poenitentia,* n. 29 sqq.

[3] *Ep.* 52 *ad Antonian.,* n. 21; ML **3,** 811.

[4] Cfr. **Eusebius,** *H. E.,* lib. 3, c. 23; MG **20,** 255 sqq.

[5] *Mandat.* 4, 1; MG **2,** 918; **Journel,** 86.

[6] *Ep. ad Philipp.,* 6, 1; MG **5,** 1009.

S. Dionysius, corinthiorum episcopus, scripsit epistolam ad ecclesias Ponti, in qua, ut adserit *Eusebius*, «cunctos, qui a quovis lapsu, sive delicto, sive etiam ab haeretica pravitate resiliunt, benigne suscipi jubet» [1].

Tertullianus, montanista jam effectus, refert in edicto episcopi episcoporum (probabilius Calixti) edici: «Ego et moechiae et fornicationis delicta poenitentia functis dimitto» [2].

S. Cyprianus, ubi retulit quosdam episcopos in sua provincia nimis rigidos fuisse cum moechis et adulteris, statim adjunxit: «quia apud alios adulteris pax dabatur» [3].

3) *Quoad morituros benigne Ecclesia semper egit:*,

a) Concilium ancyranum (a. 314) ait: «Si quos autem periculum vel mortis exspectatio, aut ex infirmitate aut ex aliqua occasione contigerit, his sub definitione statuta communio non negetur» [4].

b) Item concilium nicaenum I statuit: «De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur; ita ut, si quis egreditur a corpore, ultimo et maxime necessario viatico ne privetur... Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito et poscenti sibi communionis gratiam tribui, episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit» [5]. Concilium oecumenicum, cui aderant episcopi orientis et occidentis, hanc benignam praxim vocat *antiquam regularemque legem*.

4) **Ecclesiarum praxis.**

Cl. *Hurter* [6], percurrendo praecipuas ecclesias, clare ostendit in singulis earum praxim benignam semper praevaluisse.

a) Pro *ecclesia romana* adsunt testimonia S. Clementis romani [7]; Callixti [8], et aliorum; necnon poenitentiae quorumdam.

b) Pro *ecclesia Corinthi* adducuntur exemplum S. Pauli Apostoli recipientis incestuosum [9], et doctrina S. Dionysii corinthiorum episcopi, quae conservatur apud Eusebium [10].

c) In *ecclesia Asiae minoris* celebratum est exemplum S. Joannis apostoli, qui juvenem sceleratum Deo et Ecclesiae restituit [11].

d) *Ecclesia antiochena* eamdem doctrinam ac praxim a S. Ignatio acceptam secuta est [12].

e) *Ecclesia alexandrina* edocta est ab Herma Pastore, Origene, et aliis, qui benignitatem semper praedicarunt [13].

f) *Ecclesia Galliae* benignam praxim semper tenuit, ut constat ex

---

1 **Eusebius,** *H. E.*, lib. 4, c. 23; MG **20,** 386.
2 *De pudicitia*, 1; ML 1033; **Journel,** *Enchiridion patristicum*, 383.
3 *Ep.* 52 *ad Antonianum*, n. 21; ML **3,** 811.
4 *Can.* 5; **Mansi,** 2, 524.
5 **Mansi,** 2, 673; **Denz-Bannw.,** 57.
6 *De poenitentia*, n. 453.
7 *I ep. ad Cor.*, n. 7; MG **1,** 224.
8 Apud **Tertullianum,** *De pudicitia*, 1; ML **2,** 1032.
9 *I Cor.*, 5, 1-5; et *II Cor.*, 2, 1-10.
10 *Hist. Eccl.*, lib. 4, c. 23; MG **20,** 384 sqq.
11 **Eusebius,** *H. E.*, lib. 4, c. 23; MG **20,** 256.
12 *Ep. ad Philadelphenses*, n. 3; MG **5,** 700.
13 **Hermae Pastor,** *Mand.* 4; MG **2,** 919; **Origenes,** *Contra Celsum*, lib. 3, n. 51; MG **11,** 988.

S. Irenaeo [1], et ex epistolis ecclesiae viennensis et lugdunensis ad ecclesias Asiae, quae conservantur apud Eusebium [2].

g) *Ecclesia africana* nunquam ab hac disciplina discessit, ut constat et Tertulliano et S. Cypriano [3].

Difficultatibus satisfit.

483. Plures objectiones huic doctrinae opponunt adversae sententiae patroni. Praecipuas proponere et solvere curabo.

Obj. 1.° *Hermas* ait: «Post vocationem illam magnam et sanctam (post baptismum), si quis tentatus fuerit a diabolo et peccaverit, unam poenitentiam habet; si autem subinde peccet et poenitentiam agit, non proderit homini talia agenti; difficile enim vivet Deo» [4].

Resp. Liber, cui nomen Pastor, Romae scriptus, ob influxum Clementis alexandrini et Origenis magnam in Aegypto adeptus est auctoritatem. Nunquam tamen ab Ecclesia relatus fuit inter libros canonicos. Ejus testimonium magni aestimatur, non solum ob auctoritatem personalem auctoris, qui frater germanus Pii Papae I creditur fuisse, sed etiam ob circumstantiam temporis, quo scriptus est, quatenus ejus auctor testis fuit disciplinae vigentis medio saeculo II.

Testimonium ergo Hermae non est rejiciendum sed explicandum.

In textu relato non videtur Hermas absolute negare secundam ac tertiam poenitentiam, sed innuere tantum difficultatem, quam lapsi patiuntur, faciendi veram poenitentiam. Et hoc deducitur ex ipsis verbis relatis. Putat enim homini non prodesse secundam poenitentiam, quia *difficile vivet*. Non igitur negat Ecclesiae facultatem remittendi peccata relapsis, sed exaggerat, uti solent concionatores, difficultatem faciendi veram poenitentiam.

Obj. 2.° Concilium illiberitanum (a. 306) haec statuit: «Placuit inter eos, qui post fidem baptismi salutaris adulta aetate ad templum idoli idololaturus accesserit, et fecerit, quod est crimen principale, quia est summi sceleris, placuit, nec in finem eum communionem accipere» [5]. Similiter concilium arelatense (a. 314) ait: «De his, qui apostatant, et nunquam se ad Ecclesiam repraesentant, nec quidem poenitentiam agere quaerunt, et postea infirmitate arrepti petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, nisi revaluerint, et egerint dignos fructus poenitentiae» [6].

Resp. Ut haec objectio et aliae similes, quae passim opponuntur, diluantur, et veritas in hac materia patescat, operae pretium est poenitentiam publicam, quae olim in Ecclesia certis peccatoribus imponebatur, a poenitentia sacramentali sedulo distinguere.

In primis Ecclesiae saeculis, quando inter fideles major erat fervor caritatis, et peccata graviora magno scandalo erant populo christiano, gravioribus delictis, praesertim moechiae, idololatriae, homicidio atque haeresi, imponebatur poenitentia publica ad exemplum S. Pauli et S. Joannis, qui respective incestuosum Corinthi et juvenem scelestissimum Ephesi ad agendam poenitentiam publicam damnarunt.

Poenitentia publica, ut ipsa vox satis innuit, erat, quae agebatur coram omnibus.

Alia erat *solemnis*, quae determinatis caeremoniis et solemnitatibus age-

---

1 *Adversus Haer.*, lib. 1, c. 13; MG **7,** 592.

2 *Hist. eccl.*, lib. 5, c. 1; MG **20,** 407 sqq.

3 **Tertullianus,** *De poenit.*, 4; ML **1,** 1343; **S. Cyprianus,** *Ep. 52 ad Antonianum*, n. 22; ML **3,** 812.

4 *Mand.* 4, 3; MG **2,** 919. Cfr idem *Vis.* 2, c. 2; MG **2,** 897.

5 *Concil. illib.*, can. 1; **Mansi,** 2, 6.

6 *Concil. arelat.*, can. 22; **Mansi,** 2, 473.

batur, et alia *non solemnis*, quae publice quidem sed sine determinata caeremonia vel solemnitate implebatur [1].

Haec poenitentia publica, sive solemnis sive non solemnis, regulabatur in foro externo Ecclesiae, et longior erat vel brevior juxta gravitatem et publicitatem scandali, potius quam juxta culpabilitatem peccatoris, et poenitens, durante poenitentiae tempore, privabatur sacra communione.

At poenitentia sacramentalis erat, sicut nunc est, valde diversa. Pertinebat ad forum internum Ecclesiae, et regulabatur juxta dispositiones poenitentis.

Poterat contingere et non raro contingebat, ut, qui puniti erant poenitentia publica, non admitterentur ad actus publicos religionis nec ad communionem, et nihilominus, ubi poenitentes essent contriti, absolverentur a peccatis ac Deo conciliarentur in sacramento poenitentiae.

Hinc, ut ad casus oppositos conciliorum illiberitani et arelatensis redeamus, poenitentia sacramentalis nunquam denegabatur vere poenitentibus ac contritis, praesertim in articulo mortis.

Sed fidelibus publice punitis neque in articulo mortis tollebatur poenitentia, imo et sacra communio per modum viatici in aliquibus locis denegabatur, quamvis Ecclesia ubique propenderet hujusmodi poenitentes ad sacrum viaticum admittere.

In conciliis igitur illiberitano et arelatensi agebatur de poenitentibus publice punitis et per sacramentum poenitentiae Deo reconciliatis.

QUAESTIO XXVII

DE MATERIA SACRAMENTI POENITENTIAE

ARTICULUS I

DE MATERIA REMOTA SACRAMENTI POENITENTIAE

484. Duplex adsignari solet materia sacramenti poenitentiae, *remota* scilicet et *proxima*. Materia *remota* seu *circa quam* est illa, quae deletur, seu aufertur per poenitentiam; et *proxima*, quae una cum forma constituit sacramentum.

De materia remota agimus in praesenti, de proxima acturi in sequentibus.

---

[1] Poenitentiae solemnis quatuor erant gradus. 1) «*Flentium*..., qui admissi ad poenitentiam in porticu extra ecclesiam commorabantur, peccata sua publice confitentes et deplorantes». **Bona,** *Rerum liturg.*, lib. 1, c. 17, n. 4. Nec missae catechumenorum interesse poterant nec praedicationem audire. 2) *Audientium*, qui «intra fores ecclesiae in propylaeo, sive intra portam in narthece,... lectionem Scripturarum earumque interpretationem et sermonem audiebant». **Bona,** *Ibid.* 3) *Substratorum*, qui manebant «intra ambitum ecclesiae usque ad ambonem, ultra quem progredi nefas illis erat». **Bona,** *Ibid.* Ii operibus laboriosis afflicti ad manuum impositionem in synaxibus admittebantur, et sic per plures annos quandoque probabantur. 4) *Consistentium*, qui inter ambonem et sanctuarium «fideliun precibus et sacrificio usque ad finem adsistebant, offerre tamen munera ad altare consequenter communicare non poterant». **Bona,** *Ibid.*

485. THESIS. **Materia remota seu materia circa quam sacramenti poenitentiae sunt omnia et sola peccata actualia post baptismum commissa.**

Est doctrina expressa Magistri Sententiarum, S. Thomae et scholasticorum [1].

Pars 1.ª Omnia peccata actualia post baptismum commissa.

Arg. 1) *Ex concilio tridentino.* Concilium tridentinum, loquendo de baptizatis, ait: «Hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito baptismo ablui... sed ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit, ut per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum poenitentes confugerint, possent liberari» [2].

2) *Ex ratione.* Sacramentum poenitentiae versatur circa destruenda omnia peccata actualia post baptismum commissa. Ergo omnia peccata actualia post baptismum commissa sunt materia remota sacramenti poenitentiae.

3) Cum sacramentum poenitentiae exerceatur per modum judicii, id habet in eo rationem materiae remotae, quod poenitentem constituit coram Deo reum, cujusque fit sacerdoti dolorosa confessio. Sed omne peccatum actuale post baptismum commissum constituit hominem coram Deo reum, et est objectum accusationis dolorosae. Ergo.

Pars 2.ª Sola peccata actualia post baptismum commissa.

Sacramentum poenitentiae exercetur in Ecclesia per modum judicii. In judicio autem ecclesiastico examinantur et absolvuntur eae tantum causae, quae locum habent in Ecclesia et cadunt sub jurisdictione Ecclesiae. Sed sola peccata post baptismum et intra januas Ecclesiae commissa cadunt sub jurisdictione Ecclesiae. Ergo. Quare concilium tridentinum docet «baptismi ministrum judicem esse non oportere (baptizandorum), cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus» [3].

486. Scholion. Ex peccatis actualibus alia sunt materia necessaria, alia materia sufficiens libera, sacramenti poenitentiae.

1) *Peccata mortalia post baptismum commissa, et nondum per sacerdotem directe judicata ac remissa, sunt materia necessaria.*

Concilium tridentinum certe hoc docuit, quando declaravit in sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium «esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta» [4].

Ratio theologica hoc confirmat. Christus enim voluit, ut omnia pec-

---

[1] **Magister Sententiarum,** *IV Sent.*, dist. 14; **S. Thomas,** *III p.*, q. 84, a. 2. Cfr. **Capreolus,** *In IV Sent.*, dist. 14, q. 1, concl. 2.

[2] *Sess.* 14, c. 2; **Denz-Bannw.,** 895.

[3] *Sess.* 14, c. 2; **Denz-Bannw.,** 895.

[4] *Sess.* 14, can. 7, *De poenitentia;* **Denz-Bannw.,** 917.

cata mortalia post baptismum commissa per potestatem clavium vel saltem in ordine ad illam remitterentur. Hinc contritio perfecta remittens peccata mortalia includit votum confitendi illa, et peccata sic remissa subjicienda sunt clavibus Ecclesiae.

2) *Peccata venialia sunt materia sufficiens et libera sacramenti poenitentiae.*

a) *Sunt materia sufficiens,* quia concilium tridentinum hoc declaravit dicens: *Si quis dixerit... non licere confiteri peccata venialia, a. s.* [1].

Id ipsum ratio ostendit. Possunt enim circa sola peccata venialia formari actus poenitentis, qui sunt materia remota sacramenti poenitentiae, et valide absolvitur poenitens, qui sola confitetur peccata venialia [2].

b) *Sunt tamen materia libera,* quia peccata venialia possunt remitti extra sacramentum poenitentiae et sine ordine ad potestatem clavium.

Hinc poenitens non tenetur manifestare confessario peccata venialia, et potest citra peccatum aliqua confiteri et alia reticere [3].

3) *Peccata tum mortalia tum venialia semel confessa et remissa sunt pariter materia sufficiens et libera sacramenti poenitentiae.*

Benedictus XI expresse hoc declaravit dicens: «Licet... de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata; tamen, quia propter erubescentiam, quae magna est poenitentiae pars, ut eorumdem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre» [4].

Ratio est, quia poenitens, cui remissa sunt aliqua peccata, potest iterum atque iterum actus doloris, confessionis, et satisfactionis circa illa repetere, et sic absolutionem valide recipere [5].

ARTICULUS II

QUAE SIT MATERIA PROXIMA SACRAMENTI POENITENTIAE

487. Status quaestionis. Diximus superius res, quae in sacramentis determinantur verbis, habere retionem materiae proximae, et esse elementum constitutivum sacramentorum.

Cum poenitentia sit verum sacramentum, oportet designari ejus materiam proximam, quae simul cum forma constituat unum signum gratiae remissivae peccatorum.

488. Error. *Lutherus, Calvinus,* et alii *reformatores* [6], in risum verterunt doctrinam, quae dicit sacramentum poenitentiae tribus constare partibus, contritione scilicet, confessione et satisfactione. *Lutherus* dixit duas

[1] *Sess.* 14, can. 7, *De poenitentia;* **Denz-Bannw.,** 917.

[2] **S. Franciscus Salesius** enixe commendat peccatorum venialium confessionem, tum ad remissionem obtinendam, tum ad evitandam eorum repetitionem. *Introd. a la vida devota,* p. 2, c. 19.

[3] Cfr. **Salmanticenses morales,** *De sacramento poenit.,* c. 4, p. 2, n. 20-21.

[4] *Const. Inter cunctas,* 17 Febr., 1304; **Denz-Bannw.,** 470.

[5] Cfr. **S. Thomas,** *In IV Sent.,* dist. 17, q. 3, a. 3, quaest. 5 ad 4; et dist. 18, q. 1, a. 3, sol. 2 ad 4.

[6] **Lutherus,** *De capt. babyl.,* De sacr. poenit., «Non hoc» sqq.; **Calvinus,** *Inst.,* lib. 3, c. 4, n. 2 sqq. Cfr. **Lutheri,** *orop.* 5 a Leone X damnatam; **Denz-Bannw.,** 745.

esse tantum poenitentiae partes, terrores scilicet incussos conscientiae agnito peccato et fidem conceptam ex Evangelio.

489. Placita theologorum. *Scotus* ait: «De poenitentiae sacramento dico, quod haec tria (contritio, confessio et satisfactio) nullo modo sunt partes ejus» [1]. Et deinde docet absolutionem sacerdotis, quatenus est externa caeremonia, esse materiam proximam poenitentiae. Scoto subscribunt plures *scotistae, Maldonatus, Ballerini*, et alii [2].

2) Alii docent solam confessionem esse materiam proximam hujus sacramenti. Ita *Durandus* et *Aureolus* [3].

3) Sententia hodie communis docet actus poenitentis circa peccata, scilicet contritionem, confessionem et satisfactionem esse materiam proximam sacramenti poenitentiae. Ita *S. Thomas, omnes thomistae*, et ex extraneis fere omnes [4].

490. THESIS. **Tres actus poenitentis, contritio scilicet, confessio et satisfactio sunt materia proxima sacramenti poenitentiae.**

Arg. 1) *Ex conciliis.* Concilium florentinum ait: «Quartum sacramentum est poenitentia, cujus quasi materia sunt actus poenitentis, qui in tres distinguuntur partes» [5].

Concilium tridentinum: «Sunt autem quasi materia hujus sacramenti ipsius poenitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio. Qui, quatenus in poenitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione *poenitentiae partes* dicuntur» [6].

Hi actus vocantur partes sacramenti, quia ad ejus integritatem, id est, ad integritatem signi una cum forma pertinent.

Dicuntur vero *quasi materia*, non quod rationem materiae non habeant, «sed quia ejus materia non sunt, quae extrinsecus adhibeatur, ut aqua in baptismo et chrisma in confirmatione» [7].

2) *S. Thomas:* «Materia proxima hujus sacramenti sunt actus poenitentis, cujus materia sunt peccata, de quibus *dolet*, et quae *confitetur*, et pro quibus *satisfacit*» [8].

3) *Ex ratione.* Sacramentum poenitentiae habet rationem processus judicialis in ordine ad sententiam absolutoriam delicti, et oportet, ut materia ejus proxima consistat in his, quae processum judicialem ex parte rei constituunt. In processu autem judiciali primo requiritur actoris accusatio, quae in tribunali poenitentiae fit per *confessionem* poenitentis. Deinde, cum agitur de danda sententia absolutoria, necesse est, ut reus doleat de peccatis commissis, quia obstinatis non datur absolutio, et fit per *contritionem*. Et ultimo judex imponit et reus acceptat in judicio reparationem offensae, quae in tribunali poenitentiae fit per ac-

---

[1] *In IV Sent.*, dist. 16, q. 1, n. 7.

[2] **Hiquaeus,** *In IV Sent.*, dist. 16, q. 1; **Maldonatus,** *De poenitentia*, p. 3, q. 3, th. 7; **Ballerini,** Op. Th. mor., *De sacr. poenit.*, c. 1, dub. 1.

[3] **Durandus,** *In IV Sent.*, dist. 16, q. 1; **Aureolus,** *In IV Sent.*, dist. 16, q. 1, a. 1 (apud **Capreolum,** *In IV Sent.*, dist. 14, q. 1, a. 1).

[4] **S. Thomas,** *III p.*, q. 84, a. 1 ad 1 et 2. Cfr. **Sasse,** *De sacramento poenitentiae*, th. 16.

[5] *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 699.

[6] *Sess.* 14, c. 3; **Denz-Bannw.,** 896.

[7] *Catechismus romanus*, part. 2, c. 5, n. 12.

[8] *III p.*, q. 84, a. 2.

ceptationem et executionem *satisfactionis*. Unde actus poenitentis, contritio scilicet, confessio et satisfactio, sunt materia proxima sacramenti poenitentiae, et determinantur per verba absolutionis, quae, ut dicetur inferius, constituunt formam hujus sacramenti.

491. Scholion. Ex verbis concilii tridentini constat hos poenitentis actus esse partes sacramenti poenitentiae. Sed, cum partes sacramenti poenitentiae possint esse essentiales, quae una cum forma constituunt sacramentum, vel integrales, quae non constituunt sacramentum, sed ad producendum integrum ejus fructum requiruntur, dubium occurrit, an praefati actus poenitentis sint essentiales vel integrales.

Theologi facile admittunt contritionem et confessionem esse partes essentiales sacramenti poenitentiae, sed disputant de satisfactione. Aliqui volunt satisfactionem esse partem essentialem, alii integralem [1].

Melius tamen dicendum esse puto cum cl. *Billuart* «inter has partes materiales sacramenti hoc esse discrimen..., quod contritio et confessio utique magis principales, et formae, nempe absolutioni, praesuppositae, sint essentiales: satisfactio vero in re, ut pars minus principalis et sacramentum essentialiter constitutum supponens, sit pars integralis illius tantum. Si tamen sumatur satisfactio in proposito, et ut connotata, est etiam pars essentialis sicut contritio; quia non potest esse contritio vera, quae non includit propositum satisfaciendi» [2].

QUAESTIO XXVIII

DE CONTRITIONE

ARTICULUS I

QUID ET QUOTUPLEX SIT CONTRITIO

492. I. **Etymon.** Contritio a *conterere*, quod actionem confringendi corpora dura significat, ad spiritualia translata est, ut expresse docet *S. Thomas* [3], et designat animi actum, quo duritia cordis quasi frangitur. Recte «ad significandum vim doloris impositum est, ducta similitudine a rebus corporis, quae minutatim saxo aut duriore aliqua materia confringuntur, ut eo vocabulo declararetur corda nostra, quae superbia obduruerunt, poenitentiae vi contundi atque conteri» [4].

493. II. **Definitio.** Contritio juxta concilium tridentinum est: *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero, et cum voto confitendi ac satisfaciendi* [5].

---

[1] **Franzelin,** *De sacramentis in genere*, th. 4; **Sasse,** *De sacramento poenitentiae*, th. 16, schol. 2, et alii defendunt satisfactionem esse partem integralem sacramenti poenitentiae.

[2] *De poenitentia*, diss. 1, a. 2, «Observandum».

[3] *In IV Sent.*, dist. 17, q. 2, a. 1, sol. 1.

[4] *Catechismus romanus*, p. 2, c. 5, n. 25.

[5] *Sess.* 14, c. 4; **Denz-Bannw.,** 897. **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 1, a. 1, et veteres scholastici admittunt sequentem definitionem: *Contritio est dolor de peccatis adsumptus cum proposito confitendi et satisfaciendi.*

Dicitur *animi dolor*, id est, tristitia vel afflictio spiritus, non corporis, et est actus virtutis poenitentiae, quo homo poenitet malorum.

2) *Detestatio de peccato commisso*, quae est abominatio et odium peccati commissi, adeo ut affectus voluntatis ad peccatum omnino retractetur.

Disputatur, an haec detestatio peccati formaliter elicita requiratur essentialiter ad contritionem tanquam elementum intrinsecum. *Sasse* affirmat [1]. Alii cum *Gonet* et *Billuart* [2] negant, dicentes detestationem, non ut elementum essentiale, sed ut conditionem necessariam eamque implicitam ad contritionem requiri [3].

Revera veteres scholastici non posuerunt detestationem in definitione contritionis.

Concilium tridentinum illam posuisse videtur majoris explicationis gratia.

3) *De peccato commisso*, id est, ut bene notat *Hurter*, «de peccato proprio, non de alieno, de peccato *commisso* libere, non de contracto» [4].

4) *Cum proposito non peccandi de caetero*, id est, ea saltem animi dispositione, ut contritionem emittens paratus sit non peccare in futurum.

Aliqui volunt ad veram contritionem requiri propositum formale nunquam peccandi. Ita *Soto*, *Cano*, *Bellarminus*, et alii [5].

Sed alii melius dixerunt propositum virtuale, cum quis non advertit ad peccata futura, sufficere ad veram contritionem. Ita *Cajetanus*, *Suarez*, *Gabriel a S. Vincentio*, *Antonius a Spiritu Sancto*, *Salmanticenses morales*, et alii [6].

5) Additur: *Cum voto confitendi ac satisfaciendi*. Etsi concilium tridentinum non expresserit has particulas in definitione, addit tamen in explicatione: «reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam» [7]. In voto autem confitendi includitur propositum satisfaciendi.

494. III. **Qualitates.** Contritio debet esse: 1) *Supernaturalis* duplici saltem ex capite, id est, ex parte principii, quod est gratia, et ex parte motivi, quod fide tenetur. Unde oritur ex gratia salutari auxiliante, et movetur per motiva religiosa, ob bonitatem scilicet Dei, ob timorem gehennae, ob spem gloriae aeternae, ob turpitudinem peccati, etc., per fidem nota. 2) *Universalis*, qua quis doleat de cunctis peccatis lethalibus libere commissis. 3) *Summa appretiative*, qua quis magis doleat de peccato commisso quam de aliis malis.

495. IV. **Divisio.** Contritio potest esse: 1) *Formalis* seu *explici-*

---

[1] *De sacramento poenitentiae*, sect. 3, c. 2, a. 1, assert. 1.

[2] **Gonet,** disp. 7, a. 1; **Billuart,** *De poenit.*, diss. 4, a. 1.

[3] Cfr. **Salmanticenses morales,** *De sacr. poenit.*, c. 5, dub. un., n. 6.

[4] *De poenitentia*, th. 245.

[5] **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 17, q. 2, a. 1; **Cano,** *Relectio de sacr. poenit.*, p. 1, concl. 1; **Bellarminus,** *De poenitentia*, lib. 2, c. 6.

[6] **Cajetanus,** *In Suppl.*, q. 1, a. 1; **Suarez,** *De poenitentia*, disp. 20, sect. 4, n. 22; **Gabriel a S. Vincentio,** *De poenitentia*, disp. 4, q. 3; **Antonius a Spiritu Sancto,** *De poenitentia*, n. 119; **Salmanticenses morales,** *De Sacramento poenitentiae*, c. 5, p. 4, n. 54.

[7] *Sess.* 14, c. 4; **Denz-Bannw.,** 898.

ta, qua homo actu expresso et directo dolet peccatum commisisse, ut cum se affligit de pronuntiata blasphemia; et *virtualis* seu *implicita*, qua quis elicit actum quempiam, in quo virtualiter seu implicite continetur dolor de peccatis commissis, ut qui amat Deum super omnia, implicite seu virtualiter dolet de peccatis.

2) *Perfecta*, quae est simpliciter contritio, et *imperfecta*, quae vocatur attritio. *Perfecta* oritur ex motivo caritatis et est illa, qua homo de peccatis commissis dolet propter Deum summe bonum; et *imperfecta* seu attritio non oritur ex motivo caritatis et est illa, qua homo dolet de peccatis ob gehennae et poenarum metum, ob turpitudinem peccati, etc., fide apprehensum.

De utraque fusius in sequentibus.

ARTICULUS II

DE CONTRITIONE PERFECTA

496. I. Licet conceptus contritionis et caritatis inter se formaliter differant, contritio tamen perfecta semper comitatur caritatem. Ideo diximus contritionem oriri ex motivo caritatis.

Caritate diligimus Deum in se summe bonum seu perfectum, et contritione perfecta dolemus de peccato commisso, quatenus est offensa Dei summe boni ac perfecti.

Quaeritur hic, an contritio perfecta sit adeo efficax, ut ante susceptionem sacramenti poenitentiae remittat peccata mortalia et sanctificet homines, et an requiratur in poenitente ad fructuosam susceptionem sacramenti poenitentiae.

497. Error. *Bajus* ajebat: «Per contritionem etiam cum caritate perfecta et cum voto suscipiendi sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti» [1].

498. THESIS I. **Contritio perfecta per se sola ante susceptionem sacramenti poenitentiae remittit peccata mortalia et sanctificat peccatorem.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Legimus apud Ezechielem: *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua* [2].

Auctor Proverbiorum: *Ego diligentes me diligo* [3]. Et S. Joannes: *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum* [4]. Unde diligentes Deum liberantur a peccato et diliguntur a Deo seu sanctificantur. Sed contritio perfecta producit caritatem et amorem Dei. Ergo.

2) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Mundantur (peccata) et sacrificio contriti cordis... Mundantur ipsa, quae supereminet omnibus ca-

---

[1] *Prop.* 71, a S. Pio V, die 1 Oct. 1567 damnata; **Denz-Bannw.,** 1071.
[2] *Ezech.*, 33, 12.
[3] *Prov.*, 8, 17.
[4] *Joan.*, 14, 21.

ritate..., quae una, si adsit, omnia illa recte fiunt; si autem desit illa, omnia frustra fiunt» [1].

S. Fulgentius: «Caritas, ubi habitare coeperit, non permittit dominari peccatum, sed cooperit multitudinem peccatorum; nec solum praesentia peccata facit vitari, quin etiam praeterita facit omnia relaxari» [2].

3) *Ex auctoritate theologorum. S. Thomas* ait: «Quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet» [3]. *S. Alphonsus M. de Ligorio:* «Omnis dolor peccati, qui oritur ex caritate praedominante, est contritio justificans hominem extra sacramentum, ut communiter docent Doctores» [4].

4) *Ex ratione.* Contritio perfecta producit in voluntate caritatem et amorem Dei. Sed amor Dei et peccatum mortale nequeunt esse in eodem subjecto. Ergo contritio perfecta expellit peccatum mortale.

Objicies. *S. Augustinus* ait: «Quantumcumque catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suae portat; non illi dimittitur, nisi, cum venerit ad baptismum» [5].

Resp. S. Doctor lequebatur de catechumeno, qui, habita occasione suscipiendi baptismum, illum differebat, imo et superbe contemnebat [6].

499. Corollarium I. Quaelibet contritio perfecta, quae procedit ex amore benevolentiae et est appretiave summa, remittit omnia peccata mortalia in instanti, quin requirat diuturnum tempus aut determinatum gradum intensitatis [7].

Corollarium II. Perfecta contritio semper complectitur votum saltem implicitum confitendi omnia peccata mortalia, ut animadvertimus in definitione contritionis, et collegimus ex concilio tridentino. Unde merito damnata est propositio prima Petri de Osma: «Peccata mortalia, quantum ad culpam et poenam alterius saeculi, delentur per solam cordis contritionem sine ordine ad claves» [8].

Corollarium III. Ubi peccata mortalia remittuntur et homo justificatur per contritionem perfectam, remanet obligatio confitendi peccata mortalia sic remissa, ratione praecipue voti, quod includebatur in contritione, et ratione institutionis Christi, qui voluit omnia peccata mortalia remitti in ordine ad claves Ecclesiae. Merito ad rem damnata est in concilio constantiensi propositio 7 Wiclefi: «Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis» [9].

500. THESIS II. **Contritio perfecta non est necessaria in poenitente ad remissionem peccatorum in sacramento poenitentiae obtinendam.**

Nota. Profundissimi quidam theologi dixerunt contritionem perfectam, quae per se remittit peccata mortalia et causat gratiam, esse in sacramento

1 *Contra Cresconium*, lib. 2, c. 12, n. 15; ML **43,** 475.
2 *Ep.* 7, n. 3; ML **65,** 353.
3 *In IV Sent.*, dist. 17, q. 2, a. 5, sol. 3.
4 *Lib.* 6, tr. 4, n. 441.
5 *In Joan.*, tr. 13, n. 7; ML **35,** 1496.
6 Cfr. **Sasse,** *De sacramento poenitentiae*, th. 18.
7 Cfr. **S. Thomas,** *In IV Sent.*, dist. 17, q. 2, a. 5.
8 Damnata a Sixto IV, 9 Aug. 1478; **Denz-Bannw.,** 724.
9 *Sess.* 8 habita die 4 Maji 1415; **Denz-Bannw.,** 587.

poenitentiae necessariam, adeo ut poenitens, qui se accusat et absolvitur in confessione, sit semper per contritionem sanctificatus. Unde peccatum in sacramento per sacerdotis absolutionem non remittitur, sed gratia poenitenti augetur poenaque remittitur. Ita *Hugo a S. Victore, Richardus a S. Victore, Petrus Lombardus, Albertus Magnus, Argentina,* et alii [1].

Duces tamen scholarum, ut *S. Thomas, Scotus* et alii [2] rejiciunt hanc sententiam, et docent contritionem perfectam non necessario requiri in poenitente ad sacramentum poenitentiae rite et fructuose recipiendum, ac proinde per absolutionem sacerdotis vere remitti peccata mortalia in hoc sacramento.

Arg. 1) Synodi pistoriensis propositio 36 damnata est a Pio VI, quia monebat pastores animarum, ut, antequam suos poenitentes admitterent ad absolutionis beneficium, exigerent ab eis signa caritatis dominantis [3].

2) Damnata est pariter propositio 58 Baji, quae dicebat: «Peccator poenitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui poenitentiam suggerens et inspirans vivificat eum et resuscitat, ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur» [4].

3) Sententia, quae ad fructuosam absolutionis susceptionem requirit contritionem perfectam, tollit omnino efficaciam sacramenti. Si enim ante absolutionem sacerdotis requireretur in poenitente contritio perfecta sanctificans hominem, sacramentum poenitentiae non remitteret peccata et efficacia careret, quod nefas est dicere.

ARTICULUS III

DE ATTRITIONE

501. I. Vox *attritio* ignota fuit antiquis. Primo usurpata fuisse videtur ab eximiis theologis *Alano de Insulis, Guillermo Parisiensi, Alexandro Alensi* et *Alberto Magno* [5].

Res tamen per attritionem significata innotuit theologis omni tempore. Quando SS. Patres et veteres theologi dicebant peccata remitti per sacramentum poenitentiae, vel peccatorem in sacramento poenitentiae absolvi a peccatis, et ad hoc requirebant certas dispositiones in subjecto, supponebant ad fructuosam poenitentiae susceptionem praemittendum esse aliquem dolorem peccati a poenitente, qui sine absolutione non sufficeret ad remittenda peccata. Hic autem dolor erat attritio.

---

[1] **Hugo a S. Victore,** *Summa,* tr. 6, c. 11; ML **176,** 148; **Richardus a S. Victore,** *De potestate ligandi et solvendi,* c. 7; ML **196,** 1165; **Petrus Lombardus,** *IV Sent.,* dist. 18, n. 4; ML **192,** 886; **Albertus M.,** *In IV Sent.,* dist. 18, a. 9, 11; **Argentina,** *In IV Sent.,* dist. 18, q. 1, a. 3.

[2] **S. Thomas,** *III p.,* q. 80, a. 4 ad 2; et q. 84, a. 3; *In IV Sent.,* dist. 18, q. 1, a. 3, sol. 1; **Scotus,** *In IV Sent.,* dist. 14, q. 14 «Quantum ad tertium».

[3] *Prop.* 36 damnata a Pio VI, 28 Aug. 1794; **Denz-Bannw.,** 1536.

[4] *Prop.* 58 damnata a S. Pio V, 1 Oct. 1567; **Denz-Bannw.,** 1058.

[5] **Alanus de Insulis,** *Theol. reg.,* c. 85; ML **210,** 665; **Guillermus Parisiensis,** *De sacramento poenitentiae,* § «Peccatum epilogat» (ed. Paris, 1516), p. 30; **Alensis,** *IV p.,* q. 17, m. 5, a. 1 sqq.; **Albertus Magnus,** *In IV Sent.,* dist. 16, q. 8.

Apud recentiores communiter usurpata est et usurpatur vox *attritio*.

502. II. **Gradus attritionis.** Attritio, cum sit quaedam imperfecta contritio, est dolor de peccatis ex motivis quibusdam conceptus, et juxta diversitatem motivorum diversos admittit gradus.

1) Aliquando oritur ex timore *serviliter servili*, qui non excludit affectum ad peccatum, sed peccator, retento affectu ad illicita, ita rejicit actus peccaminosos, ut, si poenam non incurreret, committeret peccatum.

2) Quandoque oritur ex timore *simpliciter servili*, qui revera excludit affectum ad peccatum ob timorem incurrendi poenam peccato debitam. Distinguitur a praecedenti, quatenus vere deponit affectum ad peccatum.

3) Interdum enascitur ex amore honestatis moralis, quo peccator odit turpitudinem peccati, et dolet de peccato commisso ex eo, quod opponatur morum honestati.

4) Procedit non semel ex timore filiali, quo homo metuit Deum omnium patrem, et consequenter odit peccatum ob timorem reverentialem.

5) Oritur denique *ex amore concupiscentiae*, quo Deum volumus, in quantum est nostra beatitudo.

503. III. **Praenotamen.** Compertum est dolorem de peccatis, si tamen dolor nominandus sit, conceptum *ex timore serviliter servili*, non esse salutarem, nec sufficere ad sacramentum poenitentiae rite suscipiendum, quia hic dolor non deponit affectum ad peccatum, et qui afficitur peccato, non suscipit sacramentum poenitentiae.

Certum pariter est contritionem perfectam, quae ex se sanctificat hominem, non requiri, ut quidam antiqui voluerunt, ad sacramentum poenitentiae fructuose suscipiendum.

504. IV. **Quaestiones.** Duae praecipue graves quaestiones agitantur circa attritionem: 1) An attritio ex timore simpliciter servili, seu ex metu gehennae orta, sit utilis ac salutaris, praeparans saltem remote hominem ad sacramentum poenitentiae. 2) Quae attritio requiratur in poenitente ad sacramentum poenitentiae fructuose suscipiendum.

505. V. **Errores.** 1) *Quantum ad primum* ajebat Lutherus: «Contritio (sic enim coepit vocari vera poenitentia interior) duplici via paratur: primo per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, qua quis, ut dicunt, recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum gravitatem, damnum, foeditatem, multitudinem, deinde amissionem aeternae beatitudinis, ac aeternae damnationis acquisitionem, et alia, quae possunt tristitiam excitare. Haec autem contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem, quia solum timore praecepti et dolore damni id facit» [1].

2) *Bajus* pariter, *Jansenius* et *Quesnellus* docuerunt solam attritionem caritate destitutam esse vitiosam, et non excludere peccandi voluntatem.

[1] Concio II, *De poenitentia*; Lutheri op. lat., (ed. Schmidt, Francof, 1865), vol. 1, p. 331 sq. Ex hoc loco excerpta est propositio ejus 6 a Leone X, die 15 Junii 1520 damnata; **Denz-Bannw.,** 740. **Lutherus** deinde insolenter respondens Bullae Romani Pontificis ait: «Contritio quantumlibet magna, nisi fiat amore justitiae, et, ut ipsimet dicunt, in caritate Dei, non est vera, sed simulata. Omnia enim, quae extra caritatem fiunt, nihil, vana et falsa sunt». *Opp. lat.*, vol. 3, p. 184

506. VI. **Opiniones.** *Quantum ad secundum* magno aestu disputatum est inter theologos circa conditiones attritionis ad sacramentum poenitentiae fructuose suscipiendum necessarias.

1) Aliqui dixerunt attritionem non sufficere, nisi includat amorem initialem benevolum caritatis et amicitiae. Ita jansenistae, et aliqui theologi catholici, praesertim *Pallavicini, Billuart,* et alii [1].

2) Alii ad sacramentum poenitentiae fructuose suscipiendum requirunt attritionem, quae includat amorem concupiscentiae, quo Deus ut nobis bonus et ut nostra beatitudo diligatur. Ita *Tournely, Liberius a Jesu, Wirceburgenses, S. Alphonsus M. de Ligorio, Katschthaler,* et alii [2].

3) Alii docent attritionem ex solo metu gehennae et poenarum conceptam, seu ex metu simpliciter servili ortam, sufficere in subjecto ad fructuosam sacramenti poenitentiae susceptionem. Ita *Guillermus Parisiensis, S. Thomas, Durandus, Sotus, Cano, Suarez, Tanner, Sasse,* et alii plurimi [3].

507. THESIS I. **Attritio ex solo gehennae metu concepta non est peccatum nec facit hominem hypocritam, sed est bona et utilis. Est de fide.**

Nota. Agimus de attritione orta, non ex metu serviliter servili, sed ex metu simpliciter servili, quae voluntatem peccandi excludit cum spe veniae.

1) **Non est peccatum.**

Sacra Scriptura saepe commendat salutarem timorem, quo homo se abstineat a peccatis. *Timete eum,* ait Jesus, *qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* [4]. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te; expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam* [5].

Concilium tridentinum declarat primo attritionem ex metu gehennae ortam excludere voluntatem peccandi [6], et deinde definit gehennae metum non esse peccatum dicens: *Si quis dixerit gehennae metum, per quem ad misericordiam Dei, de peccatis dolendo, confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, a. s.* [7].

2) **Non facit hominem hypocritam.**

Hypocrita, quoad praesens attinet, dicitur, qui se fingit virtuosiorem, quam revera est. Sed homo ob metum gehennae attritus de peccatis commissis et a peccando abstinens, non se fingit virtuosiorem quam revera est. Ergo. Unde concilium tridentinuum damnat eos, qui

---

[1] **Pallavicini,** *Assert. theol.*, lib. 7, c. 12; et *Hist. concil. trid.*, lib. 8, c. 13, n. 13; **Billuart,** *De poenitentia*, a. 7, § 3.

[2] **Tournely,** *De poenitentia*, q. 5, a. 3; **Liberius a Jesu,** *Controv.*, t. 4, part. 2, disp. 3, a. 4; **Wirceburgenses,** *De poenitentia*, n. 166; **S. Alphonsus M. de Ligorio,** lib. 6, tr. 4, n. 442; **Katschthaler,** *De poenitentiae sacramento*, n. 686.

[3] **Guillermus Parisiensis,** *De sacramento poenitentiae*, De prima parte poenitentiae; (ed. Paris, a. 1516, fol. 30 sqq.); **S. Thomas,** *III p.*, q. 80, a. 4 ad 2; et q. 84, a. 3; **Durandus,** *In IV Sent.*, dist. 18, q. 2, n. 6; **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 17, q. 2, a. 5; **Cano,** *Relectio de poenitentia*, p. 6, «Deinde etiam attritio»; **Suarez,** *In III p.*, disp. 4, sect. 8; **Vazquez,** *In III p.*, q. 92, a. 1, dub. 3; **Tanner,** *In III p.*, disp. 6, q. 2, dub. 4, n. 74; **Sasse,** *De sacramento poenitentiae*, th. 24.

[4] *Matth.*, 19, 28.

[5] *Matth.*, 5, 29.

[6] *Sess.* 14, c. 4; **Denz-Bannw.,** 898.

[7] *Sess.* 6, can. 8; **Denz-Bannw.,** 818.

dicunt attritionem ex metu gehennae ortam «facere hominem hypocritam et magis peccatorem» [1].

3) **Est bona et utilis.**

a) S. Scriptura diserte ait: *Timor Domini expellit peccatum, nam, qui sine timore est, non poterit justificari* [2].

b) Concilium tridentinum expresse condemnavit errorem Lutheri dicens: *Si quis dixerit eam contritionem, quae paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis et aeternae damnationis incursum cum proposito melioris vitae, non esse verum et utilem dolorem, nec praeparare ad gratiam..., a. s.* [3].

c) *S. Augustinus:* «Timore facit, quidquid boni facit; non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum. Non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet, ne mittatur in gehennam: *bonus est iste timor, utilis est*». [4].

d) *Ratio id suadet.* Homo enim per hanc attritionem dolet quodammodo de peccatis commissis, et continet se a comittendis. Hoc autem est bonum ac utile.

508. THESIS II. **Attritio ex metu gehennae sine amore initiali Dei et sine amore concupiscentiae concepta probabilius sufficit ad justificationem in sacramento poenitentiae obtinendam.**

Nota. In hac quaestione, vehementissime olim agitata, prae oculis habendum est decretum Alexandri VII, die 5 Maji 1667, dicentis: «Non audeant alicujus theologicae censurae alteriusve injuriae aut contumeliae nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in praefata attritione ex metu gehennae concepta, quae hodie inter scholasticos communior videtur, sive adsertum dictae dilectionis necessitatem, donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum» [5].

Arg. 1) Concilium tridentinum expresse docet attritionem ex gehennae et poenarum metu conceptam excludere voluntatem peccandi cum spe veniae, atque esse donum Dei et Spiritus Sancti impulsum, «et, quamvis sine sacramento poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam disponit» [6]. Concilium loqui videtur hic de dispositione immediata ad recipiendum sacramentum poenitentiae. In prima siquidem capituli parte agit de contritione perfecta sufficienti ad justificationem sine sacramento, et in altera de attritione disponente hominem ad justificationem cum sacramento poenitentiae.

2) *Alexander VII* adserit inter scholasticos communiorem videri

---

1 *Sess.* 14, can. 5, *De poenitentia;* **Denz-Bannw.,** 915.
2 *Eccli.*, 1, 27.
3 *Sess.* 14, can. 5, *De poenitentia;* **Denz-Bannw.,** 915. Cfr. etiam propositio 15 ab Alexandro VIII, die 7 Sept. 1690, damnata; **Denz-Bannw.,** 1305.
4 *Enarrat. in ps.* 127, n. 8; ML **37,** 1682.
5 *Ex decreto S. Off.*, 5 Maji 1667; **Denz-Bannw.,** 1146.
6 *Sess.* 14, c. 4; **Denz-Bannw.,** 898.

sententiam «negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in praefata attritione ex metu gehennae concepta» [1].

3) Qui attritionem ex metu gehennae et poenarum concipit, vere odit peccatum, et se abstinet a peccando. Quatenus odit peccatum, quod est offensa Dei, implicite etiam odit offensam Dei, et exercet actum doloris [2]. Hic autem actus est sufficiens dispositio ad justificationem in sacramento poenitentiae.

ARTICULUS IV

UTRUM ALIQUANDO POSSIT DARI SACRAMENTUM POENITENTIAE VALIDUM SIMUL ET INFORME SEU INFRUCTUOSUM

509. Casus, qui praecipue in disputationem adducitur, est sequens. Si Petrus commisit duo peccata mortalia specie diversa, fornicationem scilicet et furtum, et, cum se disponit ad sacramentum poenitentiae, involuntarie obliviscitur furti, de fornicatione vero dolet attritione supernaturali motivo particulari, ob specialem turpitudinem vel foeditatem contra virtutem infusam castitatis, cum proposito emendationis, et ita dispositus, immemor furti, confitetur peccatum fornicationis, quin doleat de furto, et absolvitur a confessario.

Quaeritur, an in hoc casu sacramentum poenitentiae sit validum propter dispositionem sufficientem in poenitente, et informe seu infructuosum propter peccatum furti, quod remanet irremissum in anima.

Si quis duo peccata specifice diversa habens, immemor unius, doleat de uno attritione supernaturali concepta ex motivo universali, in quo complectatur ratio alterius peccati, cujus obliviscitur, sacramentum est validum et fructuosum, quia dolor conceptus ex motivo universali se extendit ad peccatum oblitum, et remittitur illud per accidens per sacramentum poenitentiae.

Sed casus est de poenitente, qui dolet de uno peccato ex motivo supernaturali quidem sed particulari, ob foeditatem scilicet specialem unius peccati contra virtutem infusam, quod non se extendit ad rationem formalem alterius peccati.

510. II. **Sententiae.** Duplex est hac in re theologorum sententia.

Prima sententia negat posse dari sacramentum poenitentiae validum et informe. Ita *Vazquez*, *Laymann*, et alii [3]. Absolutio in casu juxta alios est fructuosa, juxta alios nulla.

Altera sententia valde communior affirmat, et dicit poenitentem in casu proposito recipere valide sacramentum, quia forma a legitimo ministro prolata cadit supra materiam proximam, sed infructuose, quia, dum habet peccatum furti in anima, nequit recipere gratiam. Ita *S. Tho-*

---

[1] *Decret.* 5 Maji 1667; **Denz-Bannw.**, 1146.

[2] Cfr. **Billot,** *De poenitentia*, th. 15. Plures theologi dicunt, et **Liberius a Jesu,** *Controv.*, t. 4, tr. 5, *De poenitentia*, p. 2, disp. 3, a. 1, probare conatur hujusmodi attritionem ex metu gehennae conceptam appellari posse Dei dilectionem inchoative et in radice. Cfr. **Honoratus del Val,** *De sacramento poenitentiae*, n. 255.

[3] **Vazquez,** *In III p.*, q. 92, a. 2; **Laymann,** lib. 5, tr. 6, c. 9.

mas, Sotus, Suarez, Lugo, Gabriel a S. Vincentio, Salmanticenses morales, S. Alphonsus, et alii [1].

511. III. Haec secunda sententia est probabilior, tum ob auctoritatem S. Thomae, tum ob rationem.

S. Thomas ait: «Confessio potest esse etiam in eo, qui non est contritus, quia potest peccata pandere sacerdoti, et clavibus Ecclesiae se subjicere, et quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet, sicut etiam in aliis sacramentis dictum est. Unde non tenetur iterare confessionem, qui fictus accedit, sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri» [2], id est, tenetur peccatum prius oblitum confiteri.

Ratio hoc suadet, quia poenitens, de quo in casu, ex una parte habet materiam tum remotam tum proximam et dispositionem necessariam ad integritatem sacramenti, et recipit absolutionem; sed aliunde habet peccatum, ad quod dolor non extenditur, et quod proinde, cum non remittatur, est obstaculum gratiae recipiendae. Hinc poenitens recipit sacramentum validum sed informe.

QUAESTIO XXIX

DE CONFESSIONE

ARTICULUS I

QUID SIT CONFESSIO SACRAMENTALIS

512. Diximus superius sacramentum poenitentiae habere rationem judicii, quod exercetur in tribunali. In omni autem judicio requiruntur tres saltem personae, actor, judex, et reus, nisi aliquando ipse reus suppleat munus actoris. Actor accusat, judex sententiam absolutoriam vel condemnatoriam fert, et reus sententiae judicis paret.

In tribunali poenitentiae poenitens est reus simul et actor. Postquam enim peccata commiserit, conscientiam suam aperit atque peccata judici defert. Unde totum negotium inter judicem poenitentemque absolvitur.

Poenitens igitur, actoris et rei officium agens, incipit processum per confessionem auricularem, quae definitur: *Accusatio peccatorum post baptismum commissorum, sacerdoti jurisdictionem habenti facta ad veniam virtute absolutionis impetrandam.*

Non est mera narratio peccatorum commissorum, sed est accusatio eorum in ordine ad absolutionem. «Peccata, ait ad rem *Catechismus*

---

[1] **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 9, a. 1; **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 18, q. 3, a. 3; **Suarez,** *De poenitentia*, disp. 20, sect. 5, n. 7; **Lugo,** *De poenitentia*, disp. 14, sect. 6-7; **Gabriel a S. Vinc.,** *De sacram. poenit.*, disp. 6, q. 1; **Salm. mor.,** *De sacramento poenitentiae*, c. 5, dub. un., n. 9; **S. Alphonsus,** lib. 6, n. 444.

[2] *Supplementum*, q. 9, a. 1.

Romanus, ita commemoranda non sunt, quasi scelera nostra ostentemus, ut ii faciunt, qui laetantur, cum male fecerint..., verum accusatorio animo ita enumeranda sunt, ut ea etiam in nobis vindicare cupiamus» [1].

Potest esse confessio magis vel minus integra, prout peccata magis vel minus distincte sacerdoti manifestentur, ut infra videbimus.

ARTICULUS II

UTRUM CONFESSIO AURICULARIS SIT JURE DIVINO NECESSARIA AD PECCATORUM POST BAPTISMUM COMMISSORUM VENIAM OBTINENDAM

513. I. **Errores.** 1) *Wiclef* saeculo XIV primus negasse videtur divinam institutionem confessionis auricularis, imo et negavit ejus utilitatem in contritis [2].

2) *Petrus de Osma*, Doctor salmanticensis, saeculo XV docuit confessionem de peccatis in specie provenire «ex aliquo statuto universalis Ecclesiae, non de jure divino», eamque debere esse «de peccatis secretis, non de manifestis» [3].

3) *Lutherus* primo ajebat: «Occulta autem confessio, quae modo celebratur, etsi probari ex Scriptura non possit, miro modo tamen placet, et utilis, imo necessaria est, nec vellem eam non esse, imo gaudeo eam esse in Ecclesia Christi, cum sit ipsa afflictis conscientiis unicum remedium» [4]. Hoc unum detestatur «esse eam confessionem in tyrannidem et exactionem pontificum redactam» [5]. Deinde addit non esse necessarium, ut omnia peccata et circumstantiae manifestentur, sed satis esse, ut cuilibet, etiam laico, qua fratri fiat confessio [6].

4) *Melanchthon* ait: «Fortassis initio mos ille enumerationis singulorum delictorum ortus est ab iis, qui delicta coram ministris aut Ecclesia confitebantur» [7]. «Utile est autem rudiores ad aliquam generalem enumerationem juxta ordinem decalogi institutam assuefacere» [8], tamen «quod... in arcana confessione enumeratio omnium vel paucorum delictorum non sit praecepta jure divino manifestum est» [9].

5) *Calvinus:* «Miror autem qua fronte ausint contendere confessionem, de qua loquuntur, juris esse divini; cujus equidem vetustissimum esse usum fatemur, sed quem facile evincere possumus olim fuisse liberum... Nondum elapsi sunt anni trecenti, ex quo injectus (est) ab Innocentio III laqueus et imposita confitendi necessitas» [10].

6) *Protestantes recentiores*, si ritualistas excipias, respuunt confessionem auricularem.

7) *Plerique indifferentistae, rationalistae atque incredulli hodierni*, ut vitiis et passionibus habenas facilius laxare possint, ubique vociferantur confessionem auricularem esse inventum sacerdotum Ecclesiae catholicae, imo

---

1 *Part.* 2, c. 5, n. 38.

2 Cfr ejus propositionem a concilio constantiensi damnatam; **Denz-Bannw.**, 587.

3 Errores 2 et 4 Petri de Osma damnati a Sixto IV, 9 Aug. 1478; **Denz-Bannw.**, 725 et 727.

4 *De capt. babyl.*, De sacram. poenit., «Occulta autem».

5 *Ibidem*, «Ego etsi».

6 *Ibidem*, «Occulta autem».

7 *Loci theologici*, De confessione, «Diligentia».

8 *Loci theologici*, De confessione, «Utile est autem».

9 *Loci theologici*, De confessione, «Quod igitur».

10 *Instit.*, lib. 3, c. 4, n. 7.

et audent adserere per confessionem bonos mores corrumpi pacemque familiarum destrui.

514. II. **Opiniones quorumdam.** Aliqui indifferentes et increduli, licet dogmata Ecclesiae catholicae inficientur, utilitatem tamen confessionis auricularis agnoscunt.

Leibnitz ait: «Totum hoc institutum divina sapientia dignum esse negari non potest, et si quid aliud, hoc certe in religione christiana praeclarum et laudabile est, quod sinenses et japonenses sunt admirati; nam et a peccatis multos deterret confitendi necessitas, eos maxime, qui nondum obdurati sunt, et lapsis magnam consolationem praestat, et adeo puto pium, gravem et prudentem confessarium magnum Dei organum esse ad animarum salutem» [1].

Voltaire adseruit confessionem auricularem maximum esse frenum, quod homines a vitiis praesertim occultis retrahat [2].

Similia habet *Rousseau* [3].

515. THESIS. **Confessio auricularis peccatorum lethalium, quae post baptismum commissa sunt, est jure divino necessaria ad obtinendam eorum veniam.**

Arg. 1) *Ex institutione sacramenti poenitentiae.* Diximus et probavimus supra potestatem clavium, qua administratur sacramentum poenitentiae, exerceri per modum judicii. Sed potestas judicialis exerceri nequit in sacramento sine confessione. Ergo.

Probatur minor. In sacramento poenitentiae agitur judicium inter sacerdotem, qui est judex, et poenitentem, qui est reus. Judex autem cognoscere debet causam, quae in judicium defertur, scilicet poenitentis delicta, ut sciat quid absolvere quidve retinere possit, imo et quam satisfactionem reo imponere debeat. Porro nullatenus potest sacerdoti causa rei seu delictum poenitentis innotescere nisi per confessionem ipsius poenitentis. Ergo potestas judicialis exerceri nequit in hoc sacramento sine peccatorum confessione [4].

2) *Ex S. Scriptura.* Sunt et alia Scripturae testimonia, quae, licet seorsim necessitatem confessionis non videantur demonstrare, veritatem tamen ex institutione jam statutam satis confirmant.

S. Lucas: *Multique credentium conveniebant* (ad Paulum) *confitentes* ἐξομολογούμενοι *et annuntiantes actus suos* πράξεις [5]. Actus in hoc loco significant peccata. Unde in aliquibus codicibus graecis legitur τας ἁμαρτιας; et *S. Joannes Chrysostomus* exponit hunc locum de confessione sacerdoti facienda [6].

S. Joannes: *Si confiteamur*—ὁμολογωμεν—*peccata nostra, fidelis est*

---

1 *System der Theol.*, p. 264 sq.

2 *Dictionnaire philosophique*, v. Catechisme.

3 *Emile*, liv. III.

4 **Melanchthon,** *Loci theologici*, De confessione, «Respondeo» agnoscens vim hujus argumenti, sacramentum poenitentiae non vult appellare judicium, sed ministerium Evangelii. «At ministerium Evangelii est mandatum certum impertiendi beneficii, scilicet annuntiandae remissionis, sive nota sint sive ignota». Sed perperam haec dicta sunt, quia ex verbis Evangelii constat hoc sacramentum exercendum esse per modum judicii.

5 *Act.*, 19, 18.

6 **S. Joannes Chrys.,** *In Acta Apost.*, hom. 41, n. 2; MG **60,** 290.

et justus (Deus), *ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate* [1].

Apostolus: *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat... Quod si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur* [2]. Apostolus monet hic, ut unusquisque se ipsum exploret, an bene ad communionem se praeparaverit.

S. Jacobus: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum... Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua* [3].

Haec, inquam, si recte interpretentur, satis testantur necessitatem confessionis auricularis.

3) *Ex concilio tridentino.* Patres concilii tridentini hanc definitionem ediderunt: *Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse jure divino; aut dixerit modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum, a. s.* [4].

4) *Ex traditione christiana.* Saeculo jam I post completam S. Scripturam incipiunt documenta, quae doctrinam de necessitate confitendi continent.

Didaché seu *Doctrina duodecim apostolorum* ait: «In ecclesia confiteberis peccata tua, neque accedes ad orationem tuam in conscientia mala» [5]. «Die dominica autem convenientes frangite panem et gratias agite, postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum sacrificium vestrum» [6]. In his locis agi de confessione, non soli Deo sed sacerdoti

---

[1] *I Joannis*, 1, 9.

[2] *I Cor.*, 11, 28-31.

[3] *Jacobi*, 5, 14-16. **S. Joannes Chrysostomus** interpretatur hunc locum de confessione sacramentali. *De sacerdotio*, lib. 3, n. 6; MG **48,** 644.

[4] *Sess.* 14, can. 6, *De poenitentia;* **Denz-Bannw.,** 916. Totam circa hoc doctrinam egregie exponit idem concilium dicens: «Ex institutione sacramenti poenitentiae jam explicata, universa Ecclesia semper intellexit institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem (*Jac.* 5, 16; *I Joan.*, 1, 9; *Luc.*, 17, 14), et omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam exsistere (can. 7), quia Dominus noster Jesus Christus, e terris ascensurus ad caelos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit (*Matth.*, 16, 19; 18, 18; *Joan.*, 20, 23), tanquam praesides et judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quae Christi fideles crediderint, qui pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim *sacerdotes judicium incognita causa exercere non potuisse*, neque aequitatem quidem illos in poenis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie ac singillatim sua ipsi peccata declarassent... Unde, cum a sanctissimis et antiquissimis Patribus magno unanimique consensu *secreta confessio sacramentalis*, qua ab initio Ecclesia sancta usa est et modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam et inventum humanum esse, atque a Patribus in concilio lateranensi congregatis initium habuisse docere non verentur (can. 8); neque enim per lateranense concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure necessarium et institutum esse intellexerat, sed ut praeceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur». *Sess.* 14, c. 5; **Denz-Bannw.,** 899 sqq.

[5] *Didaché*, 4, 14; **Journel,** 3.

[6] *Didaché*, 14, 1; **Journel,** 8.

facienda, ex eo constare videtur, quod jubetur confessionem fieri in ecclesia.

Epistola Barnabae: «Non facies dissidium, sed pacem conciliabis inter contendentes, eos associans. Confiteberis peccata tua. Non accedens ad orationem tuam in conscientia mala» [1].

Clemens Romanus (96-98): «Quandiu sumus in hoc mundo, de malis, quae in carne gessimus, ex toto corde resipiscamus, ut a Domino salvemur, dum habemus tempus poenitentiae. Postquam enim ex hoc mundo migraverimus, non possumus amplius ibi confiteri ἐξομολογήσασθαι aut poenitentiam adhuc agere» [2].

Saeculo II. *S. Irenaeus* (202), loquendo de gnosticis, Marci discipulis, ait: «Multas seduxerunt mulieres, quae cauterizatas conscientias habentes, quaedam quidem etiam in manifesto exomologesim faciunt, quaedam autem reverentes hoc ipsum in silentio sensim semetipsas retrahunt, desperantes a vita Dei, quaedam quidem in totum abscesserunt, quaedam autem inter utrumque dubitant» [3].

Saeculo III. *Origenes* (253): «Sicut ii, qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho graviter et moleste immanentis abundantiam, si vomuerint, relevantur; ita etiam ii, qui peccaverunt, si quidem occultant et retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur, et propemodum suffocantur a phlegmate vel humore peccati, si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum et confitetur, simul evomit et delictum, atque omnem morbi digerit causam» [4].

S. Cyprianus (258): «Confiteantur singuli... delictum suum, dum adhuc, qui deliquit, in saeculo est, dum admitti ejus confessio potest, dum satisfactio et remissio, facta per sacerdotes, apud Dominum grata est» [5].

Saeculo IV. *Aphraates* (335-345): «Qui a Satana percussus fuit, non debet pudere delictum suum confiteri, illudque relinquere, et poenitentiam in remedium postulare... Si quis autem erubuerit, sanari non poterit, quoniam plagas suas non vult patefacere medico... Vos autem medici, qui insignis medici nostri estis discipuli, non debetis medicinam iis denegare, quibus curatione opus est. Quicumque vobis suum vulnus detexerit, ei remedium imponite poenitentiae; eum autem, qui infirmitatem suam manifestare erubuerit, ne hanc a vobis abscondat adhortamini; cumque ipsam vobis revelaverit, nolite eam publicare» [6].

En confessio auricularis cum obligatione sigilli servandi ex parte confessarii.

S. Athanasius (373): «Quemadmodum homo a sacerdote baptizatus Spiritus Sancti gratia illuminatur, ita qui confitetur, in poenitentia per sacerdotem Christi gratia remissionem accipit» [7].

---

1 *Epistola Barnabae,* 19, 12; MG **2,** 780.
2 *Ep. II ad Cor.,* c. 8; MG **1,** 342.
3 *Adv. haer.,* lib. 1, c. 13, n. 7; MG **7,** 592.
4 *In ps.* 37, *hom.* 2, n. 6; MG **12,** 1386.
5 *De lapsis,* c. 29; ML **4,** 503.
6 *Demonstrationes,* 7, 3-4; *Patr. Syr.,* 1, 318; **Journel,** 685.
7 *Fragmenta;* MG **26,** 1316.

S. Basilius (379): «Servanda est ratio eadem in peccatorum confessione, quae in detergendis corporis morbis adhibetur. Quemadmodum igitur corporis morbos non omnibus patefaciunt homines, neque quibusvis, qui horum curandorum periti sunt, ita fieri quoque debet peccatorum confessio coram iis, qui curare haec possint» [1]. «Peccata iis confiteri necesse est, quibus mysteriorum Dei concredita dispensatio est» [2].

S. Pacianus (391): «Vos ergo primum appello, fratres, qui criminibus admissis poenitentiam recusatis; vos, inquam, post impudentiam timidos, post peccata verecundos, qui peccare non erubescitis, et erubescitis confiteri» [3].

Saeculo V et deinceps *S. Augustinus, S. Leo, S. Gregorius M.*, aliique christianam de necessitate confessionis auricularis traditionem clarissime retinuerunt ac posteris transmittendam curarunt.

5) *Ex conciliis particularibus.* Concilia particularia in diversis nationibus olim celebrata regulas statuerunt circa modum confitendi peccata etiam occulta sacerdotibus, et circa rationem agendi poenitentiam. Conferenda sunt praesertim concilia *carthaginense*, a. 397 [4], et *quinisextum*, a. 692 [5].

6) *Ex consensu ecclesiarum orientalium dissidentium.* Validum ad rem petitur argumentum ex consensu harum ecclesiarum. Schisma siquidem orientale absolutum est ante tempora, in quibus novatores dicunt inventam fuisse confessionem auricularem. Schismatici deinde infensissimi, ut erant, latinorum hostes, nullam voluerunt accipere doctrinam, institutionem vel caeremoniam Ecclesiae romanae, quae non fuerit communis in Ecclesia ante eorum separationem. Unde, si schismatici retinent confessionem auricularem, oportet dicere illam fuisse communem in omnibus ecclesiis ante separationem schismaticorum. Porro ariani, separati ab Ecclesia romana a saeculo IV, eutichiani ac nestoriani a saeculo V, graeci schismatici a saeculo IX, et copti, syri, jacobitae, armeni, etc., ex praefatis sectis deinde orti, retinent confessionem auricularem in suis ecclesiis, ut constat ex theologis schismaticis. Unde *Jeremias*, patriarcha cpolitanus, refutavit caput undecimum *Confessionis Augustanae*. Et *Petrus Mogila*, metropolitanus kiovensis, edidit *Confessionem orthodoxae fidei*, in qua haec leguntur: «Hanc cordis contritionem sequi debet viva voce singillatim facta omnium peccatorum confessio. Non enim solvere pater spiritualis potest, ubi nihil solvendum deprehendit, nec poenam mulctarnque ideo imponere» [6].

Solvuntur difficultates.

516. Obj. 1.° Altum silentium tenet S. Scriptura circa confessionem auricularem. Si autem confessio auricularis esset institutionis divinae, non posset explicari hoc silentium. Ergo.

---

[1] *Reg. brev.*, 229; MG **31,** 1235.
[2] *Reg. brev.*, 288; MG **31,** 1283.
[3] *Paraen. ad poenit.*, n. 6; ML **13,** 1085.
[4] *Cap.* 30; **Mansi,** 3, 923.
[5] *Can.* 102; **Mansi,** 11, 987.
[6] *Confessio orthodoxae fidei.*

Resp. 1) *Neg. maj.* In S. Scriptura satis clare innuitur necessitas confessionis auricularis ad remissionem peccatorum. Ex ipsa sacramenti poenitentiae institutione certe colligitur peccata esse a poenitente judici manifestanda; et in variis locis S. Scripturae, cum hortamur ad poenitentiam vel etiam ad confessionem, commendatur confessio auricularis.

2) Gratis supponitur in objectione omnia dogmata contineri in S. Scriptura. Sunt aliqua dogmata, quae in sacris litteris non referuntur, et a Deo esse revelata noscimus.

Obj. 2.° *Ex institutione et suppressione muneris poenitentiarii.* In historiis ecclesiasticis legimus ab episcopis institutum esse munus poenitentiarii pro excipiendis fidelium confessionibus, et a Nectario Patriarcha Cpolitano suppressum fuisse ob delictum, quod in ecclesia patratum fuerat [1]. Ergo confessio auricularis instituta fuit in Ecclesia ab episcopis.

Resp. 1) Hic victoriam canunt protestantes, et *Calvinus* ausus est dicere: «Ob id facinus Nectarius... confitendi ritum abrogavit. Hic aures asini isti (catholici) arrigant. Si lex Dei erat auricularis confessio, qui ausus esset Nectarius eam refigere ac convellere? [2].

2) *Baronius* [3] hanc historiam inter fabulas putat esse recensendam; *Canus* e contra et *Waldensis* [4] non solum admittunt factum, sed exsistimant confessionem auricularem fuisse a Nectario inique abrogatam; sed alii cum Bellarmino [5] melius dicunt casum esse explicandum, prout sequitur.

3) Munus poenitentiarii, non confessio auricularis nec potestas audiendi confessiones, dicitur esse institutum ab episcopis, ut sacerdotes ad hoc deputati levarent laborem episcoporum in audiendis confessionibus, et hujusmodi munus poenitentiarii abrogavit Nectarius, quin circa ipsam confessionem auricularem aliquid innovaret. Ipsa institutio muneris poenitentiarii supponebat exsistentiam confessionis auricularis, et post suppressum munus poenitentiarii obligatio confessionis auricularis integra mansit. Nihil ergo immutatum est ab episcopis in institutione poenitentiariorum, vel a Nectario in eorum suppressione. Nunc etiam in quibusdam Basilicis Romae et in pluribus orbis catholici cathedralibus adsunt poenitentiarii, quibus specialiter committitur audire fidelium confessiones, sed nihil innovaretur circa confessionem auricularem, si Ecclesia hos poenitentiarios supprimeret [6].

Obj. 3.° *S. Joannes Chrisostomus* ait: «Nec cogat (Deus) in medium procedentes, quae peccavimus enuntiare, sed sibi soli rationem reddere, jubeat et sibi confiteri... ut... solo testimonio nostro contentus sit» [7]. «Hortor, rogo et oro, ut frequenter Deo confiteamini. Non te in theatrum conservorum tuorum duco, neque hominibus peccata revelare cogo» [8]. Idem dicit alibi saepe.

---

[1] **Socrates** ait: «Episcopi poenitentiarium presbyterum albo ecclesiastico adjecerunt, ut, qui post baptismum lapsi essent, coram presbytero ad eam constituto sua delicta confiterentur». *Hist. eccl.*, lib. 5, c. 19; MG **67,** 614-615. «Ex presbyteris aliquem, qui vitae integritate spectatissimus esset, et taciturnitate et prudentia polleret, huic officio praefecerunt, ad quem accedentes ii, qui deliquerant, actus suos confitebantur». *Hist. eccl.*, lib. 7, c. 16; MG **67,** 1459. En institutio. Ob scelus tamen, quod in ecclesia a diacono quodam patratum fuerat, et ob scandalum, quod exinde in populo sequutum fuerat, Nectarius Patriarcha Cpolitanus, suadente Eudaemone sacerdote, «presbyteros ecclesiarum, qui poenitentiae praeerant, placuit aboleri». **Socrates,** *H. E.*, lib. 5, c. 19; MG **67,** 614.

[2] *Inst.*, lib. 3, c. 4, n. 7.

[3] *Annal. ad annum* 388.

[4] **Canus,** *Relectio de poenitentia*, p. 5, in fine; **Waldensis,** *Doctrinale fidei*, t. 2, c. 141.

[5] *De poenitentia*, lib. 3, c. 14.

[6] Cfr. **Norbertus del Val,** *De sacramento poenitentiae*, n. 263.

[7] *Catechesis* 2 *ad illuminandos*, n. 4; MG **49,** 237.

[8] *De incomprehensibili*, hom. 5, n. 7; MG **48,** 746.

Resp. 1) In aliquibus locis, quae referuntur, *S. Joannes Chrysostomus* loquitur ad catechumenos, quibus non opus est peccata hominibus revelare aut confiteri. Satis est, ut dolorem de peccatis concipiant, et baptismi sacramentum suscipiant.

2) In aliis locis, quando Chrysostomus loquitur de confessione soli Deo facienda, excludit necessitatem confessionis *publicae*, non secretae soli sacerdoti faciendae. Exsistimabat S. Doctor manifestationem peccatorum, quae fit sacerdoti locum Dei tenenti, atque sub sigillo sacramentali confessiones nomine Christi excipienti, dici posse confessionem *soli Deo* fieri.

S. Joannes Chrysostomus hoc pacto cum se ipso conciliandus est. Saepe enim commendat alibi usum confessionis auricularis.

Obj. 4.° Concilium cabillonense II (a. 813) haec habet: «Quidam *Deo solummodo* confiteri debere dicunt peccata, quidam vero *sacerdoti* confitenda esse percensent, quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam... Confessio itaque, quae Deo fit, purgat peccata; ea vero, quae sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata... Deus namque... plerumque haec praebet suae potentiae admirabili administratione, plerumque medicorum operatione» [1].

Haec fere verba retulit *Gratianus* ex Poenitentiali Theodori archiepiscopi cantuariensis saeculi VII [2].

Magister Sententiarum saeculo XII adseruit duplicem tunc vigere opinionem, unam, quae soli Deo, et alteram, quae defendit sacerdotibus esse faciendam confessionem [3].

Resp. 1) Concilium cabillonense solummodo refert opinionem quorumdam dicentium peccata esse soli Deo confitenda, sed non approbat hanc opinionem. Imo contrariam sententiam docuisse videtur, quando emendatione indigere censet, «quod quidam, dum confitentur sua peccata sacerdotibus, non plene id faciunt» [4].

2) *Sylvius* putat Gratianum de hoc dubitasse [5]; *Valentia* dicit ipsum turpiter errasse [6]; alii volunt Gratianum solum intendisse referre opinionem.

3) *Magister* item *Sententiarum* solum retulit, non approbavit, opinionem eorum, qui docebant peccata soli Deo esse confitenda.

De Gratiano et Magistro Sententiarum ait *Angelicus:* «Magister et Gratianus hoc pro opinione ponunt. Sed nunc, post determinationem Ecclesiae sub Innocentio III factam, haeresis reputanda est» [7].

Corollarium. Vehementer falluntur hodierni increduli, cum dicunt confessionem auricularem institutam fuisse ab Innocentio III in concilio lateranensi (a. 1215). Hoc enim est: 1) *historice falsum*, quia ante concilium lateranense vigebat confessio auricularis; et 2) *dogmatice absurdum*, quia Ecclesia, sicut non potuit instituere sacramenta, ita nec potuit instituere confessionem auricularem, quae est pars sacramenti poenitentiae, si Christus eam non instituit, ut diserte probant *Scotus, Canus, Bellarminus*, et alii [8].

---

[1] *Can.* 33.
[2] *Dist.* 1, c. 34-37 de poenitentia.
[3] *IV Sent.*, dist. 17, n. 3; ML **192,** 881.
[4] *Can.* 32.
[5] *In supplementum*, q. 6, a. 1 ad 7.
[6] *In III p.*, disp. 7, q. 9, p. 2.
[7] *In IV Sent.*, dist. 17, exposit. textus in fine.
[8] **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 17, q. un.; «Si tertium»; **Canus,** *Relectio de poenitentia*, p. 6, § «Ita licet Ecclesia»; **Bellarminus,** *De sacramento poenitentiae*, lib. 3, c. 12.

ARTICULUS III

QUALIS DEBEAT ESSE CONFESSIO AURICULARIS

517. Status quaestionis. 1) Confessio potest esse *numerica*, cum poenitens se accusat de omnibus numero peccatis commissis; *specifica*, cum omnia peccata specie distincta manifestat; et *generica*, cum non numerum neque speciem peccatorum exponit confessario, sed se esse peccatorem adserit, et se accusat de omnibus in genere peccatis.

2) In confessione numerica adest *integritas materialis;* in confessione specifica et generica potest esse *integritas formalis*, si ea omnia peccata exponantur, quae poenitens hic et nunc confiteri potest ac debet.

3) Quaeritur hic, qualis esse debeat confessio, an integra materialiter vel formaliter, et si aliquando sufficit integra formaliter, an requiratur integritas formalis ex specifica accusatione, vel satis sit integritas formalis ex generica accusatione.

518. Error. Protestantes dixerunt nullibi constare obligationem confitendi *singula peccata*, nec faciendi *confessionem integram materialiter*, quamvis poenitens ea singillatim recordetur; nec opus esse facere confessionem formaliter integram ex specifica peccatorum accusatione, quamvis hoc possibile sit; sed sufficere semper accusationem genericam.

519. Doctrina catholica. Veram doctrinam tradidit concilium tridentinum dicens: *Si quis dixerit in sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant, sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum poenitentem, et olim observatum fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinae misericordiae ignoscendum; aut demum non licere confiteri peccata venialia, a. s.* [1].

520. THESIS. 1) **Confessio sacramentalis ex institutione Christi debet esse per se integra materialiter ex numerica accusatione peccatorum mortalium**; 2) **sed ubi hoc est moraliter impossibile, sufficit et requiritur integritas formalis ex accusatione specifica peccatorum mortalium**; 3) **aliquando tamen sufficit integritas formalis ex accusatione generica peccatorum.**

Pars 1.ª Per se requiritur integritas materialis ex accusatione numerica peccatorum mortalium. Constat ex concilio tridentino.

Arg. 1) Sacramentum poenitentiae ex sua institutione exercendum est judicialiter. Sed in judicio, in quo agitur de absolvendo vel

[1] *Sess.* 14, can. 7; **Denz-Bannw.,** 917.

ligando reo, oportet manifestari judici omnia et singula rei peccata. Ergo.

2) Confessarii munus est debitam pro peccatis satisfactionem poenitenti imponere. Sed confessarius nequit debitam satisfactionem poenitenti imponere, quin cognoscat ejus delicta. Ergo.

3) Juxta SS. Patres grave peccatum est in confessione celare peccata. Ergo confessio per se debet esse integra materialiter.

Pars 2.ª Ubi integritas materialis est impossibilis, sufficit et requiritur integritas formalis ex distincta et specifica accusatione peccatorum mortalium.

Nota. Integritas materialis confessionis ex numerica accusatione peccatorum aliquando est impossibilis physice vel moraliter, et tunc quaerenda est integritas saltem formalis ex specifica accusatione peccatorum mortalium, quae in hoc casu sufficit, et requiritur, si fieri potest.

I. **Sufficit integritas formalis, ubi integritas materialis est impossibilis.**

Arg. 1) Concilium tridentinum expresse ait: «Constat enim nihil aliud in Ecclesia a poenitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit..., ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit; reliqua autem peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelligantur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: *Ab occultis meis munda me, Domine* [1].

2) Poenitens, cui impossibile est enumerare omnia et singula peccata mortalia, non est privandus sacramento poenitentiae.

3) Cum poenitens manifestat confessario ea peccata, quae hic et nunc potest ac debet declarare, sicut requiritur ad integritatem formalem confessionis, potest habere dolorem universalem de omnibus, etiam occultis et oblitis, et ita absolvi de cunctis, imo et justam satisfactionem conformem statui conscientiae a confessario acceptare. Ergo sufficit ipsi integritas formalis.

II. **Integritas formalis ex accusatione specifica peccatorum requiritur, si obtineri potest.**

Arg. 1) Concilium tridentinum docet omnia peccata, quorum poenitens conscientiam habet, imo et circumstantias mutantes speciem, declaranda esse in confessione [2]. Ergo requiritur integritas formalis ex specifica peccatorum accusatione.

2) Haec integritas quaerenda est ex necessitate, quam confessarius habet cognoscendi statum poenitentis.

Pars 3.ª Aliquando sufficit integritas formalis ex accusatione generica peccatorum mortalium.

Arg. 1) Concilium carthaginense IV ait: «Is, qui poenitentiam in infirmitate positus petit, si casu, dum ad eum sacerdos venerit, oppres-

---

[1] *Sess.* 14, c. 5; **Denz-Bannw.**, 900.
[2] *Sess.* 14, c. 5; **Denz-Bannw.**, 899.

sus infirmitate obmutuerit vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, et accipiat poenitentiam»[1].

2) Id ipsum confirmat *Rituale Romanum*, tit. 3, c. 1, n. 24.

3) Confessio peccatorum in genere est quaedam accusatio, qua poenitens ut reus judici sistit, imo et aliquantulum peccata clavibus Ecclesiae subjicit. Hoc autem, ubi major integritas obtineri non potest, videtur sufficere ad absolutionem valide conferendam.

QUAESTIO XXX

DE SATISFACTIONE SACRAMENTALI

ARTICULUS UNICUS

QUID SIT SATISFACTIO SACRAMENTALIS

521. Status quaestionis. 1) In peccato duo sunt consideranda, culpa scilicet, qua Deum offendimus, et poena, quae ipsi debetur.

2) Peccato mortali, quo Deum offendimus debetur duplex poena, aeterna nempe et temporalis. Peccato mortali, quatenus est aversio a Deo, debetur poena aeterna, et quatenus est conversio ad bonum commutabile, debetur poena temporalis.

3) Remissa per contritionem vel per sacramentum poenitentiae culpa, non semper remittitur tota poena, ut contra protestantes docet concilium tridentinum dicens: *Si quis dixerit totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque poenitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, a. s.* [2]. Praeiverat *S. Augustinus* dicens: «Cogitur homo tolerare (mala) etiam remissis peccatis, quamvis, ut in eam veniret miseriam, primum fuit causa peccatum. Productior est enim poena quam culpa; ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et poena. Ac per hoc... temporaliter hominem detinet poena, et quem jam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa» [3].

4) *Quomodo hoc contingat*, diversimode explicant theologi catholici.

a) Aliqui dicunt poenam aeternam in remissione culpae remitti quoad aeternitatem durationis et remanere quoad durationem temporalem. Ita *Valentia* et alii [4].

Sed hoc videtur minus recte dictum. Poena enim aeterna est indivisibilis.

b) Alii melius dicunt poenam aeternam, quae peccato mortali, quatenus est aversio a Deo, debetur, simul cum culpa totaliter remitti, et poenam temporalem, quae peccatis, in quantum sunt conversio illicita

---

1 *Can.* 76; ML **84,** 206.
2 *Sess.* 14, can. 12; **Denz-Bannw.,** 922. Cfr. *Sess.* 6, can. 30; **Denz-Bannw.,** 840.
3 *In Joan.*, tr. 124, n. 5; ML **35,** 1972.
4 *In III p.*, disp. 7, q. 14, p. 1.

ad creaturas, debetur, post remissionem culpae partim saepe remanere. Ita videtur docuisse concilium tridentinum [1], et probare conantur plures theologi [2].

5) Poenae temporales post remissionem culpae remanentes possunt extingui quadruplici via:

a) *Per applicationem meritorum* Christi, beatissimae Virginis Mariae, et sanctorum in indulgentiis et in sacrificio eucharistico.

b) *Per satis passionem et expiationem in purgatorio*, quando in loco expiatorio, qui purgatorium dicitur, per dolores et afflictiones solvenda erunt omnia poenae temporalis debita.

c) *Per opera satisfactoria seu poenalia virtutis poenitentiae.* Potest certe homo justus actiones poenales seu afflictivas extra sacramentum poenitentiae exercere, quibus valeat debitum temporale ex delictis dimissis erga Deum relictum compensare ac redimere, ut expresse declaravit concilium tridentinum et confirmarunt documenta pontificia.

Concilium tridentinum ait ad rem: *Si quis dixerit pro peccatis quoad poenam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis vel aliis etiam pietatis operibus, atque optimam poenitentiam esse tantum novam vitam, a. s.* [3].

Deinde S. Pius V damnavit Baji propositionem 77 his verbis expressam: «Satisfactiones laboriosae justificatorum non valent expiare de condigno poenam temporalem restantem post culpam condonatam» [4].

Haec opera satisfactoria seu poenalia, quibus homo affligitur et satisfacit Deo, possunt reduci ad orationem, jejunium et eleemosynam, quibus compescimus omnia genera peccatorum, concupiscentiam scilicet carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitae [5].

d) *Per satisfactionem sacramentalem*, seu per opera poenalia, quae sacerdos imponit poenitenti, ut partem sacramenti poenitentiae.

6) Satisfactio sacramentalis definiri potest: *Opus poenale voluntarium a confessario in sacramento poenitentiae poenitenti injunctum ad reparandam injuriam per peccatum Deo illatam et redimendam poenam temporalem.*

Tria sunt de hac satisfactione sacramentali investiganda: a) An satisfactio sit in sacramento poenitentiae a sacerdote poenitenti imponenda et a poenitente acceptanda; b) an sit necessario ante absolutionem implenda; c) quos effectus producat.

522. Errores. Novatores multiplici via corrumpunt doctrinam de satisfactione sacramentali.

Lutherus statuit imprimis satisfactionem esse innovationem vitae [6]; accusat Ecclesiam catholicam de excitanda fidelium desperatione; ac tandem

---

[1] *Sess.* 6, c. 14; **Denz-Bannw.,** 807.

[2] Cfr. **Pesch,** *De sacramento poenitentiae*, n. 230.

[3] *Sess.* 14, can. 13; **Denz-Bannw.,** 923.

[4] Ex Bulla *Ex omnibus afflictionibus*, 1 Oct. 1567, prop. 77; **Denz-Bannw.,** 1077

[5] Cfr. **S. Thomas,** *Supplem.*, q. 15, a. 3. Catechismus Romanus apposite ait ad rem: «Deum oratione placamus, proximo eleemosyna satisfacimus, nos ipsos vero jejunio castigamus». *Part.* 2, c. 5, n. 74.

[6] *De captiv. babyl. Ecclesiae*, De sacr. poenitentiae, «Satisfactionem».

perversitatem esse putat, «quod peccantes absolvimus ante satisfactionem impletam... Cum e contra absolutionem oporteat esse, sicut in primitiva Ecclesia, posteriorem satisfactione peracta» [1].

Melanchthon insurgit in monachos, quod doctrinam de satisfactione deturperint, et addit: «Etsi sustinent conversi poenas temporales, tamen hae prorsus nihil pertinent ad potestatem clavium, nec imponuntur, nec remittuntur potestate clavium» [2].

Calvinus denique doctrinam Ecclesiae de satisfactione appellat mendacia, quibus opponit «gratuitam peccatorum remissionem» [3], adseritque Christum esse peccatorum propitiationem et «non aliam esse satisfactionem» [4].

523. THESIS I. **De munere sacerdotis in tribunali poenitentiae est poenitentibus pro qualitate criminum et poenitentium facultate salutares et convenientes satisfactiones injungere.** *Est de fide.*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Haec sacerdotum obligatio colligitur ex facultate solvendi atque ligandi, quam ministris sacramenti poenitentiae contulit Christus (*Matth.*, 18,18). Qui enim potestatem habet solvendi atque ligandi reum, debet ab eo poenas exigere.

2) *Ex concilio tridentino.* Sancta tridentina synodus docet satisfactionem esse quasi materiam et partem poenitentiae [5]; et adjungit: «Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere» [6].

3) *Ex SS. Patribus. S. Innocentius I* statuit: «De pondere aestimando delictorum, sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem poenitentis, et ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem suam» [7].

S. Augustinus: «Veniat ad antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, et... a Praepositis sacramentorum accipiat satisfactionis modum» [8].

4) *Ex ratione congruentiae.* Sacerdos in tribunali poenitentiae est judex simul et medicus. Ut judex exercet potestatem clavium in peccatores, qui Deo volunt satisfacere. Munus quippe ministri potestatis clavium est satisfactionem poenitentis ad integritatem sacramenti elevare, ut majori cum efficacia extinguat debitum. Ut medicus debet medicinam peccatori praebere, ut aegrotum sanet, et a novis infirmitatibus contrahendis praeservet.

524. Scholion. *Qualis satisfactio sit a confessario injungenda poenitentibus.*

1) Doctrina certa, quam tradidit *S. Thomas* et confirmavit concilium tridentinum [9], docet in satisfactionibus imponendis atendendum

---

1 *De captiv. babyl. Ecclesiae*, De sacr. poenitentiae, «Processerunt».
2 *Loci theologici*, De satisfactione, «Tertio».
3 *Instit.*, lib. 3, c. 4, n. 25.
4 *Instit.*, lib. 3, c. 4, n. 26.
5 *Sess.* 14, c. 3; **Denz-Bannw.,** 896.
6 *Sess.* 14, c. 8; **Denz-Bannw.,** 905.
7 *Ep.* 1 *ad Decent.*, c. 7; ML **20,** 559.
8 *Serm.* 351, n. 9; ML **39,** 1545. **Journel,** 1530.
9 **S. Thomas,** *Quodlib.* 3, a. 28; *Concilium tridentinum, sess.* 14, c. 8; **Denz-Bannw.,** 905.

esse tum qualitati peccatorum tum facultatibus poenitentium. Hoc suadet ratio et expostulat prudentia. Imo, ubi poenitens est incapax poenitentiae adimplendae, potest ac debet a confessario, nulla imposita poenitentia, absolvi.

Curet in particulari confessarius opera poenalia imponere poenitentibus, quae aptiora videantur tum ad reparandam injuriam, tum ad exstinguendum debitum, tum ad praecavendum lapsum. *Rituale Romanum* ait: «Contrarias peccatis poenitentias injungat confessarius, velut avaris eleemosynas; libidinosis jejunia vel alias carnis afflictiones; superbis humilitatis officia; desidiosis devotionis studia» [1].

525. Corollarium. *Poenitens tenetur in sacramento poenitentiae satisfactionem a confessario sibi impositam acceptare et suo tempore adimplere.*

Concilium lateranense IV expresse hanc obligationem statuit dicens: «Omnia sua solus (poenitens) peccata... fideliter confiteatur..., et injunctam poenitentiam studeat pro viribus adimplere» [2].

Obligatio quippe imponendi opera satisfactoria, quam habet confessarius, correlativa est obligationi acceptandi atque adimplendi satisfactiones, quae incumbit poenitenti [3].

526. THESIS II. **Non est necessarium, ut satisfactio a poenitente opere impleatur ante absolutionem sacramentalem.**

Nota. *Petrus de Osma* imprimis, deinde *Lutherus* et alii protestantes, necnon jansenistae aliique haeretici, locis infra referendis, docuerunt satisfactionem esse adimplendam ante absolutionem sacramentalem, ideoque confessarium, audita confessione poenitentis impositaque ei poenitentia salutari, debere differre absolutionem, quousque poenitens, impleta poenitentia, redierit.

Arg. 1) *Ex propositionibus ab Ecclesia damnatis.*

Sixtus IV damnavit sequentem Petri de Osma propositionem: «Non sunt absolvendi poenitentes, nisi peracta prius poenitentia eis injuncta» [4].

Alexander VIII damnavit has propositiones; 16: «Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex et praescriptio, natura rei id ipsum quodammodo id dictante». 17: «Per illam praxim mox absolvendi ordo poenitentiae est inversus» [5].

2) *Ex Ecclesiae praxi.* Ecclesia consuevit ubique absolutionem poenitentibus ante peractam poenitentiam dare.

3) *Ex ratione.* Satisfactio in voto acceptata seu seria voluntas

---

[1] *Tit.* 3, n. 20.

[2] *Concil. lat.* IV, c. 21; **Denz-Bannw.,** 437.

[3] Cfr. **S. Thomas,** *In IV Sent.*, dist. 18, q. 1, a. 3, sol. 3 et 4; **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 19, q. 1, a. 2; **Vazquez,** *In III p.*, q. 94, a. 2, dub. 1; **Salmanticenses morales,** *De sacr. poenit.*, c. 10, p. 4.

[4] Bulla *Licet ea*, 9 Aug. 1478, prop. 5; **Denz-Bannw.,** 728.

[5] *Decreto S. Off.*, 7 Dec. 1690, prop. 16 et 17; **Denz-Bannw.,** 1306 sq. Cfr. pistoriensium propositiones 34 et 35, damnatae a Pio VI per Const. «Auctorem fidei», 28 Aug. 1794; **Denz-Bannw.,** 1534-1535.

satisfaciendi pertinet quidem ad essentiam sacramenti poenitentiae, et ita absolutionem praecedere debet; sed satisfactio opere completa non pertinet ad essentiam sed ad integritatem sacramenti, ut diximus supra. Hinc poenitentes, qui seriam habent voluntatem satisfaciendi seu acceptant satisfactionem in voto, ponunt ea omnia, quae sunt ad sacramentum poenitentiae necessaria, quamvis postea teneantur satisfactionem opere complere.

4) Moribundi, qui incapaces sunt satisfactionis implendae, absolvuntur et suscipiunt sacramentum.

527. THESIS III. **Satisfactio sacramentalis habet efficaciam ex opere operato ad remittendum poenam temporalem.**

Arg. 1) Contritio, confessio et satisfactio «quatenus in poenitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur..., poenitentiae partes dicuntur» [1]. Unde hi tres poenitentis actus perfectam peccatorum remissionem ex opere operato producunt. Satisfactio autem, quamvis in voto concurrat ad remissionem culpae, dum tamen opere completur, culpam supponit deletam, et solum ordinatur ad remissionem poenae temporalis.

2) *S. Thomas* confirmat hanc doctrinam dicens: «Cum enim satisfactio a sacerdote absolute injuncta sit pars poenitentiae, manifestum est, quod in ea operatur vis clavium ita, quod amplius valet ad expiandum peccatum, quam si proprio arbitrio homo faceret idem opus» [2].

528. Corollarium. *Calvinus* et alii protestantes non parum scandalizati sunt de hac doctrina, et dixerunt solum Christum esse juxta S. Joannem [3] propitiationem pro peccatis nostris, nullamque aliam dari satisfactionem «qua offensus Deus propitiari placarive possit» [4].

Sed pace protestantium dicendum est plenam et abundantem satisfactionem Christi nullatenus minui per satisfactiones sacramentales. Ultro fatemur Christum Dominum superabundanter Deo Patri satisfecisse pro peccatis totius mundi, sed ulterius tenemus hujusmodi satisfactiones nobis applicari oportere. Applicantur autem praesertim, quando operibus in sacramento poenitentiae nobis injunctis et virtute clavium quodammodo elevatis cooperamur Domino. Unde opera nostra per satisfactiones Christi dignificantur, imo ex satisfactionibus Christi totam suam efficaciam hauriunt [5].

529. Scholion. Non parum disputant theologi, an satisfactio sacramentalis ultra remissionem poenae temporalis gratiam quoque sanctificantem ex opere operato producat.

---

[1] *Concil. trid.*, sess. 14, c. 3; **Denz-Bannw.**, 896.
[2] *Quodlib.* 3, a. 28. Cfr. **Collet,** *De poenitentia*, p. 2, c. 6, a. 5 (apud **Migne,** *Theol. Cursus compl.*, t. 22, p. 632); et **Salm. morales,** *De sacr. poenit.*, c. 10, p. 1.
[3] *I Joan.*, 2, 2.
[4] *Inst.*, lib. 3, c. 4, n. 26.
[5] Cfr. **Hurter,** *De poenitentia*, n. 502.

Affirmant *Cajetanus, Sotus, Gabriel a S. Vincentio, Gonet,* et alii [1]. Negant *Vazquez, Lugo, Collet* et recenter *Sasse* [2].

Salmanticenses morales merito docent has duas opiniones posse conciliari, si dicatur «satisfactionem sacramentalem in executione non producere novum gradum gratiae habitualis et sanctificantis», sed «satisfactionem sacramentalem, adhuc ex opere operato, in executione in non habente obicem peccati mortalis, perficere gratiam habitualem tam in ratione abolendi peccatum, quatenus remittit poenam temporalem, quam impetrando gratias praevenientes et auxilia divina, ut facilius peccata in posterum caveantur» [3].

QUAESTIO XXXI

DE FORMA, ABSOLUTIONE, ET MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE

ARTICULUS I

QUAE SIT FORMA SACRAMENTI POENITENTIAE

530. I. Cum sacramentum poenitentiae exerceatur per modum judicii, oportet, ut forma ejus importet atque exprimat sententiam judicialem, qua poenitens vere absolvatur. Unde rejicitur opinio Magistri Sententiarum, qui docet formam poenitentiae hunc facere sensum: «Declaro te a Deo absolutum esse a peccatis» [4]. Simplex declaratio non est absolutio, nec solus Deus sed etiam sacerdos absolvit ministerialiter poenitentem.

Rejicienda pariter est sententia Suarezii, qui dicit formam sacramenti poenitentiae significare: «Ego tibi gratiam sanctificantem confero remissivam peccati, quantum est ex se» [5]. Forma hujus sacramenti directe significare debet sententiam absolutoriam a peccatis, non collationem gratiae.

Melius ergo docet *S. Thomas* formam hujus sacramenti idem esse ac *Ego te sacramentaliter absolvo a peccatis*, quatenus sacerdos proferens formam ministerialiter absolvit poenitentem a peccatis, et indirecte confert ei gratiam, non viceversa.

531. II. **Quaestiones.** Determinata jam significatione formae, tria praesertim circa illam veniunt disputanda: 1) An aliquando in Ecclesia in usu fuerit forma deprecatoria sacramenti poenitentiae; 2) an ad validitatem sacramenti poenitentiae necessaria sit forma *indicativa*, sic-

[1] **Cajetanus,** *In III p.*, q. 90, a. 2; **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 17, q. 1, a. 2 «Considerate»; **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramento poenit.*, disp. 12, q. 1; **Gonet,** *De sacramento poenitentiae*, q. 9, dub. 2, § 2.

[2] **Vazquez,** *In III p.*, q. 94, a. 2, dub. 5; **Lugo,** *De poenitentia*, disp. 25, sect. 1; **Collet,** *De poenitentia*, p. 2, c. 6, a. 5; **Sasse,** *De sacramento poenitentiae*, sect. 3, c. 4, assert. 2.

[3] *De sacramento poenitentiae*, c. 10, p. 1, n. 14.

[4] Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 84, a. 3.

[5] *De poenitentia*, disp. 19, sect. 2, n. 14 sqq.

ut nunc utimur latini, vel sufficiat forma *deprecatoria*; 3) quaenam sit forma nunc adhibenda.

532. III. **Quaestio 1.**[a] *An forma deprecatoria sacramenti poenitentiae aliquando in usu fuerit in Ecclesia.*

Guillermus Parisiensis ait: «Neque more judicum forensicorum pronuntiat confessor: *Absolvimus te, non condemnamus*, sed magis orationem facit super eum, ut Deus absolutionem et remissionem atque gratiam satisfactionis tribuat» [1].

Similia habet *Hugo a S. Victore* [2].

Auctor anonymus libelli, quem refutavit *S. Thomas*, ajebat: «Vix triginta anni sunt, quod omnes hac sola forma (deprecatoria) utebantur» [3]... «Sacerdos absolvendo uti non debet hac forma: *Ego te absolvo*» (cap. 1).

Morinus addit: «Formam ordinariam absolutionis sive reconciliationis poenitentium fuisse deprecatoriam testantur quotquot hactenus legi aut relata audivi antiquitatis ecclesiasticae monumenta ad annum usque salutis ducentesimum supra millesimum» [4]. Morino subscripserunt *Gotti*, *Tournely*, *Perrone*, *Palmieri*, *Hurter*, et alii [5].

Denzinger denique scripsit recentius: «Forma absolutionis apud orientales catholicos et non catholicos, si solos armenos excipias, deprecativa est» [6].

2) Alii e contra tenaciter defendunt formam pure deprecativam nunquam usurpatam fuisse in Ecclesia in administratione sacramenti poenitentiae. Et addunt in monumentis ac libris ritualibus a Morino citatis exhiberi quidem, sicut nunc in Pontificali Romano, formulas reconciliationis deprecativas, sed sacerdotem, recitatis formulis deprecatoriis, quae in libris reperiuntur, formam absolutionis indicativam adhibere consuevisse. Quae forma indicativa aliquando in libris ritualibus omittebatur, ne sacramenta irrisioni traderentur, sed notat *Martène*, «in plerisque una cum orationibus reconciliationis formulas quasdam absolutionis indicativas reperiri» [7]. Ita *Lugo*, *Billuart*, *De Augustinis*, et alii [8].

De Guillermo Parisiensi, Hugone a S. Victore et Altissidiorensi ait *S. Thomas:* «Inducit (anonymus) sic sensisse quosdam antiquos et famosos Magistros, scilicet Magistrum Gulielmum de Altissiodoro, et Magistrum Gulielmum quondam Episcopum Parisiensem, et Dominum Hugonem quondam Cardinalem, de quibus quod ita senserint, non

---

[1] *De sacramento poenitentiae*, c. 19 (Ed. Parisiensis 1516, fol. 45).

[2] *De sacramentis*, lib. 2, part. 14, c. 8; ML **176,** 567 sqq.

[3] Apud **S. Thomam,** *Op.* 18 (ed. Parmensis), alias 22, «De forma absolutionis», c. 5.

[4] *De adm. sacramenti poenitentiae*, lib. 8, c. 8.

[5] **Gotti,** *De poenitentia*, q. 8, dub. 2; **Tournely,** *De poenitentia*, q. 9, a. 1, concl. 3; **Palmieri,** *De poenitentia*, Parergo post th. 12, E; **Perrone,** *De poenitentia*, n. 227; **Hurter,** *De poenitentia*, n. 505.

[6] *Rit. Orient.*, t. 1, p. 101.

[7] *De antiquis Ecclesiae ritibus*, lib. 1, c. 6, a. 5, n. 12.

[8] **Lugo,** *De poenitentia*, disp. 13, sect. 4, n. 92; **Billuart,** *De poenitentia*, diss. 1, a. 3, § 3; **De Augustinis,** *De poenitentia*, p. 300 sqq.

constat. Sed etsi ita senserunt, numquid eorum opinio praejudicare poterit verbis Domini dicentis Petro: *Quodcumque solveris*» [1].

Haec cum ita sint, pronum est quaestionem propositam esse satis obscuram, et non certo constare, an in Ecclesia aliquando in usu fuerit forma deprecativa sacramenti poenitentiae.

533. IV. **Quaestio 2.**[a] *An ad validitatem sacramenti poenitentiae necessaria sit forma indicativa.*

Plures defendunt ad validitatem sacramenti poenitentiae sufficere formam deprecativam. Ita *Gotti, Tournely, Perrone, Franzelin, Hurter,* et alii [2].

Sed alii ad validitatem requirunt formam indicativam. Ita *S. Thomas, S. Bonaventura, Valentia, Salmanticenses morales,* et alii [3].

S. Thomas ait: «Perfecto libello a vobis exhibito, inveni assertionem cujusdam valde temerariam, dicentis, quod sacerdos absolvendo uti non debet hac forma: *Ego te absolvo.* Quod quidem praesumptuosum judico, quia repugnat evangelicis dictis» [4]. «In sacramento autem poenitentiae verba Scripturae, quae maxime sunt sectanda, non faciunt mentionem de aliqua deprecatione, sed magis verbo indicativo utitur; non enim dicit: Quaecumque petieris esse solvenda, erunt soluta; sed: *Quaecumque solveris, erunt soluta.* Si ergo illa tantum dicuntur soluta, quae habens claves solverit; qui autem petit aliquid esse solvendum, non solvit: miror, qua temeritate aliquis asserat esse solutum, quem habens claves non significat se solvere, sed solum rogat esse solvendum» [5].

S. Bonaventura: «In forma absolutionis praemittitur deprecatio per modum deprecativum, et subjungitur absolutio per modum indicativum» [6].

Huic sententiae se inclinant *Sasse, De Augustinis, Katschthaler,* et alii [7].

Haec cum ita sint, forma pure deprecatoria videtur esse saltem dubia.

Nihilominus forma apparenter et materialiter deprecativa potest formaliter importare imperium, ut ait *Lugo* [8], vel exercitium potestatis ministerialis, ut adserit *Sasse* [9], et hoc sensu potest admitti formam materialiter deprecatoriam et aequivalenter indicativam, ex institutione Christi et ratione sacramenti, esse validam, et aliquando fortasse, si vera sunt, quae ab auctoribus referuntur, fuisse in Ecclesia adhibitam.

---

[1] *Op.* 18 (ed. Parmae), a. 22, «De forma absolutionis», c. 2.

[2] **Gotti,** *De poenitentia,* q. 8, dub. 2; **Tournely,** *De poenitentia,* q. 9, a. 1; **Perrone,** *De poenitentia,* c. 5; **Franzelin,** *De sacr. in genere,* th. 5; **Hurter,** *De poenitentia,* n. 505.

[3] **S. Thomas,** *Op.* 18 (ed. Parmae), «De forma absolutionis», c. 1; **S. Bonaventura,** *In IV Sent.,* dist. 18, p. 1, a. 2, q. 1; **Valentia,** *In III p.,* disp. 7, q. 1, p. 3; **Salm. morales,** *De sacr. poenit.,* c. 3, p. 3, n. 17.

[4] *Op.* 18 (ed. Parmae), «De forma absolutionis», c. 1.

[5] *Op.* 18 (ed. Parmae), «De forma absolutionis», c. 1.

[6] *In IV Sent.,* dist.-18, p. 1, a. 2, q. 1.

[7] **Sasse,** *De poenitentia,* sect. 3, c. 5; **De Augustinis,** *De poenitentia,* th. 23; **Katschthaler,** *De poenitentiae sacramento,* c. 4, a. 4.

[8] *De poenitentia,* disp. 13, sect. 4, n. 106.

[9] *De poenitentia,* sect. 3, c. 5, th. 32.

534. V. **Quaestio 3.**[a] *Quae forma sit in praxi adhibenda.*

Quantum ad praxim adhibenda est in Ecclesia latina haec forma: *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* Concilium tridentinum ait: «Docet praeterea sancta synodus sacramenti poenitentiae formam, in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: *Ego te absolvo*, etc., quibus quidem de Ecclesiae sanctae more preces quaedam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariae» [1].

In hac forma non sunt essentialia nisi verba *absolvo te*, caetera supponuntur, et ad integritatem pertinent [2].

Qui haec essentialia verba quantum ad essentiam mutaret, invalide absolveret. Verbis tamen synonimis valide conferret sacramentum.

ARTICULUS II

QUAE SIT ABSOLUTIO ET QUOMODO DANDA

535. I. Absolutio sacramentalis est *actus judicialis, quo poenitens rite contritus, confessus et satisfacere volens solvitur a peccatis.*

Concilium tridentinum ait: *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti... a. s.* [3].

Non placent verba Sasse dicentis: «Adaequatus sensus formae absolutionis hic est: Ego solvo te a vinculo peccatorum per collationem gratiae, quae delet peccata» [4]. Melius ego dicerem sensum esse: Ego solvo te a peccatis per eorum remissionem, et confero tibi gratiam [5].

Datur ministerialiter a sacerdote jurisdictionem habente per potestatem clavium, cui simul adnexa est facultas retinendi ac ligandi.

536. II. Absolutio ex divina institutione significat et efficit remissionem peccatorum. Sed cum peccata nunquam remittantur, nisi simul gratia infundatur, indirecte significat etiam infusionem gratiae. Unde poenitenti per absolutionem remittuntur directe peccata, et confertur indirecte gratia.

Contingit non semel poenitentem, peracto actu perfectae contritionis, accedere ad tribunal poenitentiae et se accusare de peccatis jam deletis. Quomodo verificabitur in hoc casu veritas verborum absolutionis? Respondendum puto hoc etiam in casu verificari directe significationem verborum *absolvo te*, quae certe non important necessario solutionem a vinculo materiali, sed actum voluntatis remittentis offensam.

---

[1] *Sess.* 14, c. 3; **Denz-Bannw.,** 896.

[2] Cfr. **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramento poenitentiae*, disp. 3, q. 4. Dicendum est contra **Durandum,** *In IV Sent.*, dist. 24, q. 2, invocationem SS. Trinitatis non esse necessariam ad validitatem, quia sine illa completur forma. Ita **S. Thomas,** *III p.*, q. 84, a. 3; et commentatores. Cfr. **Valentia,** *In III p.*, disp. 7, q. 1, p. 3, «Secunda opinio».

[3] *Sess.* 14, can. 9; **Denz-Bannw.,** 919.

[4] *De sacramento poenitentiae*, sect. 3, c. 5, th. 33.

[5] Cfr. **Waldensis,** t. 2, c. 143.

Hic autem actus voluntatis repeti potest in favorem illius, cui offensa jam remissa est [1].

537. III. *Absolutio sacramentalis, ut valida sit, debet necessario ore proferri.*

Absolutio siquidem sacramentalis est forma sacramenti poenitentiae. Sed forma sacramentorum constituitur verbis. Ergo oportet verba absolutionis ore proferri.

538. IV. *Absolutio sacramentalis nequit absenti valide impendi.*

Sensus verborum *absolvo te* nequit afficere absentem. Hinc absolutio data absenti per nuntium aut epistolam nulla est. Ita defendunt summi theologi *Victoria, Canus, Sotus, Gabriel a S. Vincentio*, et alii [2].

Hoc declaravit Clemens VIII per decretum S. Officii: «Sanctissimus... propositionem, scilicet licere per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam, et scandalosam damnavit ac prohibuit» [3].

«*Paulus V* die 14 Julii 1605 in Congregatione S. Officii contra sententiam a Suarez propositam declaravit hoc decretum etiam in sensu diviso, hoc est, de confessione vel de absolutione seorsim valere» [4].

539. V. *Sitne valida absolutio per telephonum transmissa, non constat.* Omnes dicunt eam esse valde dubiam ob defectum praesentiae. «In casu tamen necessitatis, ait *Hurter*, in quo omnia sunt tentanda, interim sub conditione liceret dare absolutionem per telephonum: nam hinc S. Congregatio hac de re interrogata responsum noluit adhuc dare» [5].

ARTICULUS III

QUIS SIT MINISTER SACRAMENTI POENITENTIAE

540. Minister sacramenti poenitentiae est, qui poenitentem contritum, confessum et satisfacere volentem absolvit a peccatis.

541. Errores. 1) *Waldenses, wiclefitae* et *hussitae* docebant laicos probos, non vero sacerdotes improbos, poenitentes absolvere [6].

2) *Lutherus:* «Ego non dubito eum esse a peccatis suis occultis absolutum, quisquis sive sponte confessus sive correptus veniam petierit, et emendaverit coram quovis privatim fratre... Christus et manifeste dedit absolvere cuilibet suo fideli» [7].

Protestantes, hanc Lutheri doctrinam plerumque sequuti, tenuerunt omnes homines habere potestatem declarandi suum fratrem liberum a pecca-

---

[1] Cfr. **Toletus,** *In III p.*, q. 84, tertia concl., dub. 1; **Salmanticenses morales,** *De sacramento poenitentiae*, c. 3, p. 1, n. 7.

[2] **Victoria,** *De poenitentia*, n. 171; **Canus,** *Relectio de poenitentia*, p. 6, «Alterum»; **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 18, q. 2, a. 6; **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramento poenitentiae*, disp. 5, q. 4.

[3] *Ex decreto S. Officii*, 20 Jun. 1602; **Denz-Bannw.,** 1088.

[4] **Denz-Bannw.,** 1089.

[5] *De poenitentia*, n. 504. Cfr. **Honoratus del Val,** *De sacr. poenit.*, n. 236.

[6] Cfr. Interrogatio 20 wiclefitis et hussitis proposita ex Bulla *Inter cunctas*, 22 Februarii 1418; **Denz-Bannw.,** 670.

[7] *De captivitate babyl. Ecclesiae*, De sacr. poenitentiae, «Proinde».

tis, sed exercitium potestatis regulari oportere per deputationem magistratus aut communitatis.

3) *Guillermus Parisiensis* scripsit: «In venialibus autem peccatis secundum quosdam absolvere possunt et laici in necessitate» [1].

542. THESIS. **Minister sacramenti poenitentiae est solus et omnis sacerdos jurisdictione pollens.**

Pars 1.ª Solus sacerdos.

Arg. 1) *Ex munere solis sacerdotibus collato.* Traditio universalis Ecclesiae semper intellexit illa Christi verba: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, directa fuisse apostolis munere sacerdotali auctis, et exinde solos sacerdotes esse legitimos sacramenti poenitentiae ministros.

2) *Ex concilio tridentino.* Definitio dogmatica circa hoc edita est a concilio his verbis: *Si quis dixerit sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere, aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum: Quaecumque ligaveritis super terram*, etc., *a. s.* [2].

3) *Ex SS. Patribus. S. Innocentius I:* «De pondere aestimando delictorum, sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem poenitentis» [3].

S. Ambrosius: «Jus enim hoc (ligandi atque solvendi) solis permissum sacerdotibus est» [4].

543. Scholion I. *De confessione ad diaconum. S. Cyprianus* haec scripsit: «Qui libellos a martyribus acceperunt et praerogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo et infirmatis periculo occupati fuerint, non exspectata praesentia nostra, apud presbyterum quemcumque praesentem, vel, si presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus coeperit, apud diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint, ut, manu eis in poenitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt» [5]. *Morinus* hac S. Cypriani auctoritate motus putavit diaconum in casu necessitatis esse ministrum sacramenti poenitentiae [6].

Resp. *S. Cyprianus* nunquam, ne quidem in casu necessitatis, concessit diaconis facultatem absolvendi poenitentes sacramentaliter.

Loco autem citato per exomologesim intellexit reconciliationem peccatorum per professionem fidei, per signa poenitentiae, per absolutionem a censuris, etc., quae diaconis per delegationem poterant competere.

Quodsi saeculis VIII-XII nonnulli adserunt diaconos posse morientium confessiones in casu necessitatis audire, hanc confessionem non habuerunt ut sacramentalem, sed suadere voluerunt moribundis sua peccata in casu necessitatis diaconis imo et laicis manifestare ad excitandam contritionem petendumque consilium.

---

[1] *De sacramento poenitentiae*, cap. «Eleganti et acuto stilo solvit quatuor quaestiones», fol. 45 (ed. Parisiorum, a. 1516).

[2] *Sess.* 14, can. 10, **Denz-Bannw.,** 920.

[3] *Ep.* 2 *ad Decentium*, c. 7; ML **20,** 559.

[4] *De poenitentia*, lib. 1, c. 2, n. 7; ML **16,** 488.

[5] *Ep.* 12 *presbyteris et diaconis;* ML **4,** 265.

[6] *De admin. sacramenti poenitentiae*, lib. 8, c. 22.

Caeterum Praelati Ecclesiae et concilia particularia expresse negaverunt diaconos habere potestatem absolvendi poenitentes. *Odo parisiensis* haec statuit: «Prohibetur districte, ne diaconi ullo modo audiant confessiones nisi in arctissima necessitate; *claves enim non habent, nec possunt absolvere*» [1]. *Synodus pictaviensis:* «Abusum erroneum, qui in nostra dioecesi ex perniciosa ignorantia inolevit, eradicare volentes, inhibemus, ne diaconi confessiones audiant, et ne in foro poenitentiali absolvant, cum certum et indubitatum sit ipsos absolvere non posse, cum claves non habeant, quae in solo sacerdotali ordine conferuntur» [2].

544. Scholion II. *De confessione ad laicos.* S. Jacobus ait: *Confitemini alterutrum peccata vestra* [3]. Haec S. Jacobi verba ita olim usus interpretatus est, ut praxis invaluerit alicubi confitendi laicis in casu necessitatis. Quam praxim commendatam accepimus ab auctore libri *De vera et falsa poenitentia* his verbis: «Tanta itaque vis confessionis est, ut, si deest sacerdos, confiteatur proximo... Et, si ille, cui confitebitur, potestatem solvendi non habet, fit tamen dignus venia ex desiderio sacerdotis, qui socio confitetur turpitudinem criminis» [4]. Hanc doctrinam sequuti sunt plures antiqui. *Albertus Magnus:* «Absolutio quaedam est hic, scilicet, quae fit merito unitatis Ecclesiae; licet ergo non tantum effectum consequatur, sicut si confiteretur sacerdoti, tamen consequitur absolutionem in communi, et ad hanc non est necessaria vis clavium, ubi non potest sacerdos haberi» [5].

Resp. 1) Textus S. Jacobi non praecipit nec commendat, ut confessio sacramentalis laico fiat, sed, ut *Hugo Victorinus* explicat, hunc sensum habet: *Confitemini alterutrum...*, hoc est inter vos, homines hominibus, oves pastoribus, subjecti praelatis, ii, qui peccata habent, iis, qui peccata dimittere potestatem habent» [6]. Eodem modo explicat textum *Cornelius Alapide* [7].

2) Aliqui defenderunt confessionem in casu necessitatis, deficiente sacerdote, faciendam esse laico, sed hanc confessionem nunquam habuerunt ut sacramentalem, sed tantummodo ut signum contritionis. Absolutio autem, siquando collata fuit a laico, non fuit data virtute clavium, nec remisit peccata, sed fuit simplex benedictio.

Pars 2.ª Omnis sacerdos jurisdictione pollens.

Eugenius IV in decreto pro armenis ait: «Minister hujus sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel ex commissione superioris» [8].

Concilium tridentinum: «Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse synodus haec confirmat, nul-

---

1 *Constitut., Odonis parisiensis*, c. 56; ML **212,** 68.
2 *Synodus pictaviensis*, (1280); **Mansi,** 24, 383.
3 *Jac.* 5, 16.
4 *De vera et falsa poenitentia*, c. 10, n. 25; ML **40,** 1122.
5 *In IV Sent.*, dist. 17, a. 59.
6 *De sacramentis*, lib. 2, part. 14; ML **176,** 552.
7 *In ep. Jacobi*, 5, 16.
8 *Decret. pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 799.

lius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut delegatam non habet jurisdictionem» [1].

Sacerdoti cuilibet ultra ordinem esse necessariam jurisdictionem ad sacramentum poenitentiae administrandum dilucide probat *Angelicus* dicens: «Oportet, quod ille, qui dispensator hujus sacramenti constituitur, sit talis, qui possit imperare aliquid agendum. Imperium autem non competit alicui in alium, nisi ei, qui habet super eum jurisdictionem. Et ideo de necessitate hujus sacramenti est, non solum ut minister habeat ordinem, sicut in aliis sacramentis, sed etiam, quod habeat jurisdictionem. Et ideo, sicut ille, qui non est sacerdos, non potest hoc sacramentum conferre, ita nec ille, qui non habet jurisdictionem» [2].

QUAESTIO XXXII

DE NECESSITATE ET ITERABILITATE SACRAMENTI POENITENTIAE

ARTICULUS I

AN ET QUOMODO SACRAMENTUM POENITENTIAE SIT NECESSARIUM AD SALUTEM

545. Status quaestionis. Diximus superius n. 248, quid et quotuplex sit necessarium et quomodo aliquid requiratur ad salutem.

Recolenda sunt, quae diximus de necessario *necessitate medii* et *necessitate praecepti*, sicut etiam de necessario *in re* vel in *voto*.

Quaerimus hic, an sacramentum poenitentiae sit lapsis post baptismum necessarium necessitate medii ad salutem, et quatenus affirmative, an in re vel in voto.

546. Error. Novatores saeculi XVI plerumque negaverunt hoc sacramentum esse necessarium ad salutem, ita tamen, ut, dum *Lutherus* et *Melanchthon* mitius agunt, *Calvinus* omnino irreverenter contra sacramentum poenitentiae loquatur.

547. THESIS. **Iis, qui post baptismum in peccatum mortale labuntur, sacramentum poenitentiae est necessarium necessitate medii in re vel in voto.**

Arg. 1) Argumentum efficax ad hoc sumitur ex institutione potestatis clavium. Ad quid Christus instituerit sacrum tribunal poenitentiae, si non imposuit fidelibus obligationem se sistendi judici, ut a peccatis solvantur?

2) Concilium tridentinum ait: «Est autem hoc sacramentum poenitentiae lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum

---

[1] *Sess.* 14, c. 7; **Denz-Bannw.,** 903.
[2] *Supplem.*, q. 8, a. 4.

regeneratis ipse baptismus» [1]. Sed baptismus in re vel in voto est regeneratis necessarius necessitate medii ad salutem, ut n. 251 sqq., probavimus. Ergo.

3) *S. Hieronymus* sacramentum poenitentiae vocat *secundam post naufragium tabulam* [2]. Quam expressionem lepide exposuit *Catechismus Romanus* dicens: «Ut enim confracta nave, unum vitae conservandae perfugium reliquum est, si forte tabulam aliquam de naufragio liceat arripere, ita post amissam baptismi innocentiam, nisi quis ad poenitentiae tabulam confugiat, sine dubio de ejus salute desperandum est» [3].

4) Theologi uno ore hanc veritatem confitentur ac declarant. Unde *Scotus* contrariam sententiam vocat *haereticam* [4].

Dixi *in re* vel *in voto*, quia haec necessitas non est adeo stricte intelligenda, ut ad salutem semper requiratur sacramentum poenitentiae in re susceptum. Saepe enim contingit, ut peccator morti proximus defectu sacerdotis actum perfectae contritionis, in quo votum suscipiendi poenitentiam includitur, eliciat, atque sanctificetur, et sic sanctificatus migret e vita. Hic sine dubio salutem consequitur. Unde sacramentum poenitentiae in voto aliquando sufficit ad salutem.

548. Scholion. Dubium hic pulsat animum, an votum suscipiendi sacramentum poenitentiae in hoc casu debeat esse explicitum vel sufficiat implicitum.

Sufficere videtur implicitum, quidquid in contrarium dicat *Canus* [5], in hoc consistens, quod, qui contritionem elicit, proponat omnia Dei et Ecclesiae praecepta, quae sub gravi obligant, adimplere. Sic virtualiter intendit sacramentum poenitentiae, data occasione et urgente praecepto, suscipere [6].

ARTICULUS II

AN ET QUOTIES ITERARI POSSIT SACRAMENTUM POENITENTIAE

549. Error. *Novatiani* saeculo IV docuerunt traditores reconciliari aut absolvi in sacramento poenitentiae amplius non posse [7]; et *luciferiani* idem de clericis lapsis contenderunt [8]. Aliqui haeretici dixerunt lapsis semel tantum sacramentum poenitentiae esse concedendum [9].

550. THESIS. **Sacramentum poenitentiae pluries iterabile est a quolibet peccatore.**

Arg. 1) Concilium tridentinum certe hoc docuit dicens: «Ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit, ut per sacerdotum sententiam, non

---

[1] *Sess.* 14, c. 2; **Denz-Bannw.,** 895.
[2] *In Is.*, 3, 8 sq.; ML **24,** 66.
[3] *Part.* 2, c. 5, n. 1.
[4] *In IV Sent.*, dist. 17, q. un., Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 84, a. 6.
[5] *Relectio de poenitentia*, p. 5, q. 2.
[6] Cfr. **Salmanticenses morales,** *De sacramento poenitentiae*, c. 2, p. 3, n. 23; et **Katschthaler,** *De poenit. sacramento*, n. 753.
[7] **S. Augustinus,** *De haeresibus*, c. 38; ML **42,** 32.—Hunc errorem **S. Hieronymus,** *Contra Jovinianum*, lib. 2; ML **23,** 299, tribuit Montano.
[8] Cfr. **Hergenröther,** *Hist de la Iglesia*, t. 1, p. 437.
[9] Cfr. auctor *De vera et falsa poenitentia*, c. 5; ML **40,** 1116.

semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsam poenitentes confugerint, possent liberari» [1].

2) S. Joannes Chrysostomus accusatus fuit in synodo «ad Quercum», quod peccantibus licentiam praeberet, sic docens: «Si iterum peccasti, poeniteat iterum; et quoties peccaveris, veni ad me, ego te sanabo» [2].

3) «Putabant, ait *Angelicus*, adeo grave esse peccatum, quod aliquis committit post veniam impetratam, quod non sit possibile ipsum remitti. In quo quidem errabant, et *ex parte peccati*, quod etiam post remissionem consecutam potest esse et gravius et levius, quod fuerat primum peccatum remissum; et multo magis contra *infinitatem divinae misericordiae*, quae superat omnem numerum et magnitudinem peccatorum, secundum illud Ps. 50, 1: *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Unde reprobatur verbum Cain dicentis (*Gen.*, 4, 13): *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear.* Et ideo misericordia Dei peccantibus per poenitentiam veniam praebet absque ullo termino» [3].

4) Ecclesia id commendat, cum praecipit singulis annis accedere ad sacramentum poenitentiae.

551. Dices. Apostolus damnat iterationem poenitentiae dicens: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum caeleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque saeculi venturi, et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam* [4].

Reps. Variae sunt hujus loci interpretationes:

1) *Hugo a S. Victore* docet impossibile esse semel lapsis renovari viribus naturae, non viribus gratiae [5].

2) *S. Hieronymus* et *S. Ambrosius* dicunt particulam *impossibile* in loco citato large sumptam idem significare ac *difficile*. Unde Apostolus non absolute impossibile sed valde difficile esse docuit lapsis per poenitentiam renovari [6].

3) *S. Joannes Chrysostomus* et alii intelligunt verba Apostoli de baptismo, adeo ut impossibile sit eos, qui post baptismum prolapsi sunt, denuo renovari per baptismum. Revera Apostolus loquitur de iis, qui *semel illuminati sunt* per baptismum, qui dicitur *sacramentum illuminationis;* et impossibile esse dicit eos *renovari*, quod similiter baptismum significat [7].

---

1 *Sess.* 14, c. 2; **Denz-Bannw.,** 895.

2 *Fragmenta apud Photium*, Biblioth., cod. 59; ML **103,** 112: **Journel,** 1230.

3 *III p.*, q. 84, a. 10.

4 *Hebr.*, 6, 4 sqq.

5 *De sacramentis*, lib. 2, part. 14, c. 4; ML **176,** 557.

6 **S. Hieronymus,** *Contra Jovinianum*, lib. 2, n. 3; ML **23,** 298; **S. Ambrosius,** *De poenitentia*, lib. 2, c. 2, n. 12; ML **16,** 520.

7 **S. Joannes Chrysostomus,** *Ad Hebr.*, hom. 9, n. 3; MG **63,** 79; Auctor libri *De vera et falsa poenitentia*, c. 3; ML **40,** 1114. Cfr. **Paquet,** *De ipsa poenitentia*, disp. 1, q. 1, a. 7.

QUAESTIO XXXIII

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI POENITENTIAE

ARTICULUS I

AN PECCATA MORTALIA REMITTANTUR QUOAD CULPAM PER SACRAMENTUM POENITENTIAE

552. Status quaestionis. Protestantes docent peccata mortalia in sacramento poenitentiae non tam remitti quam tegi. Ex quo sequi videtur poenitentem post acceptam absolutionem in eo statu remanere, in quo peccata, de quibus absolutus est, possint redire.

Ecclesia catholica semper docuit peccata mortalia quoad culpam omnino remitti in sacramento poenitentiae, et nunquam eorum culpam ad animam redire.

553. THESIS I. **Poenitenti rite disposito et confesso remittuntur per sacramentum poenitentiae omnia peccata mortalia post baptismum commissa.**

Dixi «post baptismum commissa», quia peccata etiam personalia ante baptismum commissa remittuntur per baptismum.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Christus in Evangelio, cum instituit sacramentum poenitentiae, expresse docuit omnia peccata per ipsum hominibus remissum iri. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* [1]. *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo* [2]. Nullum peccatum quantumvis grave excepit Christus.

2) *Ex concilio tridentino.* Sancta synodus hoc definit dicens: *Si quis dixerit in catholica Ecclesia poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsis Deo reconciliandis, a Christo Domino institutum, a. s.* [3].

3) *Ex SS. Patribus. Tertullianus* ait: «Omnibus ergo delictis seu carne seu spiritu, seu facto seu voluntate commissis, qui poenam per judicium destinavit, idem et veniam per poenitentiam spondit» [4]. *S. Pacianus:* «Quaecumque solveritis inquit, omnino nihil excipit, quaecumque inquit, vel magna vel modica» [5]. *S. Ambrosius:* «Dominus enim crimen nullum excepit, qui peccata donavit omnia» [6].

4) *Ex ratione. Divinae misericordiae repugnat,* quod homo sincere velit peccata sibi deleri, et Deus nolit ea remittere; et *virtuti passionis*

---

[1] *Joan.*, 20, 23.
[2] *Matth.*, 18, 18.
[3] *Sess.* 14, can. 1; **Denz-Bannw.**, 911.
[4] *De poenitentia*, c. 4; ML **1**, 1343.
[5] *Ep.* 3 ad *Sympronianum*, n. 12; ML **13**, 1071.
[6] *De poenitentia*, lib. 1, c. 2, n. 5; ML **16**, 487.

Christi derogat, quod per poenitentiam valor passionis Christi homini applicetur, et peccatorum venia non concedatur [1].

Corollarium. Apposite huc veniunt verba Joannis XIX: «Nullum in Ecclesia catholica majus potest esse nefas, quam exsistimare alicujus naevum criminis praecipue poenitentis, quod non queat dissolvere concessa Petro a Domino clavis» [2].

ARTICULUS II

UTRUM PER POENITENTIAM REMITTI POSSIT UNUM PECCATUM MORTALE SINE ALIO

554. Status quaestionis. Agitur de peccatore, qui duo saltem peccata mortalia commisit, et quaeritur, an possit unius peccati mortalis veniam obtinere per penitentiam, remanente altero.

Omnes theologi concedunt unum mortale sine alio secundum actualem providentiam non remitti in homine duo peccata mortalia habente. An de potentia Dei absoluta id fieri possit, disputatur.

555. Placita theologorum. 1) Aliqui docent de potentia Dei absoluta unum peccatum mortale sine alio remitti posse per extrinsecam condonationem sine intrinseca peccatoris mutatione. Ita *Suarez* et alii [3].

2) Negant *S. Thomas, Sotus, Valentia, Paquet,* et alii [4].

556. THESIS. **Unum peccatum mortale sine alio nullatenus remitti potest per poenitentiam.**

Arg. 1) Auctor libri *De vera et falsa poenitentia* diserte hoc tradidit dicens: «Sunt plures, quos poenitet peccasse, sed non omnino, reservantes sibi quaedam, in quibus delectentur, non animadvertentes Dominum simul surdum et mutum a daemonio liberasse (*Matth.*, 12, 22), per hoc docentem nos nunquam nisi de omnibus sanari» [5].

2) *Ratio theologica idem ostendit.* Nemo potest ab uno peccato liberari, nisi simul in gratiam Dei recipiatur. Sed impossibile est, etiam de potentia Dei absoluta, hominem, qui retinet unum peccatum mortale, recipi in gratiam Dei, quia impossibile est hominem esse simul Deo gratum et ingratum, in gratia et in peccato. Esse quippe in peccato mortali significat esse gratia Dei privatum. Ergo.

3) Peccatum mortale non potest remitti nisi per detestationem injuriae Deo illatae. Qui autem pergit in peccato remanere, non detestatur injuriam Deo illatam. Ergo. «Peccata, ait ad rem *S. Thomas*, quamvis non sint connexa quantum ad conversionem ad bonum commutabile, sunt tamen connexa quantum ad aversionem a bono incommuta-

---

1 Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 86, a. 1.
2 *Ep.* 17; ML **141,** 1151.
3 **Suarez,** *De poenitentia*, disp. 10, sect. 1, n. 9.
4 **S. Thomas,** *III p.*, q. 86, a. 3; **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 15, q. 1, a. 3; **Valentia,** *In III p.*, disp. 7, q. 3, p. 3; **Paquet,** *De poenitentia*, disp. 2, q. 1, a. 2.
5 *De vera et falsa poenitentia*, c. 9, n. 24; ML **40,** 1121.

bili, in qua conveniunt omnia peccata mortalia, et ex hac parte habent rationem offensae, quam oportet per poenitentiam tolli» [1].

557. Corollaria. 1) Peccatum mortale est absolute incompatibile cum gratia sanctificante. Peccatum enim mortale excludit gratiam, sicut gratia excludit peccatum mortale.

2) Peccatum mortale non remittitur in hoc sacramento per puram condonationem extrinsecam, quin homo intrinsece mutetur per detestationem offensae Deo illatae. Qui autem retinet unum peccatum mortale, non mutatur intrinsece, nec detestatur offensam Deo illatam.

3) Nequit Deus diligere dilectione gratiae hominem, qui pergit retinere peccatum mortale.

ARTICULUS III

UTRUM POENAE DEBITAE PECCATIS MORTALIBUS EORUMQUE RELIQUIAE REMITTANTUR PER POENITENTIAM

558. Status quaestionis. 1) Duo respectus sunt in omni peccato mortali distinguendi, *aversio a Deo*, bono incommutabili, et *conversio ad creaturas*, bonum commutabile. Aversioni a Deo debetur poena aeterna, et conversioni ad creaturas poena temporalis.

2) Ex delectatione et praesertim ex habitu peccati oriuntur in homine quaedam propensiones mentisque debilitates, quae *reliquiae* peccati vocantur.

3) Hinc, in quolibet peccato mortali ultra culpam considerandae sunt poena aeterna, poena temporalis et reliquiae peccatorum. Et quaeritur, an per sacramentum poenitentiae haec tria simul cum culpa remittantur.

559. Placita theologorum. Aliqui catholici dixerunt poenam in sacramento poenitentiae remitti quoad aeternitatem durationis non quoad temporalem durationem. Ita *Valentia* [2].

Alii verius docent poenam aeternam peccato mortali debitam una cum culpa remitti in sacramento poenitentiae, remanentibus partim poena temporali et reliquiis peccatorum.

560. Errores. *Luthervs, Calvinus*, et alii haeretici docuerunt post culpam remissam nihil in anima relinqui, quod in hac vita vel futura sit Deo solvendum. Exinde negaverunt exsistentiam purgatorii, in quo poena temporalis peccatis debita expietur.

561. THESIS I. **Poena aeterna peccatis mortalibus, in quantum sunt aversio a Deo, debita remittitur per sacramentum poenitentiae simul cum culpa.**

Arg. 1) *Ex concilio tridentino.* Concilium tridentinum docet in poenitentia contineri satisfactionem, «non quidem *pro poena aeterna, quae vel sacramento vel sacramenti voto una cum culpa remittitur*, sed pro poena temporali» [3].

---

[1] *III p.*, 2, 86, a. 3 ad 3.
[2] *In III p.*, disp. 7, q. 14, p. 1.
[3] *Sess.* 6, c. 14; **Denz-Bannw.**, 807.

2) Homo per remissionem culpae justificatur et fit haeres regni caelestis. Sed impossibile est, ut homo justus et haeres regni caelestis sit simul reatui poenae aeternae obnoxius, quia nemo potest ad gloriam et poenam aeternam simul addici. Ergo poena aeterna peccatis mortalibus debita remittitur per sacramentum poenitentiae simul cum culpa.

562. THESIS II. **Poena temporalis peccatis sive mortalibus sive venialibus debita non semper remittitur totaliter per sacramentum poenitentiae, sed plerumque in peccatore post acceptam absolutionem remanet aliquid Deo solvendum.**

Nota. Minime negaverim partem poenae temporalis, vel etiam, si quando dolor excellens fuerit, ut in S. Paulo fuisse creditur, totam poenam temporalem per sacramentum poenitentiae remitti. In sacramento enim poenitentiae omnino requiruntur contritio et satisfactio, quae ordinatae sunt ad poenam etiam temporalem remittendam, et ubi intensa fuerit contritio, tota poena temporalis remitti potest. «Intensio contritionis, ait ad rem S. *Thomas*, potest attendi dupliciter: uno modo *ex parte caritatis*, quae displicentiam causat, et sic contingit tantum intendi caritatem in actu, quod contritio inde sequens merebitur non solum culpae amotionem, sed etiam absolutionem ab omni poena. Alio modo *ex parte doloris sensibilis*, quem voluntas in contritione excitat; et quia ille etiam poena quaedam est, tantum potest intendi, quod sufficiat ad deletionem culpae et poenae» [1].

Hoc tamen raro fit, ut dicunt theologi catholici, et peccator plerumque post susceptum sacramentum poenitentiae remanet obnoxius poenae temporali luendae.

Arg. 1) *Ex concilio tridentino.* Sancta synodus hoc declaravit dicens: *Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori poenitenti ita culpam remitti et reatum poenae aeternae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exsolvendae vel in hoc saeculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna caelorum aditus patere possit, a. s.* [2].

2) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Productior est enim poena quam culpa; ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et poena» [3].

S. Gregorius: «Delinquenti ergo Dominus nequaquam parcit, quia delictum sine ultione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se poenitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit» [4].

3) *Ex ratione.* a) Peccator, Deum offendendo, et amicitiam sustulit et justitiam laesit. Quando autem per sacramentum poenitentiae cum Deo se reconciliat, amicitiam recuperat, sed justitiae non semper satisfacit. Sic etiam saepe contingit apud homines: «Quando offendens offensum verbis placat, nondum re subtracta restituta, fit recompensatio amicitiae, sed non justitiae» [5].

b) Qui se poenitet de peccatis commissis, redit ad Deum, a quo discesserat per aversionem, ac destruit culpam et poenam aeternam

---

1 *Suppl.*, q. 5, a. 2.
2 *Sess.* 6, can. 30; **Denz-Bannw.,** 840.
3 *In Joan. Evang.*, tr. 124, 5; ML **35,** 1972.
4 *Moral.*, lib. 9, c. 34, n. 54; ML **75,** 889.
5 **S. Thomas,** *In IV Sent.*, dist. 14, q. 2, a. 1, sol. 2.

aversioni respondentem; sed non semper dolet tantum quantum delectatus est in conversione ad creaturas, nec satisfacit pro poena temporali respondente conversioni ad bonum commutabile.

563. THESIS III. **Post susceptum sacramentum poenitentiae saepe remanent in homine reliquiae peccatorum, quamvis debilitatae ac diminutae.**

Arg. 1) *S. Thomas* dilucide hoc explicat dicens: «Deus totum hominem perfecte curat; sed quandoque subito, sicut socrum Petri statim restituit perfectae sanitati, ita ut *surgens ministraret illis*, ut legitur *Luc.*, 4, 39; quandoque autem successive, sicut dictum est q. 44, a. 3 ad 2, de coeco illuminato (*Marc.*, 8, 23). Quandoque autem prius remittit culpam per gratiam operantem, et postea per gratiam cooperantem successive tollit peccati reliquias» [1].

2) Homo revera, cum se avertit a Deo et convertit ad creaturas, praesertim si post aversionem a Deo indulgeat delectationibus, acquirit vitiosas propensiones ad malum, sive per modum dispositionis sive etiam per modum habitus. Cum autem anima sanatur per gratiam, recuperat statum amicitiae cum Deo, sed illae propensiones manent, quousque per repetitionem actuum contrariorum destruantur. Hinc experientia quotidiana docet propensiores esse ad malum eos, qui peccatis multo tempore indulserunt, quam qui innocentiam vitae servaverunt.

«Remanent tamen *debilitatae* et *diminutae*, ita quod homini non dominentur; et hoc magis per habitum, sicut etiam remanet fomes post baptismum» [2].

ARTICULUS IV

AN ET QUOMODO PECCATA VENIALIA REMITTANTUR PER SACRAMENTUM POENITENTIAE ET EXTRA SACRAMENTUM

564. Status quaestionis. «Peccatum veniale actuale, ait *Billuart*, est conversio inordinata ad bonum creatum sine aversione tamen a bono increato» [3]. Per inordinatam conversionem afficitur voluntas hominis ad bona creata, et retardat fervorem caritatis. In hac diminutione fervoris caritatis consistit *macula* peccati venialis seu peccatum veniale habituale.

Quaestio est, quomodo remittatur peccatum veniale habituale.

565. I. *Viribus naturae obtineri nequit remissio peccati venialis.* Peccatum veniale, utpote retardans fervorem caritatis in ordine gratiae, non remittitur nisi per applicationem meritorum Christi. Unde quilibet homo, quantumvis justus, indiget auxilio gratiae actualis ad obtinendam remissionem peccati venialis.

566. II. *Homini existenti in peccato mortali non potest remitti pec-*

---

[1] *III p.*, q. 86, a. 5 ad 1.
[2] *III p.*, q. 86, a. 5.
[3] *De poenitentia*, diss. 3, a. 2, § 1.

catum veniale, nisi prius prioritate saltem naturae remittatur peccatum mortale. Ita *S. Thomas* cum communi sententia [1].

Remissio siquidem peccati venialis fit per opus satisfactorium Deo gratum in ordine supernaturali. Sed opera hominis exsistentis in peccato mortali non sunt Deo grata in ordine supernaturali. Ergo. Ad rem *S. Thomas:* «Veniale autem peccatum... per accidens fit irremissibile peccato mortali conjunctum, in quantum est in subjecto privato gratia; et sic per accidens punitur poena aeterna» [2].

567. III. *Peccatum veniale remitti non potest sine aliqua poenitentia; non requiritur tamen poenitentia formalis, sed sufficit virtualis.*

Pars 1.ª Non remittitur sine aliqua poenitentia.

Arg. 1) *S. Augustinus* ajebat: «Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel a quocumque seu magno seu parvo peccato ad correptionem sine poenitentia posse transire» [3].

2) Ratio est conspicua quia peccatum veniale non dimittitur, dum voluntas hominis peccato adhaeret. Voluntas autem hominis peccato adhaeret, quousque ab eo per displicentiam se avertat.

Pars 2.ª Ad remissionem peccati venialis non requiritur poenitentia formalis sed sufficit virtualis.

Formalis poenitentia est actus explicitus doloris, perfecti vel imperfecti, de peccatis commissis. Virtualis poenitentia est affectus «in Deum et res divinas, ut, quidquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei et doleret se commisisse, etiamsi actu de illo non cogitaret» [4].

Haec virtualis poenitentia seu displicentia satis avertit voluntatem hominis justi a complacentia peccati venialis, atque idcirco est sufficiens ad obtinendam remissionem peccati venialis.

Aliqui theologi, ut *Sasse* [5], merito dicunt in quolibet actu meritorio hominis justi reperiri hanc poenitentiam virtualem, aliis contradicentibus [6].

568. IV. Cum peccatum veniale non contrarietur gratiae et caritati, ad remissionem peccati venialis non requiritur infusio gratiae habitualis, sed sufficit influxus gratiae vel caritatis, qui importet actum explicitum vel implicitum poenitentiae. «Quia tamen in habentibus usum liberi arbitrii, in quibus solis possunt esse peccata venialia, non contingit esse infusionem gratiae sine actuali motu liberi arbitrii in Deum et in peccatum, ideo quandocumque de novo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur» [7].

Hinc peccata venialia quandoque tolluntur per sacramenta et per infusionem gratiae, non semel extra sacramenta per poenitentiam sal-

---

1 **S. Thomas,** *III p.*, q. 87, a. 4.
2 *De malo*, q. 7, a. 10.
3 *Ep.* 93 *ad Vincentium*, n. 53; ML **33,** 347.
4 **S. Thomas,** *III p.*, q. 87, a. 1.
5 *De poenitentia*, sect. 3, c. 7, assert. 3.
6 Cfr. **Billuart,** *De sacramento poenitentiae*, diss. 3, a. 2, § 1.
7 **S. Thomas,** *III p.*, q. 87, a. 2.

tem virtualem etiam sine infusione gratiae, quatenus exercentur actus procedentes «ex gratia, per quam removetur inordinata adhaesio ad rem temporalen» [1].

569. V. Modum remittendi peccata venialia dilucide explicat *Angelicus* dicens: «Ad remissionem venialis peccati non requiritur novae gratiae infusio, sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis detestetur peccatum veniale vel explicite vel saltem implicite, sicut cum aliquis ferventer movetur in Deum».

«Et ideo triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum. *Uno modo*, in quantum in eis infunditur gratia, quia per infusionem gratiae tolluntur venialia peccata, ut supra dictum est articulo praecedenti. Et hoc modo per eucharistiam, et extremam unctionem, et universaliter per omnia sacramenta novae legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. *Secundo*, in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum, et hoc modo confessio generalis, tunsio pectoris et oratio dominica operantur ad remissionem venialium peccatorum; nam in oratione dominica petimus: «Dimitte nobis debita nostra». *Tertio modo*, in quantum sunt cum aliquo motu reverentiae in Deum et ad res divinas; et hoc modo benedictio episcopalis, aspersio aquae benedictae, quaelibet sacramentalis unctio, oratio in ecclesia dedicata, et si aliqua alia sunt hujusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum» [2].

«Omnia ista causant remissionem peccatorum venialium, in quantum inclinant animam ad motum poenitentiae, qui est detestatio peccatorum vel explicite vel implicite» [3].

Juxta haec Angelici principia, peccata venialia remittuntur:

1) *Per sacramentum poenitentiae et per alia novae legis sacramenta ex opere operato.*

Sacramenta enim novae legis producunt gratiam. Quoties autem infunditur gratia adultis, eorum liberum arbitrium movetur in amorem Dei detestationemque peccati, et hoc motu animae tollitur peccatum veniale.

2) *Per contritionem perfectam extra sacramenta.* Contritio enim perfecta delet peccata etiam mortalia.

Attritio supernaturalis probabilius tollit peccata venialia justi. Id innuere videtur concilium tridentinum, cum docet peccata venialia non solum per sacramentum poenitentiae sed *multis* etiam *aliis mediis* expiari posse [4].

3) *Per sacramentalia ex opere operantis.*

Sacramentalia ex sua institutione nata sunt excitare in nobis pios motus vel detestationis peccatorum vel reverentiae in Deum, in quibus includitur virtualis displicentia peccatorum. Per detestationem autem et displicentiam virtualem delentur peccata venialia.

---

[1] **S. Thomas,** *III p.*, q. 87, a. 2.
[2] *III p.*, q. 87, a. 3.
[3] *III p.*, q. 87, a. 3 ad 1.
[4] *Sess.* 14, c. 5; **Denz-Bannw.,** 899. Cfr. **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramento poenitentiae*, disp. 2, q. 9; et **Salmanticenses morales,** *De sacramento poenitentiae*, c. 5, n. 34.

Dixi *ex opere operantis*. Plures theologi ut *Sotus*, *Canus*, *Valentia*, et alii [1] docuerunt sacramentalia delere peccata venialia ex opera operato, sed *Vazquez*, *Suarez*, *Salmanticenses morales*, *Billuart*, et alii [2] melius dixerunt sacramentalia tollere peccata venialia ex opere operantis tantum.

570. VI. *Per dolorem universalem, qui saltem virtualiter se extendat ad omnia peccata venialia, cuncta delentur; per dolorem vero limitatum ea remittuntur, ad quae virtualiter se extendit.*

Dolor quippe ea remittit peccata, ad quae virtualiter se extendit; atque ideo dolor universalis remittit omnia, et particularis ea, ad quae se extendit.

Ex hoc sequitur unum peccatum veniale posse in homine justo sine alio remitti, si quis de uno dumtaxat doleat [3].

Ea vero peccata venialia, quibus voluntas afficitur, non remittuntur per dolorem de aliis peccatis elicitum [4].

571. VII. *Peccata venialia, quibus homo decedit ex hac vita, remittuntur ei post mortem per actum perfectae caritatis in Deum ipsis venialibus repugnantem.*

1) Supponit conclusio aliquos ex hac vita decedere cum peccatis venialibus. Qui enim de peccatis venialibus actu vel habitu complacentes repente vel in somnis moriuntur, ferunt peccata venialia ex hac vita.

2) Deinde certum est culpam peccati venialis remittendam esse, antequam homo ad beatitudinem perveniat, quia nihil inquinatum intrabit in regnum caelorum.

3) Quomodo haec peccata post mortem dimittantur, explicat *Angelicus* dicens: «De peccato veniali quidam dixerunt, quod in habentibus caritatem semper dimittitur in hac vita quantum ad culpam, sed post hanc vitam dimittitur quantum ad poenam, per poenae scilicet solutionem. Sed hoc quidem probabile est in his, qui cum usu rationis ex hac vita recedunt: non enim est probabile, quod aliquis in caritate exsistens et cognoscens sibi mortem imminere, non moveatur motu caritatis et in Deum et contra omnia peccata, quae fecit, etiam venialia; et hoc sufficit ad remissionem venialium quantum ad culpam, et fortassis etiam quantum ad poenam, si sit intensa dilectio. Sed quandoque contingit, quod aliqui in actibus peccatorum venialium, vel in proposito venialiter peccandi occupantur somno vel aliqua passione auferente usum rationis, et praeveniuntur morte, antequam possint habere usum rationis. Quibus manifestum est, quod in hac vita peccata venialia non dimittuntur, et tamen propterea non impediuntur perpetuo a vita aeterna, ad quam nullo modo perveniunt, nisi omnino immunes ab omni culpa effecti. Et ideo oportet dicere, quod venialia remittuntur eis post hanc vitam etiam quantum ad culpam, eo modo,

[1] **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 15, q. 2, a. 3; **Canus,** *De locis*, lib. 12, c. 12, ad 9; **Valentia,** *In III p.*, disp. 7, q. 4, p. 1; «Est autem hic».

[2] **Vazquez,** *In III p.*, q. 87, a. 3, dub. 1; **Suarez,** *De poenitentia*, disp. 12, s. 2; **Salm. morales,** *De sacr. poenit.*, c. 5, n. 50; **Billuart,** *De s. poenit.*, diss. 3, a. 2

[3] Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 87, a. 3 ad 2; **Salm. morales,** *De s. poenit.*, c. 5

[4] Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 87, a. 3 ad 2.

quo remittuntur in hac vita, scilicet per actum caritatis in Deum, repugnantem venialibus in hac vita commissis. Quia tamen post hanc vitam non est status merendi, ille dilectionis motus in eis tollit quidem impedimentum venialis culpae, non tamen meretur absolutionem vel diminutionem poenae, sicut in hac vita» [1]. Angelico subscribunt *Scotus, Capreolus, Suarez, Salmanticenses morales*, et alii communiter [2].

ARTICULUS V

UTRUM ET QUO GRADU VIRTUTES INFUSAE PER PECCATUM AMISSAE RECUPERENTUR PER POENITENTIAM [3]

572. Status quaestionis. 1) Virtutes infusae, exceptis plerumque fide et spe, amittuntur per peccatum mortale, quia, cum radicentur in caritate, amissa semel caritate, ipsae pereunt.

2) Verum homo per poenitentiam restituitur ad vitam spiritualem et ad caritatem, et quaestio est, an virtutes infusae, quae ante peccatum erant in anima, recuperentur, et quatenus affirmative, quo gradu per poenitentiam restituantur animae.

573. Placita theologorum. 1) Concors theologorum sententia docet virtutes infusas per peccatum amissas retitui animae per poenitentiam.

2) Juxta Suarez restituuntur in majori gradu, quam habebant ante peccatum [4]; sed juxta alios verius in majori, aequali, vel minori gradu secundum uniuscujusque dispositionem. Ita *S. Thomas, Sylvius*, et alii [5].

574. THESIS I. **Homo per poenitentiam recuperat omnes virtutes infusas per peccatum mortale amissas, quae ex sua natura recuperabiles sunt.**

Arg. 1) Concilium tridentinum ait: «In ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, et caritatem» [6].

2) *S. Thomas:* «Relinquitur, quod per poenitentiam gratia homini infunditur. Ex gratia autem consequuntur omnes virtutes gratuitae, sicut ex essentia animae fluunt omnes potentiae» [7]. Ergo per poenitentiam omnes virtutes recuperantur.

Dixi: *quae ex sua natura recuperabiles sunt.* Sunt enim aliquae virtutes vel potius dignitates, ut innocentia et virginitas, quae materialiter recuperari nequeunt. De virginitate ait *S. Thomas:* «Ille, qui virgi-

---

[1] *De malo*, q. 7, a. 11.

[2] **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 21, q. 1; **Capreolus,** *In IV Sent.*, dist. 21, q. 1, a. 1; **Suarez,** *De poenitentia*, disp. 11, sect. 4, n. 9 sqq.; **Salmanticenses morales,** *De sacramento poenitentiae*, c. 5, n. 51.

[3] Virtutes acquisitae non per poenitentiam sed actuum repetitione recuperantur.

[4] Opusculo V, *Relectio de rep. merit.*, disp. 2, sect. 3, n. 58.

[5] **S. Thomas,** *III p.*, q. 89, a. 2; **Sylvius,** *In III p.*, q. 89, a. 2.

[6] *Sess.* 6, c. 7; **Denz-Bannw.,** 800.

[7] *III p.*, q. 89, a. 1.

nitatem peccando amisit, per poenitentiam non recuperat virginitatis materiam, sed recuperat virginitatis propositum» [1].

575. THESIS II. **Virtutes infusae quandoque in majori gradu, quandoque in aequali, et quandoque in minori, quam erant ante peccatum, per poenitentiam homini restituuntur.**

Rationem hujus theseos adducit *S. Thomas* his verbis: «Motus liberi arbitrii, qui est in justificatione impii, est ultima dispositio ad gratiam. Unde in eodem instanti est gratiae infusio cum praedicto motu liberi arbitrii, ut in secunda parte habitum est (I-II, q. 113, a. 5 et 7), in quo quidem motu comprehenditur actus poenitentiae, ut supra dictum est, q. 86, a. 2. Manifestum est autem, quod formae, quae possint recipere magis et minus, intenduntur et remittuntur secundum diversam dispositionem subjecti, ut in secunda parte habitum est (I-II, q. 52, a. 1 et 2; et q. 66, a. 1). Et inde est, quod secundum quod motus liberi arbitrii in poenitentia est intensior vel remissior, secundum hoc poenitens consequitur majorem vel minorem gratiam. Contingit autem intensionem motus poenitentis quandoque proportionatum esse majori gratiae, quam fuerit illa, a qua ceciderat per peccatum, quandoque autem aequali, quandoque vero minori. Et ideo poenitens quandoque resurgit in majori gratia, quam prius habuerat, quandoque autem in aequali, quandoque etiam in minori; et eadem ratio est de virtutibus, quae ex gratia consequuntur» [2].

ARTICULUS VI

UTRUM MERITA PER PECCATUM MORTIFICATA PER POENITENTIAM REVIVISCANT

576. Status quaestionis. 1) Quadruplicis generis sunt opera, quae ab homine fiunt, *viva* scilicet, *mortua*, *mortifera* et *mortificata*. Opera *viva* sunt, quae procedunt ex gratia et caritate in anima exsistente, ut amor Dei supernaturalis in justo. *Mortua* dicuntur, quae ex objecto quidem sunt bona, sed fiunt ab homine spiritualiter mortuo, et non procedunt a gratia sanctificante, ut oratio peccatoris. *Mortifera* sunt, quae hominem mactant, id est, gratiam expellunt, vitamque spiritualem destruunt. *Mortificata* vocantur, quae aliquando fuerunt viva, sed adveniente peccato mortali, carent influxu spirituali [3].

2) Opera *viva* per poenitentiam, licet ratificentur, non reviviscunt; *mortua*, quae nunquam meritum habuerunt, reviviscere nequeunt; *mortifera*, quae sunt peccata, per poenitentiam destruuntur. Quaestio est, an opera, quae fuerunt viva, et per peccatum mortificata sunt, per poenitentiam acquirant statum pristinum, id est, meritum vitae aeternae et jus ad beatitudinem, quod ante peccatum habuerunt.

---

[1] *II-II*, q. 152, a. 3 ad 3.
[2] *III p.*, q. 89, a. 2.
[3] Cfr. **Billuart,** *De sacramento poenitentiae*, diss. 3, a. 5, § 1.

577. Error. «Quidam dixerunt, ait *Angelicus*, quod opera meritoria per peccatum sequens mortificata non reviviscunt per poenitentiam subsequentem, considerantes, quod opera illa non remanent, ut iterum vivificari possint» [1].

Sed hunc errorem statim refutat ipse dicens: «Hoc impedire non potest, quin vivicentur; non enim habent vim perducendi in vitam aeternam (quod pertinet ad eorum vitam) solum, secundum quod actu exsistunt, sed etiam postquam actu esse desinunt, secundum quod remanent in acceptatione divina. Sic autem remanent, quantum est de se, etiam postquam per peccatum mortificantur» [2].

578. THESIS. **Opera meritoria per peccatum mortale mortificata reviviscunt per poenitentiam, quatenus recuperant vim perducendi hominem ad vitam aeternam.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* a) *Dominus per Joelem ait; Reddam vobis (poenitentibus) annos, quos comedit locusta, bruchus, et rubigo* [3]. Quod explicans ait *S. Hieronymus:* «Si autem post poenitentiam tantam ubertatem Deus rerum omnium pollicetur, quid respondebit Novatus negans poenitentiam, et reformari posse peccatores in pristinum statum, si digna fecerint opera poenitentiae?» [4].

b) Apostolus ad hebraeos: *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis et ministratis* [5]. Concilium tridentinum docet haec verba applicanda esse «justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive *amissam recuperaverint*» [6].

c) Apostolus iterum: *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa* [7]. Hunc textum *S. Joannes Chrysostomus* exponit de reviviscentia meritorum [8]. Et *S. Hieronymus* diserte ait: «Quas (persecutiones) frustra arguuntur fuisse perpessi (galatae), si a gratia Christi recedant, propter quam tanta perpessi sunt. Simul et illa spes, quod quicumque ob Christi fidem laboraverit et postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora sine causa dicitur passus fuisse, dum peccat, sic rursum non perdat ea, si ad pristinam fidem et antiquum studium revertatur» [9].

Aliqui theologi ac commentaristae, ut *Pesch, Cornely* et alii [10],censent haec Apostoli verba ad hebraeos intelligenda esse de judaeis non lapsis, et non referri ad reviviscentiam meritorum, sed aliqui SS. Patres, ut vidimus, ea interpretati sunt de meritis mortificatis et per poenitentiam recuperatis. «Quaecumque demum, ait ad rem *Lehmkuhl,*

---

1 *III p.*, q. 89, a. 5.
2 *III p.*, q. 89, a. 5.
3 *Joel.*, 2, 25.
4 *In Joelem*, 2, 25; ML **25,** 974.
5 *Hebr.*, 6, 10.
6 *Sess.* 6, c. 16; **Denz-Bannw.,** 809. Cl. **Pesch,** defendit S. Paulum non hic agere de judaeis, qui defecerunt, sed de mercede aeterna omnibus justis retribuenda; *De sacramento poenitentiae*, 320 et 326. **S. Epiphanius** e contra textum explicat de reviviscentia meritorum. (*Haer.* 59, n. 2; MG **41,** 1019).
7 *Gal.*, 3, 4.
8 *Comment. ad Galatas*, 3, 2; MG **61,** 650.
9 *Comment. ad Gal.*, lib. 1, c. 3; ML **26,** 376.
10 **Pesch,** *De sacramento poenitentiae*, n. 320; **Cornely,** *Comment. ad Gal.*, 3, 4.

fuerit vera Apostoli intentio, ex interpretatione multorum Patrum habemus argumentum traditionis, persuassionem de reviviscentia meritorum Ecclesiae semper insedisse» [1].

2) *Ex ratione S. Thomae:* «Quod isti, qui ea fecit, non sint efficacia ad ducendum in vitam aeternam, provenit ex impedimento peccati supervenientis, per quod ipse redditus est indignus vita aeterna. Hoc autem impedimentum tollitur per poenitentiam in quantum per eam remittuntur peccata. Unde restat, quod opera prius mortificata per poenitentiam recuperant efficaciam perducendi eum, qui fecit ea, in vitam aeternam, quod est ea reviviscere» [2].

Ex hoc patet opera viva facta in caritate proprie non mori peccato superveniente, sed impediri ab effectu consequendo per impedimentum superveniens ex parte operantis [3].

Hic agendum esset de mensura, qua opera mortificata reviviscunt per poenitentiam, sed de hoc satis dictum est in tractatu *De gratia*, n. 347 sq.

QUAESTIO XXXIV

DE REDITU PECCATORUM PER POENITENTIAM DIMISSORUM

ARTICULUS I

UTRUM PECCATA PER POENITENTIAM SEMEL DIMISSA REDEANT PER SEQUENS PECCATUM

579. Status quaestionis. 1) Peccatum, in quantum est actio individua, si semel remittatur, idem in individuo redire nequit, «quia, ut optime ait *Angelicus*, quod omnino in nihilum decidit, idem numero resumi non potest» [4]. Fuit actus liberi arbitrii, qui in nihilum decessit, nunquam rediturus.

2) Experientia tamen quotidiana nos docet peccatum remissum quoad identitatem specificam saepe redire, quia eumdem specie actum peccati saepe repetimus.

3) Quaestio est, an macula et reatus poenae aeternae peccatorum praecedentium, quae remissa sunt per poenitentiam, redeant per peccatum sequens.

Quod ut recte intelligatur, observandum est cum S. Thoma duo esse consideranda in peccato mortali, aversionem scilicet a Deo et conversionem ad bonum creatum. «Quidquid autem est ex parte aversionis in peccato mortali, secundum se consideratum, est commune omnibus peccatis mortalibus, quia per quodlibet peccatum mortale homo avertitur

---

[1] Editio **Sasse,** *De sacramento poenitentiae*, sect. 3, c. 6, th. 36, p. 223 in nota addita a **Lehmkuhl.**

[2] **S. Thomas,** *III p.*, q. 89, a. 5.

[3] Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 89, a. 5 ad 2.

[4] *In IV Sent.*, dist. 22, q. 1, a. 1, sol. 1.

a Deo. Unde et per consequens macula, quae est per privationem gratiae, et reatus poenae aeternae communia sunt in omnibus peccatis mortalibus... Sed ex parte conversionis peccata mortalia sunt diversa, et interdum contraria. Unde manifestum est, quod ex parte conversionis peccatum mortale sequens non facit redire peccata mortalia prius abolita».

«Verum, quia aversio in peccato mortali ex conversione quodammodo causatur, recipiunt ea, quae sunt ex parte aversionis, quodammodo diversitatem per comparationem ad diversas conversiones, sicut ad diversas causas, ita quod sit alia aversio, et alia macula, et alius reatus, prout consurgit ex alio et alio actu peccati mortalis.»

«Et hoc modo in quaestionem vertitur, utrum macula et reatus poenae aeternae, *secundum quod causabantur ex actibus peccatorum prius dimissorum*, redeant per peccatum mortale sequens» [1].

580. Errores. 1) Testibus Petro Lombardo et S. Thoma, quibusdam visum est peccata mortalia semel dimissa simpliciter per sequens peccatum redire [2].

2) «Alii dixerunt, quod non redit peccatum dimissum per quodlibet peccatum sequens, sed per quatuor tantum; scilicet, per odium fraternum, per apostasiam a fide, et per contemptum confessionis, et per hoc quod aliquis dolet se poenituisse. Unde fecerunt versus: *Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri, poenituisse piget; pristina culpa redit*» [3].

3) «Alii, ponentes peccata redire, dixerunt, quod Deus non remittit peccata poenitenti postmodum peccaturo secundum praescientiam, sed solum secundum praesentem justitiam» [4].

581. THESIS. **Peccata semel a Deo dimissa non redeunt per peccatum sequens.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apud Ezechielem ait Dominus: *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua... Omnia peccata ejus, quae peccaverit, non imputabuntur ei* [5].

2) *Ex ratione.* Si peccatum dimissum rediret quoad maculam vel culpam, actus, qui in nihilum redactus est, exerceret vim suam impediendi homines a consequenda salute. Hoc autem impossibile est, quia, quod in nihilum transiit, nihil potest efficere. Ergo [6].

3) *Ex alia ratione.* Quod Deus semel destruxit, non resurgit. Sed Deus destruxit peccatum in justificatione hominis. Ergo.

---

[1] **S. Thomas,** *III p.*, q. 88, a. 1.
[2] **Petrus Lombardus,** *IV Sent.*, dist. 22, n. 1-2; ML **192,** 898; **S. Thomas,** *III p.*, q. 88, a. 1.
[3] **S. Thomas,** *In IV Sent.*, dist. 22, q. 1, a. 1.
[4] **S. Thomas,** *III p.*, q. 88, a. 1.
[5] *Ezech.*, 33, 12-16.
[6] Cfr. **Capreolus,** *In IV Sent.*, dist. 22, q. 2, a. 1.

QUAESTIO XXXV

DE INDULGENTIIS

ARTICULUS I

QUID SIT INDULGENTIA

582. I. **Nomen.** Multiplici sensu sumitur vocabulum *indulgentia*. *Theodorus a Spiritu Sancto* [1] quatuor enumerat ejus acceptiones. Sumitur: 1) «*Pro illicita quadam lenitate*, quae malum impune permittat, aut malo viam aperiat». Hoc sensu *Quintillianus* ait: «Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes et mentis et corporis frangit» [2]. 2) «*Pro quadam facilitate respectu subditorum et inferiorum*... quae exactioris vitae rigorem temperet». In hac acceptione Apostolus fecit virginibus nubendi facultatem *secundum indulgentiam non secundum imperium* [3]. 3) «*Pro pulchritudine et formae elegantia*». Ad rem interrogat *Quintillianus:* «Si filio obtigerit indulgentior facies, vultus erectior, refugiet mater amplexus?» [4]. 4) «*Pro cessione debiti vel actionis*, cujus habemus jus adversus alterum». Apposite de hoc *S. Augustinus:* «Ne desperatione homines pejus viverent, promisit (Deus) indulgentiae portum» [5].

Ex hac quarta acceptione videtur nomen indulgentiae fuisse usui ecclesiastico accommodatum, ut significaret remissionem poenae temporalis.

583. II. **Definitio.** Indulgentia recte definitur: *Remissio poenae temporalis pro peccatis actualibus quoad culpam jam dimissis Deo debitae, ab auctoritate ecclesiastica homini baptizato extra sacramentum poenitentiae concessa per applicationem satisfactionum, quae sunt in thesauro Ecclesiae.*

Dicitur 1) *Remissio*, id est, relaxatio, qua homini extinguitur vel solvitur debitum.

Disputatur, an haec remissio fiat per absolutionem datam ab habente jurisdictionem, vel sit solutio pretii ad redimendum debitum.

Diversi diversimode rem explicant, sed verius mihi videtur indulgentiam pro vivis esse absolutionem, quatenus habet adnexam solutionem, et indulgentiam pro defunctis esse solutionem per modum suffragii.

Utrumque docet *Codex Juris Canonici* his verbis: «Quam (indulgentiam) ecclesiastica acutoritas ex thesauro Ecclesiae concedit *pro vivis per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii*» [6].

---

1 *Tractatus dogm. moralis de indulgentiis*, diss. prooem., § 1.
2 *Instit.*, lib. 1, c. 2.
3 *I Cor.*, 7, 25.
4 *Declamat.* 18, c. 10.
5 *Enarrat. in ps.* 101, serm. 1, n. 10; ML **37**, 1301.
6 *Codex Juris canonici*, can. 911.

Indulgentia igitur conceditur vivis per actum judicialis potestatis. Auctoritas ecclesiastica illam concedens utitur potestate ligandi vel solvendi, profertque sententiam absolutoriam sine strepitu judiciali, condonando homini debitum, quod habet coram Deo [1].

Habet tamen solutionem connexam, quatenus haec remissio fit per quamdam satisfactionem, non propriam debitoris, sed Jesu Christi ac sanctorum, quorum satisfactiones applicantur debitori.

Indulgentia vero pro vivis est solutio, quatenus nomine Ecclesiae satisfactiones Christi et Sanctorum suppliciter offeruntur Deo pro defunctis per modum suffragii.

2) *Poenae temporalis.* Tum in sacramento poenitentiae tum in actu perfectae contritionis, remittitur peccatori culpa mortalis et poena aeterna, sicut etiam per poenitentiam saltem virtualem remittitur culpa peccati venialis, sed relinquitur plerumque debitum poenae temporalis utriusque culpae. Remissio hujus poenae temporalis dicitur indulgentia.

Ante hanc remissionem poenae temporalis remitti oportet peccata quoad culpam per poenitentiam sive in re sive in voto. Unde bullae ac constitutiones pontificiae, quibus conceditur indulgentia, loquuntur de remissione poenae temporalis.

Quidam veteres theologi, putantes peccatum veniale consistere in reatu poenae temporalis, dixerunt peccata venialia remitti posse sola indulgentia, imo *Paludanus,* qui recte censebat de natura peccati venialis habitualis, ait: «Potest etiam, ut videtur, per indulgentiam, in quantum habet rationem cujusdam absolutionis, remitti veniale quoad culpam» [2]. Sed verius docent theologi communiter in peccato veniali haberi culpam et poenam temporalem, et culpam sine aliqua poenitentia saltem virtuali deleri non posse.

3) *Pro peccatis actualibus quoad culpam jam dimissis.* Pro peccatis quidem actualibus, quia poena debita peccato originali remittitur in baptismo, et non pertinet ad indulgentiam. Quoad culpam jam dimissis, quia poena debita peccatis, sive mortalibus sive venialibus, remitti nequit, antequam dimittatur culpa. Culpa enim secum fert reatum poenae.

4) *Deo debitae.* Poenae siquidem civiles, ut restitutiones faciendae, et satisfactiones aliis hominibus vel societati debitae, non remittuntur per indulgentiam, sed solummodo poenae temporales in foro Dei debitae, quae praecipue in purgatorio essent solvendae. Hinc damnatur propositio 19 Lutheri: «Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam justitiam» [3].

Erraverunt pariter pistorienses, quando dixerunt indulgentiam non aliud esse quam «remissionem partis ejus poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti» [4].

Unde pervertunt doctrinam catholicam, qui dicunt indulgentiam

---

[1] Cfr. **Beringer,** *Les indulgences,* part. I, § 5.
[2] *In IV Sent.,* dist. 21, q. 1 in fine.
[3] *Propositio* 19; **Denz-Bannw.,** 759.
[4] *Prop.* 40; **Denz-Bannw.,** 1540.

non esse nisi declarationem, qua dicitur peccatorem sufficienter pro peccatis commissis satisfecisse.

5) *Ab auctoritate ecclesiastica concessa.* Cum enim indulgentia sit quaedam judicialis quasi sententia, qua poenae peccatis coram Deo debitae relaxantur, non potest nisi ab habente auctoritatem in foro externo Ecclesiae concedi.

6) *Homini baptizato.* Per has particulas designatur subjectum indulgentiae, quod non potest esse nisi homo baptizatus. Auctoritas enim ecclesiastica nullam habet jurisdictionem in homines non baptizatos.

7) *Extra sacramentum poenitentiae.* Dupliciter potest remitti poena temporalis Deo debita, per absolutionem scilicet in sacramento poenitentiae, et per indulgentiam extra sacramentum poenitentiae. Sed est differentia inter utrumque. Sacramentum poenitentiae, quatenus est instrumentum a Christo Domino institutum, applicat homini passionem Christi, et remittit directe et per se culpam, et ex consequenti poenam per modum condignae satisfactionis; indulgentia e contra non est instrumentum sed remissio poenae temporalis, quatenus auctoritas ecclesiastica per judicialem potestatem applicat peccatori satisfactiones Christi atque sanctorum [1].

8) *Per applicationem satisfactionum, quae sunt in thesauro Ecclesiae.* His verbis significatur indulgentiam non esse meram condonationem sed absolutionem et solutionem debiti ex alienis operibus poenalibus, scilicet, ex satisfactionibus Christi et sanctorum, quae, ut dicemus inferius, remanent in thesauro Ecclesiae.

ARTICULUS II

QUOTUPLEX SIT INDULGENTIA

584. I. Indulgentia potest esse *plenaria* vel *partialis*. Indulgentia *plenaria* seu totalis est remissio totius poenae temporalis, quam peccator debet coram Deo; *partialis* dicitur remissio partis poenae temporalis coram Deo debitae secundum formam concessionis.

1) Indulgentia plenaria aliquando olim dicebatur *plena*, *plenior* et *plenissima* [2], cujus distinctionis explicatio non una est apud auctores. *Sotus* putavit hanc gradationem initium habuisse in exaggeratione concionatorum [3]. Juxta Paludanum et alios «*plenaria* intelligitur de poenis peccatorum mortalium remissorum; *plenior* de ipsis una cum culpis venialium; sed *plenissima* de absolutione ab omni poena et veniali culpa» [4]. Juxta Lehmkuhl et alios *plena* est remissio, quae ad poenas canonice impositas et eam poenae Deo debitae partem respondeat; *plenior*, quae

---

[1] Cfr. **Theodorus a Spiritu Sancto,** *De indulg.*, p. 1, c. 6, a. 1 «His modis»; et **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 21, q. 1, a. 2.

[2] Haec distinctio venit in Constitutione Bonifacii VIII, cujus initium «Antiquorum», in Extrav. commun. de poenitentia et remissione data pro jubilaeo anni 1300.

[3] *In IV Sent.*, dist. 21, q. 2, a. 1 «Praeter haec».

[4] Apud **Sotum** *In IV Sent.*, dist. 21, q. 2, a. 1.

ad poenas et impositas et secundum canones imponendas se extendit; *plenissima*, quae ad remissionem omnis poenae Deo debitae, etiamsi excedat debitum secundum canones imponendum respondet [1]. Alii, ut *Suarez*, *Theodorus a Spiritu Sancto*, *Collet* et alii defendunt praefatas indulgentias inter se non differre, sed distinctionem indulgentiae in plenam, pleniorem et plenissimam explicandam esse penes privilegia et indulta specialia, quae in concessione indulgentiarum ac jubilaei largiuntur [2].

Haec distinctio nunc evanuit, et quaelibet indulgentia plenaria est remissio totius poenae temporalis coram Deo debitae.

Ad intelligentiam tamen hujus indulgentiae plenariae prae oculis haberi oportet id, quod supra diximus, scilicet, poenam peccatorum remitti non posse, nisi prius remittatur culpa. Quando fideles lucrantur indulgentiam plenariam, recipiunt remissionem totius poenae, quae debetur peccatis quoad culpam dimissis, atque ideo remissionem totius poenae peccatis mortalibus remissis debitae, sicut etiam remissionem poenae debitae peccatis venialibus, de quibus dolent, sed non remissionem poenae temporalis debitae peccatis venialibus, quibus afficiuntur. Hinc contingere potest, et saepe contingit, ut quis lucretur indulgentiam plenariam partialiter, et indigeat novo dolore et nova indulgentia, ut omnino a debito coram Deo liberetur. Qui enim de omnibus peccatis mortalibus et de decem peccatis venialibus dolet, et decem peccatis venialibus afficitur, lucrando indulgentiam plenariam liberatur a poena peccatis mortalibus et decem peccatis venialibus debita, et retinet poenam debitam decem peccatis venialibus non remissis [3].

Ex hoc sequitur valde conveniens esse renovare saepe dolorem de peccatis etiam venialibus, et lucrari plures indulgentias plenarias.

2) *Indulgentia partialis est*, ut diximus, remissio partis poenae temporalis secundum formam concessionis. Si cui habenti debitum poenae temporalis ad octo, concedatur indulgentia partialis ad decem, haec indulgentia evadit plenaria per accidens.

Antiquitus indulgentia partialis non semel concessa fuit his vel similibus terminis: *Concedimus remissionem tertiae partis peccatorum*, sumpto vocabulo «peccatorum» pro reatu poenae, et significabatur tertiam partem debiti poenae temporalis relaxari.

Saepius nunc conceditur indulgentia partialis tot dierum, annorum et quadragenarum, et sensus est per talem indulgentiam remitti coram Deo quantitatem poenae pro peccatis, quae antiquis poenitentiis canonicis totidem dierum, annorum et quadragenarum remittebatur coram Deo.

Falluntur, qui dicunt per indulgentiam quinquaginta dierum diminui tempus purgatorii per quinquaginta dies. Antiquitus difficilius concedebatur indulgentia fidelibus, et loco ejus lapsis contritis adsignabatur poenitentia ad determinatum tempus. Cum igitur conceditur indulgen-

---

[1] **Lehmkuhl,** vol. 2, n. 662. Hanc explicationem tenuerunt Navarrus, *Commentarium de indulg. et jubil.*, notabili 9; et **Bellarminus,** *De indulgentiis*, c. 9.

[2] **Suarez,** *De poenitentia*, disp. 50, sect. 4, n. 7; **Theodorus a Spiritu Sancto,** *Tractatus de indulgentiis*, p. 2, c. 6, a. 2; **Collet,** *De indulgentiis*, c. 1, n. 9.

[3] Cfr. **Lehmkuhl,** n. 668.

tia centum dierum, conceditur remissio poenae, quae per poenitentiam publicam centum dierum relaxata fuisset secundum veteres canones.

585. II. Indulgentia tum plenaria tum partialis dividitur in *personalem*, *realem* et *localem*. *Personalis* est, quae uni vel pluribus personis tanquam favor vel gratia datur, easque, quocumque ierint, afficit. *Realis* dicitur, quae rei vel objecto cuipiam, ut coronis, numismatibus, etc., adhaeret. *Localis* nuncupatur, quae in favorem quidem personae conceditur, sed inhaeret alicui loco, ut ecclesiae, oratorio, etc., in ordine ad personas.

586. III. Indulgentia potest esse *perpetua* vel *temporaria*, prout in perpetuum vel ad certum tempus ab auctoritate ecclesiastica conceditur.

ARTICULUS III

UTRUM IN ECCLESIA EXSISTAT THESAURUS COMMUNIS, CONTINENS SATISFACTIONES CHRISTI ET SANCTORUM

587. Status quaestionis. 1) Indulgentia non est mera condonatio poenae sed absolutio cum solutione debiti. Cum haec solutio fiat satisfactionibus, non quidem propriis debitoris, sed alienis, nempe Christi et sanctorum, operae pretium est investigare, an in Ecclesia exsistat thesaurus, in quo reserventur satisfactiones aptae ad solvendum Deo debitum poenae temporalis, quod post remissionem culpae saepe remanet in anima.

2) Hic thesaurus, cujus nomen videtur primum inveniri apud Alexandrum Alensem et Albertum Magnum [1], dicitur esse cumulus satisfactionum Christi et sanctorum Ecclesiae relictus, ut ab auctoritate ecclesiastica fidelibus applicetur.

588. Errores. 1) *Lutherus*, scripto de virtute indulgentiarum volumine, plurima contra indulgentias evomuit. Conclusionibus 56 et 58 de thesauro ait: «Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias..., non sunt merita Christi et sanctorum» [2]. Deinde ajebat: «Quod sit thesaurus indulgentiarum, nego, donec docear» [3].

2) *Calvinus* pariter exprobrat hanc doctrinam, et thesaurum Ecclesiae despective vocat «horreum» [4].

3) *Synodus pistoriensis* docuit «scholasticos in suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et sanctorum» [5].

4) Ex catholicis unus, *Mayronus*, impugnavit exsistentiam thesauri Ecclesiae, putans Christum accepisse completam meritorum suorum ac satisfactionum remunerationem, et nihil in thesauro reliquisse [6].

---

[1] **Alexander Alensis,** *IV p.*, q. 23, m. 1, a. 1; et m. 3; **Albertus Magnus,** *In IV Sent.*, dist. 20, a. 16.

[2] Ex his verbis desumptus est ejusdem error 17 damnatus a Leone X, 15 Junii 1520. **Denz-Bannw.,** 757.

[3] Ad concl. 58. In conclusione 62 adseruit: «Verus thesaurus Ecclesiae est sacrosanctum evangelium gloriae et gratiae Dei». Et conclusione 66: «Thesauri indulgentiarum retia sunt, quibus nunc piscantur divitiae virorum».

[4] *Inst.*, lib. 3, c. 5, n. 2.

[5] *Prop.* 41; **Denz-Bannw.,** 1541.

[6] *In IV Sent.*, dist. 19, q. 2.

5) *Holden* haec scripsit: «Caetera omnia dubia sunt et a theologis in utramque partem agitata, nimirum, an sit thesaurus aliquis meritorum et satisfactionum in Ecclesia (ut supra notavimus), cujus dispensatores sint Romani Pontifices et reliqui Ecclesiae Pastores» [1].

589. THESIS. **Exstat in Ecclesia thesaurus spiritualis ex Christi sanctorumque satisfactionibus constans, quem ad temporalis poenae remissionem nobis auctoritas ecclesiastica dispensat.**

Hic thesaurus dicitur esse in Ecclesia, quia est in acceptatione et praesentia seu in scientia ac voluntate divina, et relinquitur ministerio Ecclesiae dispensandus in favorem fidelium.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Christus Dominus, verus Deus et verus homo, propter unionem hypostaticam humanae naturae ad divinam personam, habuit valorem infinitum in suis actibus, et obtulit Deo satisfactiones superabundantes infiniti valoris. Hae autem nunquam sunt exhaustae, sed post redemptionem generis humani, cum infinitae fuerint, in acceptatione divina remanserunt. Hinc Apostolus ait: *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* [2]. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata* [3]. Et S. Joannes: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi* [4].

2) *Ex declarationibus Ecclesiae.* Clemens VI in Extrav. «Unigenitus» declaravit Christum Dominum in ara crucis non guttam sanguinis modicam, sed profluvium pro redemptione generis humani effudisse, et thesaurum militanti Ecclesiae acquisivisse. «Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per beatum Petrum caeli clavigerum ejusque successores, suos in terris vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum» [5].

Propositiones 17 Lutheri et 41 synodi pistoriensis, in quibus negabatur thesaurus Ecclesiae, damnatae sunt [6].

3) *Ex SS. Patribus.* Ex SS. Patribus unum tantummodo S. Joannem Chrysostomum laudare sufficiat: «Longe plura, ait, quam debeamus, solvit Christus, et tanto plura, quanto prae parva stilla pelagus immensum» [7].

4) *Ex ratione theologica.* Expedit maxime, ut sicut in regno materiali exstat thesaurus, ex quo communibus subditorum indigentiis subvenitur, ita in corpore mystico Christi adsit thesaurus ad fidelium spiritualibus necessitatibus subveniendum aptus. Hic autem thesaurus est cumulus satisfactionum Christi et sanctorum, quae, cum infinitae sint, post solutionem debiti eorum, qui praecesserunt, manent in acceptatione divina pro iis, qui venturi sunt usque ad finem mundi.

Hanc rationem praeclare expendit Angelicus dicens: «Ratio autem, quare valere possint, est unitas corporis mystici, in qua multa in ope-

---

[1] *Analys. fidei*, lib. 2, c. 6, § 3 (**Migne,** *C. theol.*, t. 6, p. 836).
[2] *I Tit.*, 2, 6.
[3] *Hebr.*, 9, 28.
[4] *I Joan.*, 2, 2.
[5] Bulla Jubilaei *Unigenitus Dei Filius*, 25 Jan. 1343; **Denz-Bannw.,** 550-551.
[6] **Denz-Bannw.,** 757 et 1541.
[7] *In ep. ad Roman.*, hom. 10, 2; MG **60**, 477.

ribus poenitentiae supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum; et multi etiam tribulationes injustas sustinuerunt patienter, per quas multitudo poenarum poterat expiari, si eis deberetur; quorum meritorum tanta est copia, quod omnem poenam debitam nunc viventibus excedunt; et praecipue propter meritum Christi; quod etsi in sacramentis operatur, non tamen efficacia ejus in sacramentis includitur, sed sua infinitate excedit efficaciam sacramentorum... Ea autem, quae sunt alicujus multitudinis communia, distribuuntur singulis de multitudine secundum arbitrium ejus, qui multitudini praeest» [1].

590. Scholion. *Quibus constet hic thesaurus Ecclesiae.*

Lutherus, Calvinus, et alii protestantes dicunt profanari Christi sanguinem, cum praetenditur ejus valorem per indulgentias ad solvendum Deo pretium peccatorum applicari [2].

De sanctorum vero satisfactionibus ait *Lutherus:* «Nullus sanctorum in hac vita sufficienter implevit mandata Dei, ergo nihil prorsus fecerunt superabundans» [3].

Bajus deinde hunc errorem renovavit dicens: «Per passiones sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta» [4].

Ex Ecclesiae tamen declarationibus et ratione theologica constat in thesauro Ecclesiae contineri satisfactiones infiniti valoris Christi, et superabundantes sanctorum. Christus in suis operibus obtulit Deo Patri opera superabundanter satisfactoria, quorum valor nunquam exhauritur. Ex sanctis vero beata Virgo Maria, quae nihil debuit, plurimum Deo satisfecit, aliique sancti, vel innocentiam servantes, vel post conversionem maxime sese affligentes, in operibus poenalibus plus passi sunt, quam eguerunt ad proprium debitum solvendum, et residuum *superabundans* in thesauro Ecclesiae reliquerunt.

2) Quaeri etiam solet, an hic thesaurus, qui ex Christi sanctorumque satisfactionibus coalescit, sit unicus in tota Ecclesia, vel multiplex in ecclesiis particularibus. In quo vera est sententia Durandi dicentis: «Thesaurus Ecclesiae, quem Christus sponsus ejus, dimisit ei tanquam sponsae, non est divisus in Ecclesia, ita ut in una particulari ecclesia sit una pars illius thesauri, et in alia alia pars, sed est unus et indivisus in tota Ecclesia» [5].

ARTICULUS IV

UTRUM ECCLESIA HABEAT POTESTATEM CONCEDENDI INDULGENTIAS

591. Status quaestionis. 1) Thesaurus, ex Christi sanctorumque satisfactionibus constitutus, est totius reipublicae christianae commuen bonum, sicut thesaurus publicus in republica civili est omnium civium

---

1 *Suppl.*, q. 25, a. 1.
2 Cfr. **Calvinus,** *Inst.*, lib. 3, c. 5, n. 2.
3 *De virtute indulgentiarum*, concl. 58, «Tertio».
4 *Prop.* 60, damnata a S. Pio V, 1 Oct. 1561; **Denz-Bannw.,** 1060.
5 *In IV Sent.*, dist. 20, q. 5, n. 5.

patrimonium. In republica autem civili princeps auctoritate pollet distribuendi bona thesauri publici in necessitates communes. Et quaeritur, an etiam Ecclesia habeat potestatem dispensandi thesaurum spiritualem, concedendo indulgentias.

592. Errores. 1) Novatiani et montanistae, sicut negaverunt in Ecclesia esse facultatem remittendi graviora peccata, ita pariter negaverunt Ecclesiae concessam fuisse facultatem relaxandi poenas his peccatis debitas.
2) *Waldenses* dixerunt «Praelatorum indulgentias nullius esse valoris» [1]
3) *Wiclefus* ajebat: «Fatuum est credere indulgentiis Papae et episcoporum» [2]. Eamdem doctrinam sequuti sunt hussitae [3].
4) *Petrus de Osma:* «Papa non potest indulgere alicui vivo poenam purgatorii» [4].
5) *Lutherus, Calvinus, Zwinglius,* et *omnes novatores* saeculi XVI, contenderunt Ecclesiae non competere facultatem concedendi indulgentias [5].

593. Thesis I. **Ecclesia habet potestatem divinitus acceptam concedendi indulgentias.** *Est de fide.*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Dominus Jesus primo Petro et deinde omnibus apostolis promisit ac contulit potestatem clavium, facultatem scilicet ita ligandi atque solvendi, ut quicumque soluti fuerint in terris, solverentur etiam in caelis [6]. In hac potestate includitur facultas remittendi peccata adeo complete, ut peccator haeres fiat regni caelorum. Sed, remissa culpa, saepe relinquitur debitum poenae, quae impedit admissionem peccatoris in caelo. Ergo potestas clavium seu potestas solvendi peccata involvit facultatem remittendi poenas peccatorum, quas non potest Ecclesia remittere nisi per applicationem thesauri spiritualis [7].

Hoc argumentum scripturisticum egregie expendit *S. Thomas* his verbis: «Totus ergo iste thesaurus (meritorum Christi et sanctorum) est in dispensatione ejus, qui praeest generali Ecclesiae; unde Petro Dominus claves regni caelorum commisit (*Matth.*, 16, 19). Quando ergo utilitas vel necessitas ipsius Ecclesiae hoc exposcit, potest ille, qui praeest Ecclesiae, de ista infinitate thesauri communicare alicui, qui per caritatem fit membrum Ecclesiae, de praedicto thesauro, quantum sibi visum fuerit opportunum, vel usque ad totalem remissionem poenarum, vel usque ad aliquam certam quantitatem; ita scilicet, quod passio Christi et aliorum sanctorum ei imputetur, ac si ipse passus esset, quantum sufficeret ad remissionem sui peccati; sicut contingit, cum unus pro alio satisfacit» [8].

2) *Ex doctrina concilii tridentini.* Juxta concilium tridentinum,

---

[1] Hic articulus damnatus esse dicitur in concilio lateranensi III.
[2] *Prop.* 42 damnata a concilio const.; **Denz-Bannw.,** 622.
[3] *Prop.* 25; **Denz-Bannw.,** 651.
[4] *Error* 6; **Denz-Bannw.,** 729.
[5] **Lutherus,** *De virtute indulgentiarum,* 95 conclusionibus; **Calvinus,** *Inst.*, lib. 3, c. 5, horribilia de hoc dixerunt.
[6] *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis,* Matth., 16, 19. *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo,* Matth., 18, 18. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* Joan., 20, 23.
[7] Cfr. **Perrone,** *De indulgentiis,* n. 10.
[8] *Quodlib.* 2, q. 8, a. 16.

«cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit» [1], indulgentiarum usus populo christiano est utilis.

3) Praxis Ecclesiae hanc veritatem liquido demonstrat. Ab antiquis quippe temporibus Ecclesia usa est hac facultate. Porro «si quid horum, ait *S. Augustinus*, tota per orbem frequentat Ecclesia; nam et hinc, quin ita faciendum sit, disputare insolentissimae insaniae est» [2].

4) *Ratio ad hoc non potest adduci nisi voluntas Dei.* Congruentiae tamen non desunt, quae nos ad hanc veritatem admittendam inclinant. Supposita enim exsistentia thesauri spiritualis, oportet ejus dispensatorem in Ecclesia dari. «Ea, ajebat *Angelicus*, quae sunt communia multitudinis, distribuuntur singulis de multitudine secundum arbitrium ejus, qui multitudini praeest» [3].

594. THESIS II. **Potestas concedendi indulgentias est potestas jurisdictionis, non ordinis.**

Plures de hoc dubitarunt, sed est sententia communis et certa.

Arg. 1) Codex Juris Canonici expresse docet indulgentias concedi «pro vivis per modum absolutionis» [4]. Absolutio autem datur per potestatem jurisdictionis [5].

2) Potestas ordinis versatur circa corpus Christi reale, et potestas jurisdictionis circa corpus Christi mysticum. Concedere autem indulgentias est dispensare thesaurum communem in favorem corporis mystici Christi. Ergo potestas concedendi indulgentias est facultas jurisdictionis. Ad rem apposite *S. Thomas:* «potestas concedendi indulgentias sequitur jurisdictionem» [6].

595. THESIS III. **Qui regimen Ecclesiae vi muneris tenent, id est, Papa in Ecclesia universali, et episcopi in suis dioecesibus dependenter a Papa, possunt indulgentias concedere.**

1) **Qui regimen Ecclesiae vi muneris tenent.**

In indulgentiis dispensantur satisfactiones Christi et sanctorum, quae sunt in thesauro communi Ecclesiae, et ad eas concedendas requiritur ac sufficit jurisdictionem ac gubernium Ecclesiae vi muneris habere. »Solus ille, ait *S. Thomas*, qui praeficitur Ecclesiae, potest indulgentias facere» [7].

---

[1] *Sess.* 25, *Decret. de indulgentiis;* **Denz-Bannw.,** 989.

[2] *Ep.* 54, c. 5; ML **33,** 202. Vide apud **Katschthaler,** *De sacramentis*, n. 764 in nota, et apud **Pesch,** *De poenitentia*, n. 495 sqq., quomodo Ecclesia in diversis temporibus hac facultate usa fuerit.

[3] *In IV Sent.*, dist. 20, q. 1, a. 3, sol. 1. Cfr. **Suarez,** *In III p.*, disp. 49, sectione 5, n. 3.

[4] *Can.* 911.

[5] Cfr. **Theodorus a Spiritu Sancto,** *De indulgentiis*, p. 1, c. 3, a. 2.

[6] *In IV Sent.*, dist. 20, q. 1, a. 4, sol. 2.

[7] *Supplementum*, q. 26, a. 1. Cfr. **S. Bonaventura,** *In IV Sent.*, dist. 20, p. 2, a. 1, q. 3.

2) **Papa in Ecclesia universali.**

Thesaurus, in quo continentur satisfactiones Christi et sanctorum, non est hujus vel alterius dioecesis, sed est totius Ecclesiae communis. Solus autem Papa, qui habet jurisdictionem in Ecclesia universali, et est hujus thesauri custos ac dispensator, potest de eo disponere ac indulgentias sine limite concedere.

3) **Episcopi in suis dioecesibus dependenter a Papa.**

Episcopi sunt a Spiritu Sancto positi regere Ecclesiam Dei. Ad hoc regimen exercendum singuli episcopi vi muneris acquirunt jurisdictionem in fideles suae dioecesis. Unde potestate ordinaria possunt, dependenter tamen a Papa, partem thesauri communis in favorem fidelium suae dioecesis dispensare. Haec tamen potestas «in episcopis est taxata secundum ordinationem Papae» [1].

596. Corollarium. 1) Solus Papa, utpote caput omnium fidelium, potest omnibus et singulis fidelibus indulgentias plenarias etiam defunctis applicabiles concedere, quia ipsi soli concreditus est thesaurus communis Ecclesiae, ipsique dictum est: *Tibi dabo claves regni caelorum* [2].

2) Cardinales, archiepiscopi et episcopi non possunt eas concedere in Ecclesia universali, sed in suis tantum provinciis et dioecesibus secundum taxationem Papae; cardinales quidem in locis vel institutis ac pro personis suae jurisdictionis vel protectionis indulgentiam 200 dierum [3]; archiepiscopi in sua provincia ecclesiastica indulgentiam 100 dierum [4]; et episcopi in sua dioecesi indulgentiam 50 dierum [5].

3) *Lutherus* et qui ipsum sequuntur novatores dixerunt indulgentias nemini esse utiles, sed mortuis ac morituris esse maxime nocivas [6]; sed ex catholicis nemo eis subscribit. Unde concilium tridentinum declaravit usum indulgentiarum esse populo christiano salutarem, et in Ecclesia retinendum [7].

ARTICULUS V

UTRUM ALIQUA PIA ET PROPORTIONATA CAUSA REQUIRATUR AD INDULGENTIARUM CONCESSIONEM

597. Status quaestionis. 1) Per indulgentiam dispensantur fidelibus bona, quae sunt in thesauro Ecclesiae recondita, et poenae temporales pro peccatis debitae relaxantur. Compertum est autem ad hoc aliquam causam honestam requiri, ut concessiones Ecclesiae fiant ad aedificationem non ad destructionem.

Oportet, ut causa indulgentiae concedendae cedat in gloriam Dei et utilitatem Ecclesiae.

2) Supponimus neminem posse indulgentias sine aliqua causa licite

---

[1] **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 26, a. 3.
[2] *Matth.*, 16, 19.
[3] *Codex Juris Canonici*, can. 239, § 1, n. 24.
[4] *Codex Juris Canonici*, can. 274, n. 2.
[5] *Codex Juris Canonici*, can. 349, § 2, n. 2.
[6] *Art.* 22; **Denz-Bannw.,** 762.
[7] *Sess.* 25, *Decr. de indulg.*; **Denz-Bannw.,** 989.

concedere. Quaestio est de causa necessaria ad validam concessionem indulgentiarum.

3) Quaeritur ergo, an causa requisita ad concedendas indulgentias debeat esse pia, et indulgentiae concedendae proportionata.

598. THESIS I. **Ut valide indulgentiae concedantur, requiritur aliqua causa pia; non sufficit utilitas tantum lucrantis; sed exigitur causa pia externa, quae cedat in laudem Dei et utilitatem Ecclesiae.**

Arg. 1) Praelati, qui indulgentias concedunt, dispensant ut administratores, non tanquam domini, bona spiritualia thesauri communis. Administratores autem nequeunt valide bona aliena spiritualia sine causa pia dispensare. Ergo. Sic distributio aerarii publici non esset valida sine causa.

2) Qui indulgentias concedit, dispensat in lege divina exigente poenas temporales pro peccatis remissis. In lege autem divina nequit auctoritas ecclesiastica dispensare sine causa pia.

Optime ad rem *Suarez:* «Omnes doctores, tam theologi quam canonistae, consentiunt piam causam esse necessariam ad valorem indulgentiae» [1].

599. Corollarium. Causa pia et rationabilis concessionis indulgentiarum, distincta ab utilitate lucrantis, est opus pium, quod a concedente injungitur, et fideles suscipiunt implendum. Non est necessarium, ut causa indulgentiae concedendae sit opus poenale. Sufficit, ut in gloriam Dei cedat.

600. THESIS II. **Indulgentiae valent, quantum pronuntiantur a concedente, quantumque sonant; et judicium de proportione causae relinquendum est concedenti.**

Nota. Diversae sunt hac in re theologorum sententiae:

1) Cl. *Valentia,* quem alii merito sequuntur, ait: «Est igitur quarta sententia, quam veriorem ego exsistimo, ut indulgentia valeat, sufficere quamcumque causam piam, atque adeo eam valere absolute tantum, quantum sonat; quamvis fieri quidem possit, ut, qui concedit maximas indulgentias propter causas minimas, peccet ex quadam indiscretione et forte etiam ratione alicujus scandali» [2]. *S. Thomas* favet huic sententiae, ut videbimus infra.

2) Alii docent concessionem indulgentiae sine causa proportionata esse nullam. Ita *Albertus Magnus, S. Bonaventura, Suarez, Lugo, Teodorus a Spiritu Sancto, Billuart,* et alii [3].

3) Alii denique volunt utramque sententiam conciliari posse. Ita *Bellarminus, Ballerini, Sasse,* et alii plures [4].

Arg. 1) In hac materia adest axioma communiter receptum: *Indulgentiae tantum valent, quantum sonant.* Si autem indulgentiae sine causa proportionata concessae essent nullae, axioma esset falsum.

---

[1] *De sacramentis,* disp. 54, sect. 2, n. 3.

[2] *In III p.,* disp. 7, q. 20, p. 4 «Est igitur».

[3] **Albertus M.,** *In IV Sent.,* dist. 20, a. 17; **S. Bonaventura,** *In IV Sent.,* dist. 20, q. 6. **Suarez,** *De sacramentis,* disp. 54, sect. 3, n. 5; **Lugo,** *De poenitentia,* disp. 27, sect. 8, n. 141; **Theodorus a Spiritu Sancto,** *De indulgentiis,* p. 1, c. 4, a. 2; **Billuart,** *De indulgentiis,* diss. un., a. 4.

[4] **Bellarminus,** *De indulgentiis,* lib. 1, c. 12; **Ballerini,** *De indulgentiis,* n. 21; **Sasse,** *De indulgentiis,* c. 4.

2) Omnes theologi, etiam defensores causae proportionatae, communiter docent Ecclesiam quandoque majorem et interdum minorem indulgentiam cum eadem causa concedere. Ergo pro majori indulgentia non semper requiritur major proportionaliter causa.

3) Concedunt pariter theologi adaequationem causae non esse dimetiendam ex magnitudine objectiva rei, sed secundum prudentem aestimationem concedentis [1]. Unde *S. Bonaventura* ajebat: «Haec quantitas mensuratur secundum rectum judicium summi Pontificis, vel ejus, qui indulgentias facit» [2].

4) Causa in se minima potest aliquid coram Deo maxime acceptabile involvere, ut adsistentia ad benedictionem Summi Pontificis significat adhaesionem Vicario Christi.

5) *Angelicus Doctor* haec habet: «Clavis jurisdictionis non est quid sacramentale, et effectus ejus arbitrio hominis subjacet: et hujus modi clavis effectus est remissio, quae est per indulgentias; cum non pertineat ad dispensationem sacramentorum talis remissio, sed ad dispensationem bonorum communium Ecclesiae. Et ideo etiam legati non sacerdotes indulgentias facere possunt. Unde in arbitrio dantis indulgentiam est taxare, quantum per indulgentiam de poena remittitur. Si tamen inordinate remittat, ita quod homines quasi pro nihilo ab operibus poenitentiae revocentur, peccat faciens tales indulgentias: nihilominus quis plenariam indulgentiam consequitur» [3].

601. Scholion. Axioma: *Indulgentiae tantum valent, quantum sonant*, verissimum est, sed ut ejus sensus plene intelligatur, in indulgentiis duae causae sunt considerandae, causa nempe *concessionis indulgentiae*, et causa *remissionis poenae*. Causa concessionis indulgentiae est opus pium, quod eligitur atque praescribitur a concedente major vel minor secundum prudentem aestimationem. Causa remissionis poenae sunt satisfactiones Christi et sanctorum in thesauro Ecclesiae absconditae. Remissio poenae est major vel minor secundum applicationem thesauri factam a concedente, et sic dicuntur indulgentiae tantum valere, quantum sonant in concessione. Unde indulgentia plenarie concessa ex se valet plenarie, et indulgentia concessa pro centum diebus valet totidem diebus.

Non valor operis praescripti, neque devotio illud exsequentis, sed Christi sanctorumque satisfactiones producunt effectum indulgentiarum, et ideo tantum valent indulgentiae, quantum dispensatur de thesauro Ecclesiae.

«Quantitas effectus, ait *S. Thomas*, sequitur quantitatem suae causae. Causa autem remissionis poenae in indulgentiis non est nisi abundantia meritorum Ecclesiae, quae se habet sufficienter ad totam poenam expiandam; non autem causa remissionis effectiva est vel devotio, vel labor, vel datum recipientis indulgentiam, aut causa, pro qua datur indulgentia. Unde non oportet ad aliquid horum proportionare quantita-

---

[1] Cfr. **Suarez,** *De sacramentis*, disp. 54, sect. 3, n. 11; **Theodorus a Spiritu Sancto,** *De indulgentiis*, p. 1, c. 4, a. 2.

[2] *In IV Sent.*, dist. 20, a. un., q. 6.

[3] *Suppl.*, q. 25, a. 2 ad 1.

tem remissionis, sed ad merita Ecclesiae, quae semper abundant. Et ideo, secundum quod applicantur ad istum, secundum hoc remissionem consequitur. Ad hoc autem, quod applicentur isti, requiritur auctoritas dispensandi hujusmodi thesaurum, et unio ejus, cui dispensatur, ad eum, qui merebatur (quod fit per caritatem), et ratio dispensationis, secundum quam salvetur intentio illorum, qui opera meritoria fecerunt; fecerunt enim ad honorem Dei et utilitatem Ecclesiae in generali. Unde quaecumque causa adsit, quae in utilitatem Ecclesiae et honorem Dei vergat, sufficiens est ratio indulgentias faciendi».

«Et ideo secundum alios est dicendum, quod indulgentiae simpliciter tantum valent, quantum praedicantur, dummodo ex parte dantis sit auctoritas, et ex parte recipientis caritas, et ex parte causae pietas, quae comprehendit honorem Dei et proximi utilitatem. Nec in hoc fit nimis magnum forum de misericordia Dei, ut quidam dicunt, nec divinae justitiae derogatur; quia nihil de poena dimittitur, sed unius poena alteri computatur» [1].

ARTICULUS VI

QUAE CONDITIONES REQUIRANTUR AD LUCRANDAS INDULGENTIAS

602. Ad lucrandas indulgentias requiruntur in homine sequentes conditiones:

1) *Ut sit subditus concedentis.* Unde requiritur, ut lucrans baptismum susceperit, quo unusquisque fit subditus auctoritatis ecclesiasticae, et ut reperiatur in territorio concedentis, ubi agitur de indulgentiis localibus; vel jurisdictioni concedentis subjaceat, si lucrandae sint indulgentiae personales [2].

2) *Ut sit in statu gratiae sanctificantis.* Poena enim peccatis debita nunquam remittitur, nisi prius culpa gravis remittatur. Hac ratione aliquando poenae temporales aeternaliter puniuntur, quando sunt conjunctae culpae mortali. Unde in concessione indulgentiarum solet hoc bréviter saepe indicari verbis: *corde saltem contritis.*

Quando Praelatus dicit *in forma Ecclesiae consueta*, significat indulgentiam concedi *vere poenitentibus* seu *vere contritis.*

Status gratiae non est necessario habendus in quolibet opere adimplendo, si plura sint opera injuncta, sed in instanti, quo lucratur indulgentia, id est, in instanti, quo omnia opera complentur.

An status gratiae requiratur in lucranda indulgentia pro defunctis, quaestio est sub judice. *Bellarminus*, *Suarez*, et alii [3], putant hominem, qui est in peccato mortali posse lucrari indulgentias pro defunctis, quando in concessione nulla apponitur clausula de contritione.

3) *Voluntas lucrandi.* Non videtur requiri intentio actualis, virtualis aut proprie habitualis lucrandi indulgentias, quamvis aliqui eam

---

[1] *Suppl.*, q. 25, a. 2. Totus hic articulus est omnino legendus.

[2] Cfr. **Palmieri,** *Opus. theol. morale Ballerini, De indulgentiis*, n. 22.

[3] **Bellarminus,** *De indulgentiis*, lib. 1, c. 14; **Suarez,** *De poenitentia*, disp. 53, sect. 4, n. 6.

exegerint. Sufficit ea voluntas seu intentio interpretativa, qua quis ita adimplet unum opus, in quo implicite continetur voluntas lucrandi indulgentias [1].

Si ad lucrandas indulgentias non est necessaria intentio formalis, aut virtualis, minus requiritur *sollicitudo quaedam satisfaciendi ardensque poenitentiae desiderium*, quod *Cajetanus, Tournely, Katschthaler*, et alii docuerunt esse necessarium [2]. Sane consulenda est omnibus sollicitudo Deo satisfaciendi, et hortandi sunt fideles ad ardens poenitentiae studium, sed haec sunt extra rationem indulgentiae [3].

4) *Ut opus injunctum integre adimpleatur.* Operis executio est conditio sine qua non, ac proinde opus adimplendum. Si quis opus adimplere non valens, aut bona fide credens se opera praestitisse, cum non praestiterit, non lucratur indulgentiam.

ARTICULUS VII

UTRUM ET QUOMODO INDULGENTIAE APPLICARI POSSINT DEFUNCTIS

603. Status quaestionis. Duas quaestiones titulus involvit, an scilicet indulgentiae defunctis prosint, et quommodo eis applicari queant. Utraque quaestio est breviter discutienda ac resolvenda.

604. THESIS I. **Dogma catholicum docet animas fidelium in purgatorio detentas posse indulgentiis juvari.**

Lutherus dicebat indulgentias non esse necessarias nec utiles defunctis [4]; *Calvinus* vehementer invehitur contra quodlibet suffragium pro defunctis [5]; synodus pistoriensis adseruit «luctuosius adhuc esse, quod chimaerea isthaec applicatio (thesauri per indulgentias) transferri volita sit in defunctos» [6].

Sed veritas catholica patet ex sequentibus:

1) *Ex concilio tridentino.* Patres hujus concilii docuerunt «purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suffragiis... juvari» [7].

2) Propositiones Lutheri et synodi pistoriensis, quae contrarium docebant, ab Ecclesia damnatae sunt.

3) *S. Thomas* merito ait: «Non enim est aliqua ratio, quare Ecclesia transferre possit communia merita, quibus indulgentiae innituntur, in vivos, et non in mortuos» [8].

---

[1] Cfr. **Palmieri,** *Opus theol. mor.* **Ballerini,** *De indulgentiis*, n. 26 sqq.; et **Lehmkuhl,** *De sacr. poenitentiae*, n. 675.

[2] **Cajetanus,** *Opusc. de indulgentiis*, tr. 10, de suscipientibus indulgentiam, q. 1; **Tournely,** *De poenitentia*, q. ult., concl. 5; **Katschthaler,** *De poenit. sacr.*, n. 778.

[3] Cfr. **Suarez,** *De poenitentia*, disp. 52, sect. 9, n. 2; **Theodorus a Spiritu Sancto,** *De indulgentiis*, p. 1, c. 8, a. 3.

[4] *Prop.* 2; **Denz-Bannw.,** 762.

[5] *Inst.*, lib. 3, c. 5.

[6] *Prop.* 42; **Denz-Bannw.,** 1542.

[7] *Sess.* 25, *Decreto de purgatorio;* **Denz-Bannw.,** 983.

[8] *Suppl.*, q. 71, a. 10.

4) *Leo X* in Breve ad Card. Cajetanum expresse docet «Romanum Pontificem... concedere christifidelibus, qui caritate jungente membra sunt Christi, sive in hac vita sint, sive in purgatorio, indulgentias ex superabundantia meritorum Christi et sanctorum»; et tam vivos quam defunctos per indulgentias a poena temporali liberare [1].

605. THESIS II. **Indulgentiae applicantur et prosunt defunctis per modum suffragii.**

Thesis sic expressa est communis inter theologos:

1) *Codex Juris Canonici* expresse docet auctoritatem ecclesiasticam concedere indulgentias «pro vivis per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii» [2].

2) *Leo X* ad Card. Cajetanum scripsit hanc indulgentiam ad defunctos per modum suffragii transferri consuevisse [3].

Communis theologorum sententia hoc docet. Conferendi sunt *S. Thomas, S. Bonaventura*, et principes eorum commentatores [4].

606. Scholion. *Quomodo indulgentiae applicentur defunctis per modum suffragii.*

Quamvis omnes theologi catholici admittant indulgentias applicari defunctis per modum suffragii, non tamen est facile explicare, quomodo hoc fiat.

1) Rejicienda videtur sententia, quae dicit Summum Pontificem viventibus opera pia exercentibus facultatem conferre, ut partem thesauri Ecclesiae possint defunctis directe applicare, quia hoc supponeret fideles accepisse potestatem clavium, ut portionem thesauri Ecclesiae disponerent.

2) Cl. *Lugo* contendit «Pontificem non concedere immediate indulgentiam defuncto nec etiam viventi, sed solum ex thesauro Ecclesiae elevare opera pia fidelium viventium, ita ut non solum sint satisfactoria ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, si pro defuncto offerantur» [5].

Nulla tamen adest ratio, quae nos persuadeat hanc elevationem pii operis injuncti verificari. Imo adest fundamentum, quod nos evincit talem elevationem non esse necessariam. Si enim pia opera pro lucrandis indulgentiis vivorum non adipiscuntur vim influendi ex opere operato, a pari non est necessarium, ut hanc vim habeant in lucrandis indulgentiis pro defunctis. Non opera viventium sed satisfactiones Christi et sanctorum, quae ex thesauro Ecclesiae disponuntur, habent vim satisfactoriam.

3) Inspectis verbis, quibus indulgentiae pro defunctis concedi solent, et attenta doctrina Angelici Doctoris, qui adserit indulgentias

---

[1] Decretali *Per praesentes*.
[2] *Can.* 911.
[3] Decretali *Per praesentes*.
[4] **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 71, a. 10; et **S. Bonaventura,** *In IV Sent.*, dist. 20, p. 2, q. 5.
[5] *De sacramento poenitentiae*, disp. 27, sect. 5, n. 70

defunctis *indirecte* applicari [1], haec quaestio videtur explicanda sequenti modo:

Romanus Pontifex potestate utens clavium injungit pia opera viventibus, et pro his operibus haurit offertque Deo satisfactiones Christi et sanctorum ex thesauro Ecclesiae tanquam pretium et solutionem poenae, quam defuncti pati deberent in purgatorio. «Sicut ergo, ait ad rem *Card. Gotti*, cum quis dat eleemosynam vel jejunat pro defuncto, non absolvit eum a reatu poenae, sed offert illud opus Deo in satisfactionem pro illo; ita Pontifex non absolvit defunctorum animas a poena, sed offert Deo ex thesauro Ecclesiae satisfactiones communes, ut, eis acceptatis, liberentur. Ex quo apparet discrimen inter modum, quo Pontifex extendit indulgentiam ad defunctos, et modum, quo quilibet fidelis potest opera satisfactoria eis applicare. Nam hic opera tantum propria privata caritate dirigere ad defunctos potest, nulla jurisdictione sive auctoritate utens. Pontifex autem utitur potestate clavium, et auctoritate, non judiciaria, sed dispensatoria, quam habet in communem thesaurum» [2]. Actio fidelis, qua petitur liberatio defuncti est impetratoria, actio Pontificis, qua thesaurus Ecclesiae dispensatur et satisfactiones Deo offeruntur, ut pretium poenae defunctorum, est satisfactoria.

607. Scholion II. *An indulgentiae prosint defunctis infallibiliter.*

Plures iique graves theologi, ut *Suarez*, *Lugo* et alii [3], docent indulgentias per modum suffragii defunctis applicatas infallibili certitudine suum effectum sortire, atque defunctis prodesse. Juxta Sotum est magis pium hoc sentire [4].

Alii communius negant indulgentias per modum suffragii oblatas infallibiliter defunctis prodesse. Ita *Theodorus a Spiritu Sancto*, *Billuart*, *Lehmkuhl*, et alii [5]. Huic sententiae applicari possunt sequentia verba S. Thomae: «Retributio proportionalis pertinet ad justitiam commutativam, quando attenditur secundum debitum legale, puta si pacto firmetur, ut tantum pro tanto retribuatur; sed ad virtutem gratiae sive gratitudinis retributio pertinet, quae fit ex debito honestatis» [6]. In indulgentia autem pro defunctis, licet offerantur Deo satisfactiones Christi, quae solvunt totum debitum ad apicem juris, applicatio earum forte non regulatur virtute justitiae commutativae.

Caeterum prae oculis habenda sunt semper haec S. Augustini verba: «Eis (defunctis) haec prosunt, qui, cum viverent, ut haec sibi postea possent prodesse, meruerunt... Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam quispiam relevari vel gravari» [7].

---

[1] *Suppl.*, q. 71, a: 10.

[2] *De indulgentiis*, q. 3, dub. 4, § 3.

[3] **Suarez,** *De poenitentia*, disp. 53, sect. 3, n. 3 sq.; **Lugo,** *De sacramento poenitentiae*, disp. 27, n. 59.

[4] *In IV Sent.*, dist. 21, q. 2, a. 3 «Est tamen hic».

[5] **Theodorus a Spiritu Sancto,** *De indulgentiis*, p. 1, c. 14, a. 5; **Billuart,** *De indulgentiis*, diss. un., a. 6, petes 3; **Lehmkuhl,** *De sacramento poenitentiae*, n. 668.

[6] *II-II*, q. 106, a. 1 ad 2.

[7] *Enchiridion*, c. 110; ML **40,** 283.

SECTIO VI

QUAESTIO XXXVI

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS

ARTICULUS I

UTRUM EXTREMA UNCTIO SIT VERUM NOVAE LEGIS SACRAMENTUM

608. Status quaestionis. Nomen. Extrema unctio, quam graeci ευχελαιον (orationem cum oleo) et αγιονελαιον (oleum sanctum) vocant, apud latinos dicitur *oleum, oleum sanctum, unctio,* et generatim *extrema unctio,* quia sub finem vitae administratur.

Definitio. Extrema unctio definitur: *Sacramentum novae legis a Christo Domino institutum ad abstergendas reliquias peccatorum,* seu *ad conferendam aegroto periclitanti salutem animae et corporis per unctionem sacri olei et orationem praescriptam sacerdotis.*

609. Errores. 1) *Waldenses, wiclefitae* et *hussitae* videntur non tam inficiari sacramentum extremae unctionis, quam ejus susceptionem contemnere, ut colligere licet ex interrogatione 19 jussu Martini V proposita wiclefitis et hussitis [1].

2) *Lutherus* queritur. quod theologi catholici ritum unctionis infirmorum vocaverint *sacramentum extremum,* et ait: «Nusquam autem legitur in Evangelio unctionis istius extremae sacramentum» [2]. Vellet tantum eam numerari «inter ea sacramenta, quae nos constituimus, ut salis et aquae consecratio et aspersio» [3].

3) *Calvinus* audacius loquitur dicens: «Fictitium sacramentum est extrema unctio..., histrionica hypocrisis, qua citra rationem et sine fructu apostolos referre volunt (catholici)» [4].

4) *Hodierni protestantes,* exceptis ritualistis, negant extremam unctionem esse sacramentum.

5) *Modernistae* denique videntur negare extremam unctionem esse sacramentum, cum dicunt S. Jacobum non promulgasse aliquod sacramentum, sed commendasse tantummodo pium aliquem ungendi morem [5].

---

1 Bulla *Inter cunctas,* 22 Febr. 1418; **Denz-Bannw.,** 669.

2 *De capt. babyl.,* De sacram. extr. unctionis, «Huic ungendorum» et «Ego autem».

3 *De captivitate babyl.,* De sacr. extremae unctionis, «Igitur».

4 *Inst.,* lib. 4, c. 19, n. 18.

5 Decreto *Lamentabili,* prop. 48; **Denz-Bannw.,** 2048. Cfr. **Loisy,** *Autour d'un petit livre,* p. 251; et *Simples reflexions,* p. 93.

610. THESIS. **Extrema unctio est verum et proprie dictum novae legis sacramentum a Christo Domino institutum.** *Est de fide.*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* In Evangelio S. Marci legitur: *Et Exeuntes praedicabant, ut poenitentiam agerent: et daemonia multa ejiciebant, et ungebant oleo multos aegros, et sanabant* [1].

S. Jacobus expressius ait: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et, si in peccatis sit, remittentur ei* [2].

Lutherus adserit catholicos delirare, cum exsistentiam extremae unctionis ex hoc textu probare contendunt. Facile rem componere putat, dicendo epistolam S. Jacobi non esse authenticam, «nec apostolico spiritu dignam»; et, si est authentica, non referri ad hoc sacramentum. Arbitratur utramque unctionem relatam apud Marcum et apud Jacobum esse quemdam ritum ad modum sacramentalium [3].

Calvinus docet unctionem a S. Marco relatam et a S. Jacobo commendatam ejusdem rationis esse ac manuum impositionem [4].

Hoc tamen dicere nefas est. Concilium tridentinum sensum horum textuum expresse declaravit dicens: «Instituta est autem haec unctio infirmorum tanquam vere et proprie sacramentum novi testamenti a Christo Domino institutum, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem... fidelibus commendatum et promulgatum» [5].

Deinde addit concilium: «Quibus verbis, ut ex apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum et effectum hujus sacramenti» [6].

Pius X damnavit sequentem modernistarum propositionem: «Jacobus in sua epistola (5, 14 sq.) non intendit promulgare aliquod sacramentum Christi, sed commendare pium aliquem morem; et, si in hoc more forte cernit medium aliquod gratiae, id non accipit eo rigore, quo acceperunt theologi, qui notionem et numerum sacramentorum statuerunt» [7].

2) *Ex concilio tridentino.* Sancta synodus tridentina expresse rem declaravit et simul argumentum praecedens roboravit dicens: *Si quis dixerit extremam unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino nostro institutum, et a beato Jacobo Apostolo promulgatum* (Jac., 5, 14 sq.), *sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, a. s.* [8].

3) *Ex SS. Patribus.* Innumeri Patres, textui S. Jacobi innixi, extremam unctionem pro vero sacramento habuerunt.

Origenes: «In quo impletur et illud, quod Jacobus Apostolus dicit: *Si quis autem infirmatur, vocet presbyteros Ecclesiae, et imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et, si in peccatis fuerit, remittentur ei*» [9].

---

1 *Marc.*, 6, 12 sq.
2 *Jac.*, 5, 14-15.
3 *De capt. babyl.*, De s. extremae unctionis, «Ego autem» et «Quare».
4 *Inst.*, lib. 4, c. 19, n. 18.
5 *Sess.* 14, *De sacr. extremae unctionis*, c. 1; **Denz-Bannw.,** 908.
6 *Sess.* 14, *De sacr. extremae unctionis*, c. 1; **Denz-Bannw.,** 908.
7 Decreto *Lamentabili*, prop. 48; **Denz-Bannw.,** 2048.
8 *Sess.* 14, *Canones de extrem. unctione*, can. 1; **Denz-Bannw.,** 926.
9 *In Levit.*, hom. 2, n. 4; MG **12,** 419. **Journel,** 493.

S. Joannes Chrysostomus, extollens potestatem sacerdotum, ait: «Neque enim tantum, cum nos regenerant, sed etiam post regenerationem admissa peccata condonare possunt. Nam: *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis?* Advocet presbyteros Ecclesiae» [1].

S. Innocentius I ad Decentium scribebat: «Adjecit etiam filius meus Caelestinus diaconus in epistola sua esse a tua dilectione positum illud quod... conscriptum est: *Infirmatur quis...* Quod non est dubium de fidelibus aegrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quod ab episcopo confectum, non solum sacerdotibus, sed omnibus uti christianis licet, in sua aut suorum necessitate ungendum. Caeterum, illud superfluum videmus adjectum, ut de episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco presbyteris dictum est, quia episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Caeterum, si episcopus aut potest aut dignum ducit aliquem a se visitandum, et benedicere et tangere chrismate, sine cunctatione potest, cujus est ipsum chrisma conficere. Nam poenitentibus istud infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?» [2]. *S. Innocentius* hic sacrum oleum vocat chrisma lato sensu, sed ex contextu satis liquet sermonem esse de oleo infirmorum, tum quia loquitur de eundo «ad languidos», tum quia paulo superius egit de confirmatione administranda a solo episcopo, dum hic munus ungendi tribuit presbyteris.

4) *In antiquis Patrum Sacramentariis* inveniuntur formulae consecrationis oleorum pro infirmis [3]. *Ritualia* item *latinorum et euchologia. graecorum vetustissima* continent ritum administrandi hoc sacramentum [4].

5) *Ex consensu ecclesiarum dissidentium.* Animadvertunt periti in omnibus ecclesiis dissidentibus acceptum fuisse, imo in plerisque hodie vigere, sacramentum extremae unctionis. Soli nestoriani et armeni dicuntur illud reliquisse, quamvis in suis libris ritualibus modum administrandi retineant [5].

6) *Ratio suadet.* Christus enim instituit sacramenta pro diversis vitae necessitatibus. In fine autem vitae, quando diabolus «omnes suae versutiae nervos intendit ad perdendos nos penitus et a fiducia divinae misericordiae deturbandos» [6], major est necessitas auxilii spiritualis. Unde conveniens fuit, ut pro aegrotantibus speciale sacramentum institueretur.

611. Scholion I. *De institutione sacramenti extremae unctionis.* Refert Angelicus opinionem quorumdam, qui «dicunt, quod sacramentum istud et confirmationis Christus non instituit per se, sed apostolis instituendum dimisit» [7]. Ita sensisse videntur *Hugo a S. Victore*, *Petrus*

---

1 *De sacerdotio*, lib. 3, n. 6; MG **48,** 644; **Journel,** 1120.

2 *Ep.* 25 *ad Decentium*, n. 8; ML **20,** 559.

3 Cfr. *Sacramentarium Serapionis*, saec. IV, apud **Funk,** *Didascalia*, II, 192 sq.; **Journel,** 1241.

4 Cfr. *Sacramentarium S. Gregorii M.*, apud ML **78,** 82, 233; et *Euchologium graecorum*, apud **Goar,** *Euchol.*, p. 408 sqq.

5 Cfr. **Denzinger,** *Rit. orient.*, II, 483 sqq.

6 *Concil. trid.*, sess. 14, *De sacram. extremae unctionis*, Introd.

7 *Suppl.*, q. 29, a. 3. **De Sainte Beuve** merito statuit exsistentiam sacramenti

Lombardus, S. Bonaventura, et alii [1]. Haec opinio ante concilium tridentinum excusanda erat, post concilium tridentinum reprobanda est ut erronea, quidquid in contrarium dixerit *De Sainte Beuve* [2].

Hodie certum est hoc sacramentum fuisse a Christo Domino immediate institutum, tum quia concilium tridentinum declaravit omnia sacramenta fuisse a Christo instituta [3], tum etiam quia docuit extremam unctionem fuisse a Christo Domino nostro institutam, et a beato Jacobo apostolo promulgatam [4].

612. Scholion II. *Quandonam fuerit hoc sacramentum institutum.* Nonnulli docent Christum in vita instituisse sacramentum extremae unctionis, quando scilicet apud Marcum vocavit duodecim et *coepit eos mittere binos* (in Galilaeam), *et dabat illis potestatem spirituum immundorum.* Discipuli hac potestate instructi *ungebant oleo aegros et sanabant* [5]. Ita *Maldonatus, Sainte Beuve,* et alii pauci [6].

Alii multo communius et probabilius censent Christum instituisse hoc sacramentum post resurrectionem, quando per quadraginta dies versatus est cum apostolis. Ita *Salmanticenses morales,* aliique plures [7].

Extrema unctio est quasi complementum poenitentiae, et oportuit, ut institueretur post poenitentiam, quae instituta dicitur post resurrectionem apud Joannem 20, 22-23.

ARTICULUS II

DE EXTREMAE UNCTIONIS PARTIBUS

613. Partes sacramentorum dicuntur materia et forma. De materia igitur et forma sacramenti extremae unctionis agendum est.

I. *Materia remota sacramenti extremae unctionis est oleum olivarum ab episcopo benedictum.*

1) *Oleum olivarum.* S. Jacobus, qui hoc sacramentum promulgavit et commendavit, certe ejus materiam nominavit his verbis: *Ungentes eum oleo* [8]. «Oleum, ut ait *S. Thomas,* principaliter nominatur olivae liquor, cum alii liquores solum ex similitudine ad ipsum olei nomen accipiant» [9].

Concilium florentinum nominavit quintum sacramentum extremam unctionem, «cujus materia est oleum olivae per episcopum benedi-

---

extremae unctionis probari ex S. Scriptura et traditione, et testimonia late et docte expendit. *De Sacramento unctionis infirmorum extremae,* disp. 2, a. 2 sqq. **(Migne,** *Cursus c. th.,* t. 24, p. 24 sqq.)

[1] **Hugo a S. Victore,** *Sent.,* tr. 6, c. 15; ML **176,** 153; **Petrus Lombardus,** *IV Sent.,* dist. 23, n. 2; ML **192,** 899; **S. Bonaventura,** *In IV Sent.,* dist. 23, q. 2.

[2] *De extrema unctione,* disp. 1, a. 2. **(Migne,** *Cursus c. th.,* 24, p. 15.)

[3] *Sess.* 7, can. 1; **Denz-Bannw.,** 844.

[4] *Sess.* 14, *De sacram. extr. unctionis,* can. 1; **Denz-Bannw.,** 926.

[5] *Marc.,* 6, 7-13.

[6] **Maldonatus,** *Comment. in Marcum,* 6, 13; **Sainte Beuve,** *De extrema unctione,* disp. 2, a. 1.

[7] **Salmanticenses morales,** *De sacramento extremae unctionis,* c. 1, p. 1.

[8] *Jacobi,* 4, 14.

[9] *Suppl.,* q. 29, a. 4.

ctum» [1]; et Ecclesia juxta concilium tridentinum intellexit hujus salutaris sacramenti «materiam esse oleum ab episcopo benedictum» [2].

Convenientiam hujus materiae adsignat Angelicus his verbis: «Spiritualis sanatio, quae in fine adhibetur, debet esse *perfecta*, quia post eam alia non relinquitur; et *lenis*, ut spes, quae exeuntibus est maxime necessaria, non frangatur, sed foveatur. Oleum autem lenitivum est, et penetrativum usque ad intima, et etiam diffusivum. Et ideo quantum ad utrumque praedictorum est conveniens materia hujus sacramenti» [3].

Aliam convenientiam petit Catechismus Romanus ex effectu olei. «Aptissime, inquit, haec materia illud significat, quod vi sacramenti interius in anima efficitur; nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit, ita sacramenti virtus animae tristitiam ac dolorem minuit. Oleum praeterea sanitatem restituit, hilaritatem affert, et luminis tanquam pabulum praebet; tum ad recreandas defatigati corporis vires maxime accommodatum est. Quae omnia, quid in aegroto divina virtute per hujusmodi sacramenti administrationem efficiatur, declarant» [4].

2) *Ab episcopo benedictum* [5].

Hoc esse de necessitate praecepti nemo dubitat, quia exstat Ecclesiae praeceptum.

Oleum ab episcopo benedictum requiri *ad validitatem hujus sacramenti* probant sequentia.

a) *Innocentius I*, *Eugenius IV* et concilium tridentinum expresse requirunt oleum ab episcopo benedictum [6].

b) *Paulus V* in congregatione generali declaravit propositionem, quae docebat sacramentum extremae unctionis oleo episcopali benedictione non consecrato ministrari valide «posse, esse temerariam et erroni proximam» [7]. Item *Gregorius XVI* ad dubium: «An in casu necessitatis parochus ad validitatem sacramenti extremae unctionis uti possit oleo a se benedicto, respondit: Negative» [8]. *Pius IX* die 12 Jan. 1850 idem declarasse dicitur etiam pro casu, quo moribundus in extrema necessitate reperiatur sensibus destitutus [9].

In his declarationibus certe agitur de validitate sacramenti, quia in extrema necessitate non obligaret praeceptum Ecclesiae.

c) Potest tamen simplex sacerdos ex commissione Summi Pontificis oleum ad conferendam extremam unctionem benedicere. Ita pro

---

[1] *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 700.

[2] *Sess.* 14, *De sacram. extrem. unctionis*, c. 1; **Denz-Bannw.,** 908.

[3] *Suppl.*, q. 29, a. 4.

[4] *Part.* 2, c. 6, n. 5.

[5] **Calvinus** de hoc sic scripsit: «Isti (romani) oleum non dignantur adhibere nisi ab episcopo consecratum; hoc est, multo halitu calefactum, multo murmure incantatum, et novies flexo genu salutatum». *Inst.*, lib. 4, c. 19, n. 21.

[6] **Innocentius I,** *Ep.* 25 *ad Decentium*, n. 8; **Denz-Bannw.,** 99; **Eugenius IV,** *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 700; *Concilium tridentinum*, sess. 14, *De sacramento extrem. unctionis*, c. 2; **Denz-Bannw.,** 909.

[7] *Ex decreto S. Off. sub Paulo V*, 13 Jan. 1611; **Denz-Bannw.,** 1628.

[8] *Ex decreto S. Off. sub Gregorio XVI*, 14 Sept. 1842; **Denz-Bannw.,** 1629.

[9] *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 41. Cfr. **Scavini,** vol. 3, n. 409.

[10] *Instr. pro italis graecis.* Bullar. Rom., 10, p. 212 (ed. Taur.).

graecis italis declaraverunt *Clemens VIII* [1] et *Benedictus XIV* [1]; et cuilibet sacerdoti posse hanc facultatem a Romano Pontifice delegari expresse defendit *Benedictus XIV* [2].

Codex Juris Canonici supponit hanc doctrinam esse certam, cum statuit oleum olivarum in sacramento extremae unctionis debere esse ad hoc benedictum ab episcopo vel a presbytero, qui facultatem illud benedicendi a Sede Apostolica obtinuerit [3].

d) Dubitant auctores, an oleum debeat esse benedictum *in ordine ad extremam unctionem*, vel ad validitatem sufficiat aliud oleum ab episcopo benedictum, v. gr., chrisma vel oleum catechumenorum. Alii affirmant, alii negant. Utramque sententiam *S. Alphonsus* vocat probabilem [4], sed merito putat *Lehmkuhl* olea non benedicta in ordine ad extremam unctionem esse materiam dubiam, et citra necessitatem adhiberi non posse. Quare *Codex Juris Canonici* dicit oleum in hoc sacramento adhibendum debere esse *ad hoc benedictum* ab episcopo [5].

614. II. *Materia proxima hujus sacramenti est unctio corporis aegrotantis.*

1) Ratio in promptu est. Materia enim proxima sacramentorum, quae non consistunt in re permanenti, consistit in usu seu applicatione materiae remotae. Unde applicatio olei seu «unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur, repraesentat» [6].

2) *Septem unctiones* praescribuntur in Rituali Romano [7] et in concilio florentino [8], scilicet: *ad oculos*, *ad aures*, *ad nares*, *ad os*, *ad manus*, *ad pedes* et *ad renes*, ut remittatur, quidquid per haec membra delictum est; sed hodie «unctio renum semper omittitur» et «unctio pedum ex qualibet rationabili causa omitti potest» [9].

3) Quinque ergo unctiones sub crucis forma peragendae sunt sub praescripta formula, ut peccata per quinque sensus vel quomodolibet commissa indulgeat Dominus [10].

4) Disputarunt antiqui, an quinque unctiones in totidem partibus designatis fieri debeant de necessitate sacramenti vel sufficiat unica unctio ad validitatem. Quinque unctiones ad valorem sacramenti requirunt *Sotus*, *Salmanticenses morales*, *S. Alphonsus*, et alii [11].

Hodie tamen certum est ad valorem sacramenti non requiri nisi unicam unctionem. In decreto S. Officii, 25 Aprilis 1906, declaratur «in casu necessitatis sufficere formam: *Per istam sanctam unctionem indul-*

---

1 Bulla *Etsi Pastoralis*, 26 Maji 1742.
2 *De synodo dioecesana*, lib. 8, c. 1, n. 4.
3 *Can.* 945.
4 *Lib.* 6, n. 709.
5 *Can.* 945.
6 *Conc. trid.*, sess. 14, *De sacr. extrem. unct.*, c. 1; **Denz-Bannw.,** 700.
7 *Tit.* 5, c. 2, n. 9.
8 *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 700.
9 *Codex Juris Canonici*, can. 947, § 2 et 3.
10 **Simeon Thessalonicensis** adserit sacerdotem in hoc sacramento ungere frontem, faciem, et manus. *De S. Euchelaeo*, c. 290; MG **155,** 527.
11 **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 23, q. 2, a. 3; **Salmanticenses morales,** *De sacramento extrem. unct.*, c. 2, p. 3; **S. Alphonsus,** lib. 6, n. 710.

geat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen» [1]. Haec verba supponunt unicam fieri unctionem. Deinde *Codex Juris Canonici* statuit: «In casu autem necessitatis sufficit unctio in uno sensu seu rectius in fronte cum praescripta forma breviore, salva obligatione singulas unctiones supplendi cessante periculo» [2].

Quando *Codex Juris Canonici* disponit extra casum gravis necessitatis unctiones fieri oportere manu, nullo adhibito instrumento [3], confirmare videtur doctrinam Sylvii, Salmanticensium et Scavini [4], qui defendunt ad valorem sacramenti non pertinere, quod unctiones manu immediata sacerdotis fiant.

615. III. *Forma extremae unctionis est oratio, quam sacerdos inter ungendum pronuntiat, et quae effectum sacramenti exprimit.*

1) Forma latina hodierna in Rituali Romano continetur his verbis: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum (auditum, odoratum, gustum et locutionem, tactum) deliquisti* [5].

Forma graecorum sic exprimitur: *Pater sancte, animarum et corporum medice, qui Filium tuum unigenitum, Dominum nostrum Jesum Christum, omnem morbum curantem et ex morte nos liberantem misisti, sana quoque servum tuum N. a detinente illum corporis infirmitate, et vivifica illum per Christi tui gratiam* (pronuntiantur beatissimae Virginis Mariae et plurium sanctorum nomina) *et omnium sanctorum. Amen* [6].

2) Ex hac formarum varietate deducitur Christum Dominum non determinasse formam hujus sacramenti *in specie infima*, sed adsignasse in genere precationem, quae significaret effectum hujus sacramenti, et Ecclesiae reliquisse facultatem eligendi verba in specie infima.

3) Omnes fere formae in Ecclesia latina et graeca usitatae sunt *deprecativae*, non *indicativae*, sed disputatur, an ad valorem sacramenti requiratur, ut forma sit deprecativa.

a) Plures defendunt formam hujus sacramenti in modo indicativo esse validam, quia variae formae ab Ecclesia approbatae sunt revera indicativae, ut illa, quae praescribitur in *Sacramentario veneto* a Leone X approbato: «Ungo te oleo sancto, ut hac unctione protectus fortiter stare valeas adversus aereas catervas in nomine Patris...» [7]. Ita *Durandus*, *Tournely*, *Estius*, *Becanus*, et alii [8].

b) Alii plures verbis S. Jacobi et consuetudini Ecclesiae innixi putant esse de necessitate sacramenti, ut forma extremae unctionis ex-

---

[1] **Denz-Bannw.**, 1996.

[2] *Codex Juris Canonici*, can. 947, § 1.

[3] *Codex Juris Canonici*, can. 947, § 7.

[4] **Sylvius,** *In Suppl.*, q. 32, a. 3; **Salmanticenses,** *De sacr. extrem. unctionis*, c. 2, n. 16; **Scavini,** vol. 3, n. 411.

[5] Non sunt omnia verba necessaria ad valorem sacramenti. Adest obligatio recitandi omnia, sed ad validitatem sufficeret dicere: *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti. Amen;* ut pro casu necessitatis declaravit S. Congregatio S. Officii, 25 Aprilis 1906; *Acta S. Sedis*, vol. 39, p. 273.

[6] **Goar,** *Euchol.*, p. 417.

[7] Aliam formam huic similem ex ecclesia mediolanensi affert **S. Bonaventura,** *In IV Sent.*, dist. 23, a. 1, q. 4.

[8] **Durandus,** *In IV Sent.*, dist. 23, q. 3; **Tournely,** *De extrem. unctione*, q. 2, a. 2, Dico 1; **Estius,** *In IV Sent.*, dist. 23, § 10; **Becanus,** *De sacramentis*, c. 27, q. 4.

primatur modo deprecativo. Ita *Suarez, Valentia, Salmanticenses morales, Billuart,* et alii [1].

Haec cum ita sint, et in Ecclesia latina aliquando adhibitae fuerint formae indicativae, exsistimo formam hujus sacramenti debere esse deprecatoriam, sed nihil obstare, quominus aliquando grammaticaliter sit indicativa, dummodo quoad sensum sit deprecatoria.

4) Quamvis in administratione hujus sacramenti plures adhibeantur unctiones et formae, extrema unctio est unum sacramentum, et omnes unctiones ac formae coeunt ad unum. Dubitatur tamen, an singulae unctiones et formae producant gratias partiales, vel unam tantum gratiam efficiant. Dicendum mihi videtur varias unctiones et formas sacramentales unum sacramentum efficere, et per hoc sacramentum unam gratiam eamque cum ultima unctione et forma, quando sacramentum fuerit completum, produci. «Quando sunt, ait *S. Thomas*, multae actiones ordinatae ad effectum unum, ultima est formalis respectu omnium praecedentium, et agit in virtute earum, et ideo in ultima unctione gratia infunditur, quae effectum sacramenti praebet» [2].

ARTICULUS III

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS

616. Effectus sacramenti extremae unctionis sunt: 1) Gratia sanctificans connotans auxilia specialia ad abstergendas reliquias peccatorum; 2) remissio peccatorum, si quae sint in anima; et 3) sanatio corporis interdum, ubi saluti animae expedierit. De singulis hic pauca.

I. *Gratia sanctificans connotans auxilia specialia ad abstergendas reliquias peccatorum.*

1) Disputatum est aliquando inter theologos, an effectus principalis hujus sacramenti sit remissio peccatorum venialium, ut exsistimant *S. Bonaventura, Scotus, Estius,* et alii [3]; an remissio omnium peccatorum tum venialium tum mortalium, ut censent *Bellarminus, Tournely* et alii [4]; an vero augmentum gratiae sanctificantis sanantis aegrotum a reliquiis peccatorum, et alleviantis seu corroborantis ipsum contra morbi molestias ac diaboli tentationes, ut defendunt *S. Thomas, Sotus, Suarez, Salmanticenses, Billuart, Ballerini,* et alii multi [5].

Haec S. Thomae thomistarumque sententia videtur omnino probanda, tum quia duo sacramenta adsunt, scilicet baptismus et poenitentia,

---

[1] **Suarez,** *De sacramentis,* disp. 40, sect. 3, n. 7; **Valentia,** *In III p.,* disp. 8, q. 1, p. 2; **Salmanticenses,** *De extrem. unctione,* c. 2, p. 4; **Billuart,** *De extrema unctione,* diss. un., a. 3.

[2] *Suppl.,* q. 30, a. 1 ad 3; Cfr. **Salm.,** *De s. extr. unct.,* c. 3, p. 2, n. 8.

[3] **S. Bonaventura,** *In IV Sent.,* dist. 23, a. 1, q. 1; **Scotus,** *In IV Sent.,* dist. 23, q. un.; **Estius,** *In IV Sent.,* dist. 23, § 4.

[4] **Bellarminus,** *De extr. unct.,* c. 8; **Tournely,** *De extrema unct.,* q. ult., a. 1.

[5] **S. Thomas,** *Suppl.,* q. 30, a. 1; **Sotus,** *In IV Sent.,* dist. 23, q. 1, a. 2; **Suarez,** *De sacramentis,* disp. 41, sect. 1, n. 14; **Salmanticenses,** *De s. extrem. unctionis,* c. 3, p. 1; **Billuart,** *De extrema unctione,* diss. un., a. 4; **Ballerini,** *Opus theol. morale, De extrema unctione,* nn. 4 sqq.

quae ex primaria institutione remittunt peccatum originale et peccata personalia, tum etiam quia ex verbis S. Jacobi supponitur subjectum hujus sacramenti esse sanctificatum et in eo primario produci augmentum gratiae, et secundario, «si in peccatis sit», id est, «si quae sint adhuc expianda» [1], remitti peccata.

2) Primario igitur extrema unctio producit augmentum gratiae sanctificantis in anima. Est enim sacramentum vivorum, cui competit gratiam conferre. Concilium tridentinum hoc declaravit dicens: «Res etenim haec (hujus sacramenti) gratia est Spiritus Sancti» [2]. *Si quis dixerit sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam... a. s.* [3].

3) Haec gratia, quatenus est sacramentalis, datur animae per modum medicinae, non praecise ad tollendum ipsum peccatum, sed «ad sanandam infirmitatem peccati» [4] et abstergendas ejus reliquias. «Sicut autem corporalis medicatio praesupponit corporalem vitam in medicato, ita spiritualis spiritualem» [5]. Ex quo sequitur hoc sacramentum supponere per se animam in gratia saltem exsistimata, et primario producere augmentum gratiae, quae, ut sacramentalis est, ordinatur ad sanandum aegrotum a reliquiis peccatorum. «Reliquiae autem peccati non dicuntur hic dispositiones ex actibus relictae, quae sunt quidam habitus inchoati, sed *quaedam spiritualis debilitas in ipsa mente exsistens*» [6]. «Ideo hoc sacramentum non datur contra defectus, quibus spiritualis vita tollitur, scilicet contra peccatum originale vel mortale, sed contra illos defectus, quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitae gratiae vel gloriae; et hic defectus nihil aliud est quam quaedam debilitas et ineptitudo, quae in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali, et contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc sacramentum» [7].

Merito ergo concilium florentinum adserit effectum hujus sacramenti esse «sanationem mentis» [8], et *S. Thomas* docet extremam unctionem esse institutam «ad reliquias peccatorum tollendas», id est, ad augendam gratiam sanctificantem, sanantem ac roborantem mentem debilitatam ex reliquiis peccatorum.

617. II. *Remittit peccata tum mortalia tum venialia.*

S. Jacobus in textu supra adlegato addit: *Et, si in peccatis sit, remittentur ei* [9]. Unde concilium tridentinum damnat eos, qui negant sacram unctionem non remittere peccata [10].

Modum hujus remissionis egregie explicat *S. Thomas* dicens: «Hoc robur gratia facit, quae secum non compatitur peccatum, ideo *ex consequenti*, si invenit peccatum aliquod, vel mortale vel veniale, quoad

---

1 *Conc. trid.*, sess. 14, *De sacr. extr. unct.*, c. 2; **Denz-Bannw.**, 909.
2 *Sess.* 14, c. 2; **Denz-Bannw.**, 909.
3 *Sess.* 14, *Canones de extr. unctione*, can. 2; **Denz-Bannw.**, 927.
4 **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 30, a. 1.
5 **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 30, a. 1.
6 **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 30, a. 1.
7 **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 30, a. 1.
8 *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.**, 700.
9 *Jacobi*, 5, 15.
10 *Sess.* 14, *Canones de extrema unctione*, can. 2; **Denz-Bannw.**, 927.

culpam tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis, sicut etiam de eucharistia et confirmatione supra dictum est» [1].

Remissio igitur peccati est effectus per se, non per accidens, extremae unctionis, secundarius tamen et *ex consequenti*.

Remissio peccati mortalis per extremam unctionem habet locum, ubi aegrotus peccato mortali obstrictus, vel bona fide credens se esse in gratia, vel hic et nunc se confiteri aut contritionem ob sensuum destitutionem emittere non valens, suscipit hoc sacramentum cum attritione supernaturali. Ita dicitur aegrotus non ponere obicem.

Peccata quoque venialia remittit, ubi adest poenitentia saltem virtualis.

618. III. *Poenas quoque temporales pro peccatis debitas diminuit vel etiam remittit.*

Hoc sacramentum immediate hominem ad gloriam disponit [2]. Ergo removet poenas, quae sunt impedimenta ad gloriam.

619. IV. *Sanitatem corporis restituit, si saluti animae expedierit.*

S. Jacobus apostolus id satis aperte expressit dicens: *Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus* [3].

Concilium florentinum ait: «Effectus (extremae unctionis) est mentis sanatio, et, in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis» [4].

Concilium tridentinum: «Infirmus... sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur» [5].

Sanatio corporis est quidem effectus per se, non per accidens, extremae unctionis, sed, utpote conditionatus, est secundarius.

Non est licitum fidelibus hoc sacramentum ad finem usque vitae differre, sed debent, aegroti quando sunt in periculo mortis, quamprimum plena cognitione et devotionis affectu suscipere, ut gratiam sanantem recipiant, et, si expedierit, salutem corporis recuperent.

ARTICULUS IV

QUIS SIT MINISTER SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS

Agimus hic de causa efficiente sacramenti extremae unctionis.

620. Error. *Novatores* nullum non movent lapidem, ut hoc sacramentum invalident. *Lutherus* exponens textum S. Jacobi, in quo dicitur inducendos esse ad infirmum presbyteros Ecclesiae, ait: «Incertum est mihi, an sacerdotes velit intelligi, cum dicat presbyteros, id est, seniores» [6].

621. THESIS I. **Solus sacerdos est minister sacramenti extremae unctionis.** *De fide.*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* S. Jacobus expresse designat ministrum hujus sacramenti, cum ait: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyte-*

---

[1] *Suppl.*, q. 30, a. 1.
[2] **S. Thomas,** *In IV Sent.*, dist. 23, q. 1, a. 1, sol. 1 ad 2.
[3] *Jacobi*, 5, 15.
[4] *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 700.
[5] *Sess.* 14, *De extrema unctione*, c. 2; **Denz-Bannw.,** 909.
[6] *De capt. babyl. Ecclesiae*, De sacr. extr. unctionis, «Contingit».

ros Ecclesiae [1]. Presbyteri autem in S. Scriptura sunt sacerdotes, ut patet ex *I Tim.*, 5, 17 sq. Ergo.

2) *Concilium tridentinum* definit hanc doctrinam, et simul explicat sensum Scripturae dicens: *Si quis dixerit presbyteros Ecclesiae, quos beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum ungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate; ob idque proprium extremae unctionis ministrum non esse solum sacerdotem, a. s.* [2].

3) *Ex SS. Patribus. S. Joannes Chrysostomus:* «Neque enim tantum, cum nos regenerant (sacerdotes), sed etiam post regenerationem admissa peccata condonare possunt. Nam, *infirmatur*, inquit, *quis in vobis?*» [3].

4) *Ex ratione.* Extrema unctio est complementum sacramenti poenitentiae. Unde, sicut solus sacerdos, exclusis omnino laicis, potest administrare sacramentum poenitentiae, ita pariter solus sacerdos potest extremam unctionem conferre.

Corollarium. Quilibet sacerdos, etiam excommunicatus, potest extremam unctionem aegrotis valide conferre, quia ad validitatem non requiritur in ministro jurisdictio. *Codex Juris Canonici* ait ad rem: «Hoc sacramentum valide administrat omnis et solus sacerdos» [4].

622. Scholion. *Quot sacerdotes requirantur in administranda extrema unctione.*

1) Dicitur in Ecclesia latina aliquando adhibitos fuisse plures sacerdotes in administranda extrema unctione [5], sed hodie generatim unus tantummodo, quamvis alii sint praesentes, omnia perficit.

In Ecclesia graeca secundum Goarium [6], et in caeteris ecclesiis orientalibus juxta Denzinger [7], plures simul administrant extremam unctionem.

2) *Unus sacerdos sufficit ad administrandum hoc sacramentum.* Ad rem *Alexander III:* «Nos igitur tibi taliter duximus respondendum, quod sacerdos, uno praesente clerico, et etiam solus potest infirmum ungere» [8]. Vocabulum igitur *presbyteros* apud S. Jacobum non jubet plures adesse, sed perinde significat ac: «vocet aliquem ex presbyteris». Unde *Angelicus Doctor:* «Si tamen unus solus presbyter adsit, intelligitur hoc sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiae, cujus minister exsistit, et cujus personam gerit» [9]. Debet tamen, si potest, ministrum adhibere.

3) Circa administrationem extremae unctionis per plures sacerdotes distinguendum est:

a) *Si unus sacerdos materiam applicat et alter formam pronuntiat,*

---

1 *Jacobi*, 5, 14.
2 *Sess.* 14, *De extr. unct.*, can. 4; **Denz-Bannw.,** 929.
3 *De sacerdotio*, lib. 3, n. 6; MG **48,** 644; **Journel,** 1120.
4 *Can.* 938, § 1.
5 Cfr. **Martène,** *De antiq. rit.*, lib. 1, c. 7, a. 3, n. 3.
6 **Goar,** *Euchologium.*
7 **Denzinger,** *Rit. orient.*, 1, 188.
8 *Decret.*, lib. 5, tit. 40, c. 14.
9 *Contra Gent.*, lib. 4, c. 73.

ut aliquando factum esse adserit Martène [1], sacramentum est invalidum [2].

b) *Si unus unam partem ungat cum sua forma, et alter aliam partem cum sua forma*, sacramentum valide administratur. Ita *S. Thomas, Salmanticenses, S. Alphonsus, Pesch*, et alii [3].

c) *Si plures sacerdotes simul applicant materiam et pronuntiant formam*, valide administrant sacramentum. Hoc pariter contingit in sacrificio missae, in quo neosacerdotes simul cum episcopo consecrant eucharistiam.

623. THESIS II. **Soli pastores, id est, episcopus vel parochus, jurisdictionem ordinariam habentes, vel eorum delegati, possunt licite suis subditis administrare sacramentum extremae unctionis.**

In Codice Juris Canonici declaratur: «Minister ordinarius est parochus loci, in quo degit infirmus; in casu autem necessitatis vel de licentia saltem rationabiliter praesumpta ejusdem parochi vel Ordinarii loci, alius quilibet sacerdos hoc sacramentum ministrare potest» [4].

Quoad obligationem hoc iterum disponit *Codex Juris Canonici:* «Minister ordinarius ex justitia tenetur hoc sacramentum per se ipse vel per alium administrare, et in casu necessitatis ex caritate quilibet sacerdos» [5].

ARTICULUS V

DE SUBJECTO EXTREMAE UNCTIONIS

624. THESIS. **Subjectum extremae unctionis est homo baptizatus, adultus, periculose aegrotans.**

1) *Baptizatus.* Baptismus quippe est janua Ecclesiae. Qui per eam ingrediuntur, fiunt membra Ecclesiae, capaces suscipiendi sacramenta. Qui nondum est baptizatus, nullum sacramentum suscipere potest.

2) *Adultus.* Forma siquidem hujus sacramenti non competit pueris usu rationis carentibus, quia non peccaverunt per visum, auditum, etcetera.

Praeterea, hoc sacramentum «non datur contra reliquias originalis peccati, nisi secundum quod sunt per actualia peccata quodammodo confortatae. Unde principaliter contra actualia peccata datur (ut ex ipsa forma patet), quae non sunt in pueris» [6].

Ex hoc deducimus beatam Virginem Mariam non suscepisse nec potuisse valide suscipere extremam unctionem.

---

[1] *De antiq. rit.*, lib. 1, c. 7, a. 3, n. 4.

[2] Cfr. **Salmanticenses,** *De extr. unct.*, c. 5, n. 6; **S. Alphonsus,** lib. 6, n. 724.

[3] **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 29, a. 2 ad 3; **Salmant.,** *De extr. unct.*, c. 5, n. 6; **S. Alphonsus,** lib. 6, n. 724; **Pesch,** *De sacramentis*, n. 560.

[4] *Codex Juris Canonici*, can. 938, § 2.

[5] *Can.* 939.

[6] **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 32, a. 4 ad 2.

Pari etiam ratione adultus, qui nunquam mortaliter vel venialiter peccavit, quamvis sit capax peccati, non videtur esse subjectum hujus sacramenti, quidquid in contrarium dicant *Suarez*, *Pesch*, et alii [1], quia non habet reliquias peccati actualis [2].

Perpetuo amentes aequiparandi sunt pueris, et non possunt suscipere extremam unctionem.

Amentes vero baptizati, qui aliquando intervalla lucida habuerunt, possunt et debent ungi.

3) *Periculose aegrotans.* a) Extremam unctionem non esse administrandam nisi aegrotantibus satis innuit *S. Jacobus* his verbis: *Infirmatur quis in vobis?... Salvabit infirmum* [3]. Unde materia hujus sacramenti vocari consuevit *oleum infirmorum.*

«Declaratur etiam, ait ad rem concilium tridentinum, esse hanc unctionem *infirmis* adhibendam, illis vero praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur, unde et sacramentum exeuntium nuncupatur» [4].

Soli igitur graviter aegrotantes possunt valide suscipere hoc sacramentum.

b) Quaelibet periculosa infirmitas constituit aegrotum in statu suscipiendi valide et licite extremam unctionem. Mulieribus laborantibus in partu, non quidem in doloribus communibus, sed ubi in periculoso partu in infirmitatem inciderint, administranda est, quia graviter aegrotant [5].

c) Quamvis non facile determinentur gradus infirmitatis, ut aegrotus dicatur esse in periculo mortis, sufficit parocho prudens aestimatio de periculo mortis aegroti, ut administret sacramentum. Post administratum viaticum aderit semper hujusmodi prudens aestimatio [6].

d) Capite damnati, milites in pugna, aliique cuncti, qui infirmitate non laborant, sed causis extrinsecis sunt morti propinqui, nequeunt valide suscipere extremam unctionem, quia non sunt infirmi [7]. E contra, qui, suscepto vulnere in bello aut in rixa, vel hausto veneno, vel etiam senio confecti, sunt morti proximi, possunt ungi, quia sunt vere infirmi [8].

e) In ecclesia graeca non solum infirmi sed etiam sani oleo sancto unguntur, ut *Goar*, *Leo Allatius* et alii testantur [9].

Aliqui dicunt hanc praxim apud graecos considerari ut sacramentale quoddam non ut sacramentum.

Alii verius contendunt graecos in hac parte errare circa subjectum extremae unctionis, putantes verum sacramentum conferri bene valen-

---

[1] **Suarez,** *De sacr.*, disp. 42, sect. 2, n. 8; **Pesch,** *De sacr. extr. unct.*, n. 549.

[2] Haec quaestio non solvitur ex decreto S. C. propagandae fidei, quo declaratur paganum immediate post baptismum, si graviter aegrotet, ungendum esse. Paganus in hoc casu ungendus est, quia supponitur commisisse peccata actualia.

[3] *Jacobi*, 5, 14 sq.

[4] *Sess.* 14, *De extrema unctione*, c. 3; **Denz-Bannw.,** 910.

[5] Cfr. **S. Alphonsus,** lib. 6, n. 713.

[6] Cfr. **S. Alphonsus,** lib. 6, n. 714.

[7] Cfr. **Salmanticenses,** *De extrema unctione*, c. 4, n. 6.

[8] Cfr. **Pesch,** *De sacramento extremae unctionis*, n. 553.

[9] **Goar,** *Euchologium*, p. 412; **Leo Allatius,** *De Ecclesiae occidentalis et orientalis perpetua consensione*, lib. 3, c. 16, n. 3.

tibus [1]. Revera censemus contra Sainte Beuve [2] invalide apud graecos administrari sanis extremam unctionem.

625. Corollarium. Ad licite fructuoseque recipiendum sacramentum extremae unctionis, requiritur:

1) *Status gratiae* saltem per contritionem perfectam habitus. «Impoenitentibus vero, ait *Rituale romanum*, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, et excommunicatis, et nondum baptizatis, penitus denegetur» [3]. Qui sola contritione praeparatur ad extremam unctionem, habet obligationem se confitendi, et melius faceret praemittere confessionem, sed contritus potest prius inungi et deinde confiteri.

Potest tamen aliquando contingere, ut aegrotus sola attritione supernaturali suscipiat fructuose hoc sacramentum. Qui enim credit se esse contritum, cum non sit nisi attritus, et qui praemissa attritione supernaturali sensibus destituuntur, si suscipiant extremam unctionem, iustificantur per hoc sacramentum.

2) *Voluntas aliqua suscipiendi sacramentum.* In iis, qui sensibus destituuntur, sufficit voluntas interpretativa. Unde «excludi non debent ab extrema unctione: a) Si sensibus destituti reperiuntur, etsi parum christiane vixerint; b) neque, si in ipso actu peccati, signo poenitentiae non manifestato, sensibus destituuntur» [4]. Ratio est, quia in extremis extrema sunt probanda.

626. Scholion I. *De obligatione recipiendi extremam unctionem.*

Aliqui Doctores, ut *Habert*, *Tournely*, et alii [5], contendunt dari praeceptum divinum suscipiendi extremam unctionem. Sed alii cum S. Thoma, Suarez, Sylvio, Salmanticensibus, S. Alphonso, Bulsano, etc. [6], melius negant extremam unctionem, secluso scandalo et contemptu, esse necessariam praecepto divino vel ecclesiastico. Verba igitur S. Jacobi: *Inducat praesbyteros Ecclesiae*, exhortationem non praeceptum continent.

Aegrotus, qui alio modo acquirit statum gratiae et vitat scandalum ac contemptum sacramenti, non videtur graviter peccare, si negligat extremam unctionem suscipere.

627. Scholion II. *De iteratione sacramenti extremae unctionis.*

1) Extrema unctio non imprimit characterem, ac proinde reiterari potest [7]. Sed quaestio est, quando admittat reiterationem.

2) *P. Kern*, intelligens de vero sacramento et non de sacramentali, quae ordinabantur in sacramentario gregoriano [8], ait: «Gravibus ratio-

---

[1] Cfr. **Benedictus XIV,** *De synodo dioecesana*, lib. 8, c. 5, n. 3.

[2] *De extrema unctione*, disp. 7, a. 1 **(Migne,** *Cursus completus th.*, vol. 24, p. 118).

[3] *Rituale romanum*, tit. 5, c. 1, n. 8.

[4] **Lehmkuhl,** *De sacramentis*, n. 724.

[5] **Habert,** *De extrema unctione*, c. 7, q. 2; **Tournely,** *De extrema unctione*, q. ult., a. 2.

[6] **S. Thomas,** *In IV Sent.*, dist. 23, q. 1, sol. 3 ad 1; **Suarez,** *De sacramentis*, disp. 44, sect. 1, n. 2; **Sylvius,** *In Supplementum*, q. 32, a. 4, quaest. 1; **Salmanticenses,** *De extrema unctione*, c. 4, n. 10; **S. Alphonsus,** lib. 6, n. 733; **Bulsano,** *De extrema unctione*, n. 674.

[7] Cfr. *Concilium florentinum, Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 695.

[8] *Sacrament. greg.;* ML **78,** 235. Cfr. **Menardus,** *In S. Gregorii librum sacramentorum notae*, 916; ML **78,** 523.

nibus innititur sententia, extremam unctionem, spectato ejus valore, in eadem infirmitate, etiam manente eodem mortis periculo, saepius conferri posse» [1].

3) Doctrina tamen et Ecclesiae, quae tenet extremam unctionem, non in eodem mortis periculo, sed in diversa infirmitate, imo in eadem infirmitate sed in diverso mortis periculo, reiterari posse.

Rituale romanum haec habet: «In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit; ut si, cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidat» [2]. Et *Codex Juris Canonici* praescribit: «In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non potest, nisi infirmus post susceptam unctionem convaluerit, et in aliud vitae discrimen inciderit» [3].

Toties extrema unctio iterari potest, quoties aegrotus, superato uno periculo mortis, in novum periculum, durante etiam eadem infirmitate, cadit.

---

[1] *De sacramento extremae unctionis*, prop. 13.
[2] *Tit.* 5, c. 1, n. 14.
[3] *Can.* 940, § 2.

SECTIO VII

DE SACRAMENTO ORDINIS

QUAESTIO XXXVII

DE OMNIBUS QUAE SPECTANT AD SACRAMENTUM ORDINIS

ARTICULUS I

NOTIONES GENERALES TRADUNTUR

628. I. **Ordo in genere.** Vocabulum *ordo* in genere, ut optime ait *S. Augustinus*, «est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio» [1]. Hoc sensu ait etiam *Catechismus Romanus:* «Est enim ordo, si propriam ejus vim et rationem accipiamus, dispositio superiorum et inferiorum rerum, quae inter se aptatae sunt, ut una ad alteram referatur» [2].

II. **Diversae acceptiones.** Tum in rebus profanis tum ecclesiasticis, quoties altiora et inferiora certa ratione distribuuntur, dicimus existere ordinem. Sic in usu profano ordo significat: 1) Dispositionem rerum materialium; 2) seriem personarum, quae in diversis gradibus constituuntur.

In usu autem ecclesiastico diversa significat, prout diversimode res distribuuntur. Unde: 1) *Lato sensu* designat ipsam Ecclesiam organice constitutam, in qua conspicimus gradus laicorum et clericorum, gubernantium et gubernatorum [3]. 2) *Strictius* hierarchiam ecclesiasticam, in qua personae ecclesiasticae in diversis gradibus constitutae sunt, quibus competit sacra facere ac ministrare. 3) *Strictissime* id, quod constituit homines in sacra hierarchia et habiles facit ad sacra munia obeunda. Hinc ritus sacer, quo homines in certo gradu hierarchico constituuntur et ad ministeria ecclesiastica rite obeunda consecrantur, aptissime vocatur *ordo* seu *ordinatio* [4].

---

[1] *De civ. Dei*, lib. 19, c. 13; ML **41**, 640.

[2] *Part.* 2, c. 7, nn. 19-20.

[3] **S. Bonaventura** docet in Ecclesia esse hunc ordinem propter pulchritudinem et rectitudinem societatis organicae. *In IV Sent.*, dist. 24, p. 1, a. 2, q. 1. Idem adserit **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 34, a. 1.

[4] Ipse status clericalis non semel appellatur ordo.

Ordinem hic sumimus pro sacro ritu, quo quis ad certum gradum ecclesiasticum evehitur, et idem est ac sacra *ordinatio*.

629. III. **Definitio.** Ordo seu ordinatio definiri solet: *Sacramentum novae legis a Christo Domino institutum, quo confertur gratia et traditur potestas spiritualis ad munia ecclesiastica rite obeunda in ordine ad eucharistiam.*

ARTICULUS II

UTRUM ORDO SIT VERUM ECCLESIAE SACRAMENTUM

630. Errores. *Lutherus* ajebat: «Hoc sacramentum Ecclesia Christi ignorat, inventumque est ab Ecclesia Papae; non enim solum nullam habet promissionem gratiae nullibi positam, sed ne verbo quidem ejus meminit novum testamentum. Ridiculum autem est adserere pro sacramento Dei, quod a Deo institutum nunquam potest demonstrari» [1].

Calvinus: «Impositionem manuum, qua Ecclesiae ministri in suum munus initiantur, ut non invitus patior vocari sacramentum, ita inter ordinaria sacramenta non numero» [2].

Exinde omnes protestantes, exceptis ritualistis, negant ordinem esse verum sacramentum. Doctrinam Lutheri et *Confessionis Augustanae* sequuti, admittunt ad summum clericos per ordinationem ad ministerium verbi deputari [3].

Modernistae dixerunt: «Coena christiana paulatim indolem actionis liturgicae adsumente, hi, qui coenae praeesse consueverant, characterem sacerdotalem acquisiverunt». «Seniores, qui in christianorum coetibus invigilandi munere fungebantur, instituti sunt ab apostolis presbyteri aut episcopi ad providendum necessariae crescentium communitatum ordinationi, non proprie ad perpetuandam missiónem et potestatem apostolicam» [4].

631. THESIS. **Ordo est verum novae legis sacramentum.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus ait ad Timotheum: *Noli negligere gratiam, quae est in te, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii* [5]. *Admonemus te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum; non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis et sobrietatis* [6].

Hic certe habetur ordinatio, ut est sacramentum. Est enim:

a) *Ritus sensibilis*, id est, *impositio manuum.* Hanc ordinationem certe conferebant apostoli per impositionem manuum et orationem sensibilem, ut constat ex Actibus Apostolorum: *Hos statuerunt ante conspectum apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus* [7].

b) *Conferebat gratiam.* Diserte docet S. Scriptura Timotheum accepisse gratiam *per impositionem manuum presbyterii.* Haec autem gratia, quamvis exprimatur per vocabulum χαρισμα, significat gratiam

---

[1] *De capt. babyl.*, De ordine, «Hoc sacramentum».
[2] *Inst.*, lib. 4, c. 14, n. 20.
[3] Cfr. *Confessio Augustana*, a. 14; **Lutherus,** *De captiv. babyl.*, De ordine.
[4] Decreto *Lamentabili*, prop. 49-50; **Denz-Bannw.,** 2049-2050. Hae propositiones excerptae sunt ex **Loisy,** *Autour d'un petit livre*, p. 252 sq.
[5] *I Tim.*, 4, 14.
[6] *II Tim.*, 1, 6-7.
[7] *Act.*, 6, 6.

sanctificantem, non gratias gratis datas, tum quia data est signo externo, tum quia concessa est permanenter, ut innuunt verba: *quae est in te; quae data est tibi;* tum denique, quia voluntate ipsius Timothei poterat *extingui* vel *excitari*. Gratiae autem gratis datae, quae aliquando simul cum gratia sanctificante caelitus conceduntur, ex se non conferuntur ad positionem signi sensibilis; neque dantur permanenter; neque voluntate hominis excitari possunt vel extingui.

Verba autem *per prophetiam*, quae adhibentur ab Apostolo, non significant per impositionem manuum collatum fuisse Timotheo donum prophetiae, sed innuunt speciali Spiritus Sancti revelatione adsumptum fuisse ipsum in episcopum, juxta illud Apostoli: *Hoc praeceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum praecedentes in te prophetias* [1].

c) *A Christo permanenter institutus.* Solus enim Christus potest signo sensibili, ut est impositio manuum, gratiam alligare.

2) *Ex conciliis.* Concilium florentinum: «Sextum sacramentum est ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo» [2].

Concilium tridentinum: *Si quis dixerit ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum, a. s.* [3].

3) *Ex SS. Patribus. S. Basilius:* «Qui... ordinationem a Patribus habebant, et per manuum eorum impositionem habebant donum spirituale» [4].

S. Augustinus: «Utrumque enim (baptismus et ordo) sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur; illud, cum baptizatur, istud, cum ordinatur; ideoque in catholica (Ecclesia) utrumque non licet iterari. Nam, si quando ex ipsa parte venientes etiam praepositi pro bono pacis, correcto schismatis errore, suscepti sunt, visum est opus esse, ut eadem officia gererent, quae gerebant, non sunt rursus ordinati, sed sicut baptismus in eis, ita ordinatio mansit integra, quia in praecisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est, non in sacramentis, quae, ubicumque sunt, ipsa sunt. Et, cum expedire hoc judicatur Ecclesiae, ut praepositi venientes ad catholicam unitatem honores suos ibi non administrent, non eis tamen ipsa ordinationis sacramenta detrahuntur, sed manent super eos. Ideoque non eis in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi sacramento fiat injuria» [5].

4) *Ex praxi Ecclesiae.* In antiquissimis Ecclesiae tum graecae tum latinae libris liturgicis leguntur formulae ordinationis, quibus certissime probatur ordinem ut sacramentum administrari consuevisse. In *Constitutionibus Apostolicis* habetur pro ordinatione episcopi sequens in-

---

[1] *I Tim.*, 1, 18.

[2] *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 701.

[3] *Sess.* 23, can. 3; **Denz-Bannw.,** 963. Alibi ait concilium: «Cum Scripturae testimonio, apostolica traditione, et Patrum unanimi consensu, perspicuum sit per sacram ordinationem, quae verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet ordinem esse vere et proprie unum ex septem sanctae Ecclesiae sacramentis». *Sess.* 23, c. 3; **Denz-Bannw.,** 959.

[4] *Ep.* 188 *ad Amphilochium*, a. 374, can. 1; MG **32,** 670; **Journel,** 919.

[5] *Contra ep. Parm.*, lib. 2, c. 13, n. 28; ML **43,** 70; **Journel,** 1617.

vocatio: «Da illi, Domine omnipotens, per Christum tuum, participationem Sancti Spiritus, ut habeat potestatem remittendi peccata secundum mandatum tuum dandi cleros seu ordines ecclesiasticos, juxta praeceptum tuum, et solvendi omne vinculum secundum potestatem, quam tribuit Apostolus» [1].

5) *Rationes congruentiae non desunt.* Valde conveniens est, ut homines ad sacra facienda et administranda publica auctoritate deputentur, et gratiis necessariis ad ea rite obeunda locupletentur. Ad hoc autem non sufficit, ut volunt protestantes, simplex electio, sed necesse est, ut speciali sacramento muniantur.

632. Scholion. *Quando fuerit hoc sacramentum a Christo institutum.* Nihil de hoc certum habetur in S. Scriptura et in Ecclesiae definitionibus. Videtur tamen probabilius, quamvis *Lutherus* opiniones theologorum irrideat [2], Christum instituisse hoc sacramentum in ultima coena, quando apostolis dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*, constituit eos sacerdotes, et ordinavit, «ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum» [3].

S. Thomas ostendit potestatem remittendi peccata necessario sequi ex potestate conficiendi eucharistiam [4].

ARTICULUS II

QUOT SINT IN ECCLESIA ORDINES

633. I. Quamvis ordo sit unum tantummodo sacramentum, ut dicemus in fine hujus articuli, plures tamen numerantur ordines juxta diversam potestatem, quae confertur clericis relate ad corpus Christi reale vel mysticum.

Alii enumerant septem, quia episcopatum et presbyteratum ponunt sub uno sacerdotio, et tonsuram negant esse ordinem [5]. Alii enumerant octo ordines, quia episcopatum et presbyteratum separant, et tonsuram respuunt a ratione ordinis [6]. Alii volunt esse novem ordines, quia defendunt episcopatum et tonsuram esse ordines ab aliis distinctos [7].

II. Verius et communius dicitur septem esse in Ecclesia ordines, quia prima tonsura non est ordo; et episcopatus ac presbyteratus, sive sint ordines distincti sive non, includuntur sub sacerdotio. Hi septem ordines vocantur: *Sacerdotium* (complectens episcopatum et presbyteratum), *diaconatus*, *subdiaconatus*, *acolythatus*, *exorcistatus*, *lectoratus* et *ostiariatus*.

Horum meminit S. Cornelius I a. 251, dum docebat Romae oportere «*presbyteros* esse quadraginta sex, *diaconos* septem, *subdiaconos* se-

---

1 *Const. Apost.*, lib. 8, c. 5; MG **1,** 1074.
2 *De capt. babyl. Ecclesiae*, De ordine, «Post hoc».
3 *Concilium trid.*, sess. 22, can. 2; **Denz-Bannw.,** 949.
4 *Contra Gent.*, lib. 4, c. 74.
5 Huic sententiae favet concilium tridentinum, *sess.* 23, c. 2; **Denz-Bannw.,** 958.
6 Ita **Altissiodorensis,** *Summa*, lib. 4, tr. 8.
7 Ita aliqui canonistae.

ptem, *acolythos* duos et quadraginta, *exorcistas* autem et *lectores* cum *ostiariis* quinquaginta duos» [1].

Deinde concilium tridentinum ait: «Non solum de *sacerdotibus* sed et de *diaconis* sacrae litterae apertam mentionem faciunt, et quae maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent, et ab ipso Ecclesiae initio sequentium ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, *subdiaconi* scilicet, *acolythi*, *exorcistae*, *lectores*, et *ostiarii* in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu» [2].

III. Rationem hujus numeri colligit Angelicus ex relatione ad eucharistiam, ad quam ordines quodammodo referuntur: 1) Qui habet potestatem consecrandi eucharistiam, est *sacerdos*. 2) Qui cooperatur sacerdoti in ipso sacramento quantum ad dispensationem, est *diaconus*. 3) Qui parat materiam sacramenti in vasis sacris, est *subdiaconus*. 4) Qui praesentat materiam sacramenti in urceolis extra vasa sacra, est *acolythus*. 5) Qui recipientes eucharistiam liberat a daemonis potestate ope exorcismi, est *exorcista*. 6) Qui catechumenos rite instruit ad eucharistiae receptionem, est *lector*. 7) Qui infideles credere nolentes arcet ex officio a coetu communicantium, est *ostiarius* [3].

IV. Quamvis omnes ordines sint quodammodo sacri, quatenus ad sacram eucharistiam et officia ecclesiastica referuntur, tamen ratione materiae, circa quam versantur, tres tantum dicuntur ordines sacri, «scilicet sacerdotium et diaconatus, qui habent actum circa corpus Christi et sanguinem consecratum, et subdiaconatus, qui habet actum circa vasa consecrata; et ideo eis etiam continentia indicitur, ut sancti et mundi sint, qui sancta tractant» [4]. Hi tres communiter vocantur ordines majores et sacri [5], caeteri autem minores et non sacri [6].

V. Hi omnes ordines sunt unum tantummodo sacramentum, quia inferiores ordines se habent ad episcopatum, in quo est plenitudo sacerdotii, sicut imperfectum ad perfectum, sicut partes ad totum potestativum. Unde *Angelicus:* «Divisio ordinis non est totius integralis ad suas partes, neque totius universalis, sed totius potestativi, cujus haec est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio ipsius. Et ita est hic; tota enim plenitudo sacramenti hujus est in uno ordine, scilicet sacerdotio, sed in aliis est quaedam participatio ordinis» [7].

---

[1] *Ep. ad Fabium episc. antiochenum*, a. 251; **Denz-Bannw.,** 45.

[2] *Sess.* 23, c. 2; **Denz-Bannw.,** 958.

[3] *Suppl.*, q. 37, a. 2.

[4] **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 37, a. 3.

[5] Subdiaconatus usque ad saeculum XI in Ecclesia latina ordinibus minoribus accensebatur, et in Ecclesia graeca etiam hodie inter minores computatur.

[6] *Codex Juris Canonici* ait: «Nomine ordinum *majorum* vel *sacrorum* intelliguntur presbyteratus, diaconatus, subdiaconatus, minorum vero, acolythatus, exorcistatus, lectoratus, ostiariatus». *Can.* 949.

[7] *Suppl.*, q. 37, a. 1 ad 2.

ARTICULUS III

UTRUM OMNES ET SINGULI ORDINES SINT SACRAMENTUM

634. Quaestio est, an ritus, quo omnes et singuli ordines conferuntur, sit ex vi institutionis Christi signum sensibile et causa gratiae ex opere operato.

Difficultas praesertim est circa episcopatum, subdiaconatum et ordines minores.

§ 1

De episcopatu.

635. I. **Praenotamina.** 1) *Fide catholica certum est episcopatum esse divina ordinatione institutum.*

Concilium tridentinum hoc declaravit dicens: «Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constet episcopis, presbyteris et ministris, a. s.» [1].

2) *Episcopi sunt presbyteris quoad potestatem ordinis et iurisdictionis iure divino superiores* [2].

Duplex spiritualis potestas traditur sacerdotibus et episcopis in ordinatione, una *ordinis* et altera *iurisdictionis*. *Prima* est potestas conficiendi et tradendi sacra ex officio ad fidelium sanctificationem. Solum complectitur facultatem conficiendi atque administrandi sacramenta, et obeundi munia sacra ordini respectivo adnexa. *Altera* est potestas ligandi atque solvendi subditos legibus, judicio ac poenis in his, quae spectant ad finem Ecclesiae. Potest esse suprema et subordinata, universalis et particularis, ordinaria et delegata, fori interni ac externi.

Quoad utramque potestatem episcopi sunt presbyteris jure divino superiores.

a) *Quoad potestatem ordinis.* Concilium tridentinum ait: *Si quis dixerit episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem... a. s.* [3].

Optime ad rem monet *S. Ignatius*, ut laici diaconis subjiciantur, diaconi presbyteris, presbyteri episcopo, episcopus Christo ut ipse Patri [4].

Ratio perspicua est. Potest enim episcopus vi potestatis ordinis alios ordinare ac confirmare, quod presbyteri non possunt sine speciali delegatione Romani Pontificis, imo delegari non possunt ad diaconatum, presbyteratum et episcopatum valide conferendum.

---

[1] *Sess.* 23, can. 6; **Denz-Bannw.,** 966.

[2] Hoc primo negavit **Aerius,** ut dicit **S. Epiphanius,** *Adv. Haer.*, lib. 3, haer. 75, n. 3; MG **42,** 506. Ipsum sequuti sunt **Waldenses** et **Wiclefus** (Cfr. **Thomas Waldensis,** *Doctrinale fidei*, t. 1, a. 3, c. 60), **Calvinus,** *Instit.*, lib. 4, n. 2; *Lutherus, presbyteriani*, etc.

[3] *Sess.* 23, can. 7; **Denz-Bannw.,** 967.

[4] *Ep. ad Trallianos*, 3; MG **5,** 678.

b) *Quoad potestatem jurisdictionis:*

a) Ex ipso nomine episcopi deducit *S. Augustinus* episcopos esse presbyteris superiores dicens: «επι quippe *super*, σκοπος vero *intentio* est. Ergo επισκοπειν, si veli nus, latine *superintendere* dicere possumus» [1].

b) Apostolus diserte tradit hanc doctrinam, cum episcopos adhortatur his verbis: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* [2].

c) Idem Apostolus admonet Timotheum episcopum dicens: *Adversus presbyteros accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus* [3]. Poterat ergo sub duobus vel tribus testibus juridice procedere contra presbyterum, judicans eum quasi inferiorem.

636. II. **Quaestio.** *An episcopatus sit sacramentum proprie dictum et imprimat characterem.*

S. Thomas ait ad rem: «Ordo potest accipi dupliciter. Uno modo secundum quod est sacramentum, et sic, ut prius dictum est q. 37, a. 2 *in corpore*, et ad 1, et a. 4, ordinatur omnis ordo ad eucharistiae sacramentum. Unde, cum episcopus non habeat potestatem superiorem sacerdote, quantum ad hoc episcopatus non erit ordo. Alio modo potest considerari ordo secundum quod est officium quoddam respectu quarumdam actionum sacrarum, et sic, cum episcopus habeat potestatem in actionibus hierarchicis respectu corporis mystici supra sacerdotem, episcopatus erit ordo» [4].

Aliqui theologi, ut *Billuart* [5], dicunt episcopatum posse considerari: 1) *Adaequate*, prout complectitur sacerdotium et episcopatum; et 2) *inadaequate*, prout ordinatio episcopalis addit simplici sacerdoti potestatem ordinandi, confirmandi atque gubernandi.

Volunt autem episcopatum adaequate sumptum, quatenus complectitur sacerdotium, esse verum sacramentum, non autem inadaequate sumptum quoad ea, quae addit ad sacerdotium.

Quamvis conceptus adaequatus et inadaequatus quoad episcopatum verus sit, hic tamen dicendi modus rem magis implicat quam solvit. Quaeritur enim, an consecratio presbyteri in episcopum, seu ritus externus, quo presbytero confertur episcopatus, sit sacramentum. Si clericus nondum presbyter ordinaretur simul in presbyterum et episcopum, posset fortasse sustineri hic dicendi modus, sed episcopatus adaequate sumptus, prout complectitur sacerdotium et episcopatum, nemini simul confertur, quia subjectum consecrationis episcopalis est presbyter. Unde ordinatio episcopi adaequate sumpti nunquam fit simul nec fieri potest, et episcopatus, prout est sacerdotium plenum complectens sacerdotium et episcopatum, est status permanens et gradus supremus hierarchiae ecclesiasticae, non sacramentum.

Difficultas ergo est de episcopatu praecisive a sacerdotio, et quaeritur, an ordinatio clerici, qui jam est presbyter, in episcopum sit ordo et sacramentum.

---

1 *De civ. Dei*, lib. 19, c. 19; ML **41**, 647. Cfr. **S. Thomas,** *In I Tim.*, 3, lect. 1.
2 *Act.*, 20, 28.
3 *I Tim.*, 5, 19.
4 *Suppl.*, q. 40, a. 5.
5 *De sacramento ordinis*, diss. 4, a. 2.

637. Placita theologorum. Praeclarissimi theologi *Alensis, Albertus Magnus, S. Bonaventura, Capreolus, Sotus,* et recenter *Card. Billot* defendunt episcopatum sensu explicato non esse verum sacramentum [1], quia ordines non sunt nisi septem, et quia in ordinatione episcopi nulla confertur ordinando potestas in eucharistiam.

Alii plures affirmant, quia episcopo in ordinatione per ritum sensibilem datur gratia et imprimitur character indelebilis, quo possit alios ordinare, confirmare et gubernare. Ita *Altissidiorensis, Durandus, Paludanus, Cajetanus, Bellarminus, Vazquez, Gotti, Hallier, Katschthaler, Pesch, Herve,* et alii [2].

Ex his satis apparet utramque opinionem, auctorum numero ac gravitate imo et rationum pondere, esse omnino probabilem. Sed attentis verbis S. Scripturae et doctrina traditionis, probabilior mihi videtur sententia affirmativa. Unde sit:

638. Thesis. **Ordinatio episcopi seu ritus, quo presbyter consecratur in episcopum, eique tribuitur potestas ordinandi, confirmandi atque gubernandi, est verus ordo et verum sacramentum.**

Arg. 1) Apostolus hortatur Timotheum dicens: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum* [3]. Ad haec dicit *S. Thomas:* «A quo scilicet ordinatus erat episcopus, in qua manus impositione data est ei gratia Spiritus Sancti» [4]. Ergo ordinatio Timothei in episcopum per impositionem manuum Apostoli fuit signum sensibile conferens gratiam, atque ideo sacramentum.

2) *S. Augustinus,* loquendo de episcopis donatistis ad Ecclesiam catholicam redeuntibus, ait: «Non sic illos suscipimus, ut sunt; absit a nobis, nam haeretici sunt; suscipimus autem catholicos, mutantur, suscipiuntur... Bona, quae in illis agnoscimus, non sunt sua; Domini nostri habent bona, Ecclesiae habent bona. Baptismus non est ipsorum, sed Christi. Invocatio nominis Dei super caput ipsorum, quando ordinantur episcopi, invocatio illa Dei est, non Donati... In errante et deserente milite crimen est desertoris, character autem non est desertoris, sed imperatoris» [5]. S. Doctor characterem tribuit hic ordinationi episcopali, sicut tribuit baptismo.

3) In ordinatione episcopali: a) Adest *signum sensibile* seu ritus externus cum applicatione materiae et formae; b) Elargitur ordinando *gratia sanctificans,* quando consecrans, imposito libro evangeliorum ad scapulas ordinandi et tangens manibus caput ejusdem, dicit: *Accipe Spiritum Sanctum;* vel ungit et consecrat caput ejus chrismate cum caelesti benedictione, juxta sententias auctorum circa materiam et for-

---

[1] **Alensis,** *IV p.,* q. 20, m. 8, a. 1; **Albertus M.,** *In IV Sent.,* dist. 24, a. 39; **S. Bonaventura,** *In IV Sent.,* dist. 24, p. 2, a. 2, q. 3; **Capreolus,** *In IV Sent.,* dist. 25, q. un., a. 1; **Sotus,** *In IV Sent.,* dist. 24, q. 2, a. 3; **Billot,** *De ordine,* th. 31, § 2.

[2] **Altissiodiorensis,** *Summa,* lib. 4, tr. 8, q. 1; **Durandus,** *In IV Sent.,* dist. 24, q. 6, n. 8; **Paludanus,** *In IV Sent.,* dist. 24, q. 6, a. 3; **Cajetanus,** *Opusc.,* t. 1, tr. 11; **Bellarminus,** *De ordine,* c. 5; **Vazquez,** *In III p.,* disp. 240, c. 4; **Gotti,** *De ordine,* q. 5, dub. 2; **Hallier,** *De sacris elect. et ord.,* p. 2, sect. 2, c. 1, a. 2, § 2; **Katschthaler,** *De sacram. ord.,* n. 848; **Pesch,** *De sacram. ord.,* n. 613 sqq.; **Herve,** *De ordine,* n. 479.

[3] *II Tim.,* 1, 6.

[4] *In II Tim.,* c. 1, lect. 3.

[5] *Sermone ad caesariensis ecclesiae plebem,* n. 2; ML **43,** 691.

mam ordinationis episcopalis [1]. c) Confertur ei *potestas ordinandi*, confirmandi atque gubernandi modo indelebili, adeo ut per haeresim, schisma aut peccata episcopi nunquam deleatur.

639. Scholion. *De mente Angelici Doctoris.* Plures dicunt Angelicum Doctorem adhaesisse sententiae negativae in verbis, quae attulimus ex *Supplemento*, q. 40, a. 5, sed perperam puto S. Thomam pro hac sententia citari.

Solum affirmat S. Doctor episcopatum non esse ordinem et sacramentum, prout ordinatur ad eucharistiae sacramentum, quia episcopus in consecratione non accipit potestatem superiorem sacerdote respectu eucharistiae, sed expresse docet ipsum in ordinatione accipere «potestatem in actionibus hierarchicis respectu corporis mystici supra sacerdotem», et hoc sensu episcopatum esse ordinem [2].

Clarius et disertius alibi: «Quod vero quarto proponitur, quod episcopatus non est ordo; hoc manifeste continet falsitatem, si absolute intelligatur. Expresse enim dicit Dionysius esse tres ordines ecclesiasticae hierarchiae, scilicet episcoporum, presbyterorum et diaconorum: et 21 dist., cap. *Cleros* habetur, quod ordo episcoporum quadripartitus est. Habet enim ordinem episcopus per comparationem ad corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia; supra quam principalem accipit curam et quasi regalem... Quod autem habeat aliquem ordinem, et non jurisdictionem solam, sicut archidiaconus vel curatus presbyter, patet ex hoc quod episcopus potest multa facere, quae non potest committere, sicut confirmare, ordinare et consecrare basilicas, et hujusmodi... Idem etiam patet ex hoc quod, si episcopus depositus restituatur, non iterum consecratur, tanquam potestate ordinis remanente, sicut et in aliis contingit ordinibus» [3].

His verbis defendit *S. Thomas* episcopatum esse ordinem non relate ad eucharistiam, sed relate ad corpus Christi mysticum, imo et characterem imprimere, quem episcopus per depositionem non amittit. Hic autem ordo seu ordinantio, cum sit signum sensibile, conferens gratiam et imprimens characterem, est vere et proprie sacramentum. Quid enim amplius requiritur?

640. Corollarium. Ex his facile colliges in episcopo plures esse potestates. Sunt enim potestas consecrandi corpus et sanguinem Christi, potestas remittendi peccata, potestas ordinandi et potestas confirmandi. «Prima et secunda potestas, ait *Gotti*, conferentur per ordinationem presbyteralem, reliquae per episcopalem. Quare ad episcopatum adaequate sumptum duae requiruntur ordinationes, quarum utraque sacramentum est, nempe presbyteralis et episcopalis. Per primam presbyter ordinatur, per secundam ex presbytero ordinatur episcopus» [4]. Secunda ita supponit primam, ut, qui non est sacerdos, nequeat consecrari in episcopum.

2) Quamvis admittatur episcopatum esse ordinem et sacramentum, non sequitur esse octo ordines, sicut ex admissa sacramentalitate plu-

[1] Cfr. **Gotti,** *De sacramento ordinis*, q. 5, dub. 3.
[2] *Suppl.*, q. 40, a. 5.
[3] *Opusc.* 2 (ed. Parmae), c. 24.
[4] *De sacramento ordinis*, q. 5, dub. 2, n. 7.

rium ordinum non sequitur esse plusquam septem sacramenta. Ordo sacerdotalis dividitur in duas partes, scilicet in ordinem presbyteralem et episcopalem, id est, in ordinem sacerdotii communis et sacerdotii summi.

§ 2

De presbyteratu.

641. Nota. Presbyter πρεσβύτερος idem est ac senior, vel quia olim homines provectioris aetatis deligebantur ad sacerdotium, vel quia moribus senes videbantur, qui sacerdotio aucti sunt. Eo nomine non raro vocabantur episcopi, saepe sacerdotes. Deinde generatim soli sacerdotes vocati sunt presbyteri.

642. THESIS. **Presbyteratus est verum Ecclesiae sacramentum.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Presbyteri dicuntur in sacris litteris bene praeesse sub episcopo, atque laborare in verbo et doctrina [1]; pascere gregem Christi [2]; et alia facere, quae denotant presbyteratum esse sacramentum. Licet difficile sit distinguere, utrum haec effata ad solos presbyteros-sacerdotes, an vero ad episcopos referantur, quia, ut diximus, nomine presbyterorum nonnunquam episcopi designati sunt, nihilominus plusquam probabile est in epistola prima ad Timotheum, 5, 17, sermonem esse de simplici sacerdote, quia Apostolus monita dat Timotheo episcopo circa modum agendi cum presbyteris, et Ecclesia semper intellexit in quibusdam locis S. Scripturae agi de presbyteratu instituto a Christo in ratione sacramenti.

2) *Ex concilio tridentino.* «Dubitare nemo debet ordinem esse vere et proprie unum ex septem Ecclesiae sacramentis... Quoniam vero in sacramento ordinis... character imprimitur, qui nec deleri nec auferri potest, merito sancta synodus damnat eorum sententiam, qui adserunt novi testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere et semel rite ordinatos iterum laicos effici posse» [3]. Idem concilium docet sacerdotes habere potestatem «consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem» Christi, «necnon et peccata dimittendi et retinendi» [4].

3) *Ex SS. Patribus. S. Ignatius:* «Hortor, ut in concordia Dei omnia peragere studeatis, episcopo praesidente loco Dei, et presbyteris loco senatus apostolici; et diaconis mihi suavissimis concreditum habentes ministerium Jesu Christi» [5]. «Cuncti similiter revereantur diaconos ut mandatum Jesu Christi, et episcopum ut Jesum Christum Filium Patris; et presbyteros ut senatum Dei et concilium apostolorum: sine his Ecclesia non vocatur» [6].

---

1 *I Tim.*, 5, 17.
2 *I Petri*, 5, 1 sqq.
3 *Sess.* 23, c. 3 et 4; **Denz-Bannw.,** 959 sq.
4 *Sess.* 23, c. 1; **Denz-Bannw.,** 957.
5 *Ep. ad Magn.*, 6; MG **5,** 668; **Journel,** 44.
6 *Ep. ad Trall.*, 3; MG **5,** 677; **Journel,** 49.

S. Clemens Romanus: «In obedientia subditi estote presbyteris, et correptionem suscipite in poenitentiam» [1].

S. Hieronymus ait: «Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat»? [2].

4) *Ex ritu ordinationis.* In omnibus graecis latinisque liturgiis ordinantur presbyteri cum impositione manuum episcopi et oratione invocante Spiritum Sanctum, cui in Ecclesia latina adjungitur traditio instrumentorum cum formula: *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro vivis et defunctis, in nomine Patris,* etc. Hic, ut vides, reperiuntur omnia necessaria ad rationem sacramenti, nempe signum sensibile, productio gratiae, et institutio Christi, quatenus ritui externo adnexa est productio gratiae.

§ 3

De diaconatu.

643. Nota. 1) Quamvis *Durandus* et *Cajetanus* negaverint [3] diaconatum esse sacramentum, hodie certa et communis sententia id affirmat. Imo *Vazquez* putat esse de fide [4], *Tanner* prope de fide [5], et alii aliter.

2) *Diaconus,* graece διάκονος, aliquando ministros mensae [6]; generatim adjutores episcoporum et presbyterorum in praedicando, baptizando et in ministeriis altaris significat [7], et est ordo sacer.

644. THESIS. **Diaconatus est verum sacramentum.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostoli post ascensionem Domini, cum audissent murmur graecorum eo, quod viduae eorum despicerentur in ministerio quotidiano, dixerunt multitudini: *Considerate, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus (ministerium quotidianum)... Et placuit sermo coram omni multitudine, et elegerunt Stephanum... Hos constituerunt ante conspectum apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus* [8].

Auctores multo probabilius defendunt hic agi de collatione sacramenti diaconatus. Septem quippe viri, qui electi sunt pleni Spiritu Sancto et sapientia, ac instituti per impositionem manuum cum oratione [9], adnumerati sunt episcopis [10]. Haec autem non pro ministris mensae sed pro adjutoribus sacerdotum in muneribus sacris fieri consueverunt, et

---

[1] *I Cor.*, 57; MG **1,** 324.

[2] *Ep.* 146 *ad Evang.*, n. 1; ML **22,** 1194; **Journel,** 1357.

[3] **Durandus,** *In IV Sent.*, dist. 24, q. 2, n. 7; **Cajetanus,** *Opusc.* t. 1, tr. 11.

[4] *In III p.*, disp. 238, c. 2, n. 12.

[5] *De ordine,* disp. 7, c. 2, dub. 2, n. 39.

[6] *Luc.*, 4, 39; 10, 40.

[7] *Philpp.*, 1, 1; *Act.*, 6, 2 sq.

[8] *Act.*, 6, 1 sqq. **Knabenbauer,** *In Actus Apostolorum,* 6, 1-7 (p. 111), docet hic agi de institutione diaconorum ex graecis, quia diaconi ex hebraeis ante hunc actum existebant.

Potest etiam dici apostolos hic occasionem arripuisse ordinandi primos diaconos juxta legem institutionis diaconatus, quam ex revelatione Spiritus Sancti noverant.

[9] *Act.*, 6, 3 sqq.

[10] *Philpp.*, 1, 1.

impositio manuum cum oratione conferebat gratiam, ut patet ex contextu [1], aliisque locis [2]. Ergo praefata septem virorum ordinatio cum impositione manuum et oratione fuit verum sacramentum. Ad rem *S. Ignatius:* «Non enim ciborum et potuum ministri sunt (diaconi), sed Ecclesiae Dei ministri» [3].

2) *Ex SS. Patribus: Pseudo-Dionysius:* «Diaconus (ordinandus) unum genu flectens ante divinum altare supra caput habet dexteram Pontificis ipsum consecrantis, et ab eo consecratur invocationibus ad ministrorum consecrationem accommodatis» [4].

S. Joannes Chrysostomus: «Vide, quam non superflue scriptor loquatur, non enim dicit, quomodo, sed simpliciter, quod ordinati sint per orationem. Hoc enim est ordinatio. Manus viri superimponitur, totum vero Deus operatur, ejusque manus est, quae tangit caput ordinati, si, quemádmodum oportet, ordinatur» [5].

S. Cyprianus: «Diaconos... apostoli sibi constituerunt episcopatus sui et Ecclesiae ministros» [6].

Tota antiquitas christiana exinde jam a Patribus apostolicis diaconos consideravit ut ministros Ecclesiae et adjutores sacerdotum in muneribus sacris.

3) *Ex ordinatione. Constitutiones apostolicae* praescribunt modum ordinandi diaconos his verbis: «Diaconum efficies, episcope, imponens ei manus, adstante tibi cuncto presbyterio cum diaconis, et orans dices: Deus omnipotens... ostende faciem tuam super servum tuum hunc, electum tibi in diaconatus ministerium, et imple eum Spiritu Sancto et virtute, sicut implevisti Stephanum» [7].

Pontificale romanum: «Solus Pontifex manum dexteram extendens ponit super caput cuilibet ordinando... dicens singulis: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus. In nomine Domini* [8].

4) *Concilium tridentinum* edidit super hoc solemnem definitionem dicens: *Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, a. s.* [9].

645. Scholion I. *Quando institutus fuerit diaconatus.* Certum est diaconatum fuisse a Christo Domino institutum simul cum presbyteratu, probabiliter in ultima coena.

646. Scholion II. *De diaconissis.* In S. Scriptura fit aliquando mentio diaconissarum seu mulierum, quae adsumebantur ad quaedam ministeria [10], et de quibus agunt plures SS. Patres [11].

---

1 *Act.*, 6, 8.
2 *Act.*, 8, 17-19; 13, 2-3.
3 *Ad Trall.*, 2; MG **5,** 779.
4 *De eccl. hierar.*, c. 5; § 7, n. 2; MG **3,** 510.
5 *In Act. Apost.*, hom. 14, n. 3; MG **60,** 116; **Journel,** 1214.
6 *Ep.* 65, n. 3; ML **4,** 408.
7 *Const. apost.*, lib. 8, c. 17-18; MG **1,** 1115.
8 *De ordinatione diaconi.*
9 *Sess.* 23, can. 6; **Denz-Bannw.,** 966.
10 *Rom.*, 16, 1; *I Tim.*, 5, 9 sqq.
11 Cfr. **S. I natius,** *Ep. ad Smyrn.*, 13; MG **5,** 858.

Earum munera describuntur in *Constitutionibus apostolicis* his verbis: «Elige diaconissam, fidelem et sanctam, ad mulierum ministeria... Diaconissa siquidem femina ad multos usus indigemus. Ac imprimis quidem, cum baptizantur mulieres, diaconus tantum earum frontem unget oleo sancto, et post diaconissa eas illinet» [1]. Non semel viduas visitare ac portas ecclesiae custodire solebant, et juxta capitula concilii carthaginensis docebant «imperitas et rusticas mulieres tempore, quo baptizandae» erant, qualiter ministro respondere et qualiter accepto baptismate vivere deberent [2].

Quamvis aliqui recentiores dixerint diaconissas ordinem clericalem per manuum impositionem et invocationem Spiritus Sancti recipere consuevisse, nihilominus, quidquid sit de ritu institutionis earum, dicendum est eas nunquam fuisse ad ordinem clericalem cooptatas. Apposite ad rem *S. Epiphanius:* «Quamquam vero diaconissarum in Ecclesia ordo est, non tamen ad sacerdotii functionem aut ullam hujusmodi administrationem institutus est, sed ut muliebris sexus honestati consulatur» [3].

§ 4

De subdiaconatu et quatuor ordinibus minoribus.

647. Nota. 1) Plures negant subdiaconatum et quatuor ordines minores esse sacramenta. Ita *Durandus, Cajetanus, Sotus, Benedictus XIV, Morinus, S. Alphonsus, Perrone, Franzelin, Pesch, Gasparri, Huarte,* et alii [4].

2) Nihilominus omnes fere antiqui et ex recentioribus non pauci defendunt subdiaconatum et quatuor ordines minores esse revera sacramenta. Ita *S. Thomas, Albertus M., S. Bonaventura, Scotus, Bellarminus,* et alii summi theologi [5]. His ex recentioribus subscribunt *Wirceburgenses, De Augustinis, Billot, Hugon, Tanquerey, Van Noort-Verhaar, Herve,* et alii [6].

648. THESIS. **Subdiaconatus et quatuor ordines minores probabilius sunt sacramenta partialia.**

Arg. 1) *Eugenius IV* sub sacramento ordinis enumerat septem ordines minores dicens: «Sextum sacramentum est ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo; sicut presbyteratus

---

[1] *Const. apost.*, lib. 3, c. 15; MG **1,** 794 sq.

[2] *Concilium carthag.* IV, c. 12; **Mansi,** 3, 952.

[3] *Haer.* 79, c. 3; MG **42,** 743.

[4] **Durandus,** *In IV Sent.*, dist. 24, q. 1, n. 9; et q. 2, n. 6; **Cajetanus,** *Opusc.* t. 1, tr. 11; **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 24, q. 1, a. 4, concl. 7; **Benedictus XIV,** *De synodo dioecesana,* lib. 8, c. 9, n. 3 sq.; **Morinus,** *De sacra ordinat.*, p. 3, exerc. 11, c. 1; **S. Alphonsus,** lib. 6, n. 737; **Perrone,** *De ordine,* n. 81; **Franzelin,** *De traditione,* th. 17; **Pesch,** *De sacram. ord.*, n. 585 sqq.; **Gasparri,** *De sacra ord.*, 1, n. 41; **Huarte,** *De ordine,* n. 20 sqq.

[5] **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 35, a. 2; et q. 37, a. 3; **Albertus M.,** *In IV Sent.*, dist. 24, a. 16 sqq.; **S. Bonaventura,** *In IV Sent.*, dist. 24, p. 1, a. 2, q. 4; **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 24, q. un., n. 12; **Bellarminus,** *De ordine,* c. 8.

[6] **Wirceburgenses,** *De sacram. ord.*, n. 64 sq.; **De Augustinis,** *De ordine,* a. 6; **Casajuana,** *De sacram. ord.*, th. 9; **Billot,** *De ordine,* th. 29, § 2; **Hugon,** *De ordine,* p. 531 sqq.; **Tanquerey,** *De sacram.*, n. 815; **Van Noort-Verhaar,** *De sacramentis,* n. 217; **Herve,** *De ordine,* n. 501.

traditur per calicis ...porrectionem; diaconatus vero... et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium adsignationem. Forma sacerdotii talis est: *Accipe potestatem...* Et sic de aliorum ordinum formis... Ordinarius minister hujus sacramenti est episcopus. Effectus augmentum gratiae, ut quis sit idoneus Christi minister» [1]. His verbis Pontifex: a) sub sacramento ordinis ponit septem ordines; b) adsignat singulorum materiam et formam; c) nominat ordinarium eorum ministrum [2].

2) *Concilium tridentinum* docet in Ecclesia praeter sacerdotium esse alios ordines *majores* et *minores* [3]. Et deinde definit sacram ordinationem (absque ulla distinctione) esse sacramentum [4]. Hinc merito adserit *Van Noort Verhaar* hanc doctrinam esse conciliis magis consentaneam [5].

3) *Pontificale romanum* ordinat, ut episcopus «moneat ordinandos, quod instrumenta, in quorum traditione character imprimitur, tangant» [6].

649. Obj. 1.° *Amalarius* ait: «Nec inordinationem (subdiaconus et minoristae) ante altare adsequuntur, eo quod nec mysteriis ministrare statuuntur» [7]. Et *Urbanus II:* «Sacros autem ordines dicimus diaconatum et presbyteratum. Hos siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse, super his solum praeceptum habemus Apostoli» [8]. Imo ipse *S. Thomas* non veritus est dicere: «In primitiva Ecclesia fuerunt soli duo ordines sacri, presbyteri et diaconi, et tamen postea Ecclesia minores sibi ordines instituit, ut Magister in Sententia dicit» [9].

Resp. Optime ad haec respondet Angelicus Doctor dicens: «In primitiva Ecclesia, propter paucitatem ministrorum, omnia inferiora ministeria diaconis committebantur... Nihilominus erant omnes praedictae potestates, sed implicite in una diaconi potestate. Sed postea ampliatus est cultus divinus, et Ecclesia, quod implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit in diversis. Et secundum hoc dicit Magister in littera, quod Ecclesia alios ordines sibi instituit» [10]. Unde Christus, cum instituit sacerdotium ut unum sacramentum, vere instituit alios ordines ut sacramenta partialia in toto. Ex hoc toto apostoli diviserunt diaconatum, et deinde Ecclesia, data opportunitate, diaconatum divisit in varios ordines ut sacramenta partialia.

Obj. 2.° In collatione ordinum minorum deest materia sacramenti ordinis, quae est manuum impositio. Ergo ordines minores non sunt sacramenta.

Resp. Nego impositionem manuum esse materiam omnium ordinum. Christus revera instituit omnes ordines, et quodammodo designavit materiam eorum. Sed, sicut diximus superius, materiam ordinis determinavit tantum in genere, et Ecclesiae reliquit facultatem determinandi eam in

---

[1] *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 701.

[2] Accurate notanda sunt verba: *Ordinarius minister hujus sacramenti est episcopus,* quibus significatur dari extraordinarium ministrum sacramenti ordinis, qui non sit episcopus. Nemo autem potest esse minister extraordinarius episcopatus, presbyteratus ac diaconatus. Ergo minister extraordinarius, qui supponitur in verbis Pontificis, se refert ad sacramenta subdiaconatus et ordinum minorum.

[3] *Sess.* 23, can. 2; **Denz-Bannw.,** 962.

[4] *Sess.* 23, can. 3; **Denz-Bannw.,** 963.

[5] *De sacramento ordinis,* n. 217.

[6] *De ordinibus conferendis,* § «Advertat».

[7] **Amalarius** (Saec. IX), *De eccl. officiis,* lib. 2, c. 6; ML **105,** 1083.

[8] *In concilio beneventano* (a. 1091), can. 1; **Mansi,** 20, 738.

[9] *Opusc.* 16 (ed. Venetiarum, 1754).

[10] *Suppl.,* q. 37, a. 2 ad 2.

specie et dividendi diaconatum in diversos ordines. Cum autem ipsum divisit, pro subdiaconatu et ordinibus minoribus designavit materiam traditionem instrumentorum [1].

ARTICULUS IV

QUAE SIT MATERIA ET FORMA SACRAMENTI ORDINIS

650. Status quaestionis. 1) Christus Dominus, cum per se ipsum instituit sacramentum ordinis, determinavit ejus materiam et formam in genere tantum, initiationem scilicet seu actionem et verba, quibus convenienter traderetur potestas in sacra, et Ecclesiae catholicae reliquit facultatem determinandi in specie actionem et verba, quibus ea potestas traderetur.

2) Ecclesia catholica hac facultate usa est, et unam materiam cum sua forma pro uno ordine et alteram materiam pro alio ordine determinavit. Imo unam materiam pro una Ecclesia et alteram pro alia Ecclesia designavit, et nunc unam nunc alteram pro eodem ordine sub materia generica a Christo determinata contentam et ad tradendam potestatem in sacra aptam excogitavit.

3) Variationes quoad utrumque introductae sunt in Ecclesia tum graeca tum latina: a) In Ecclesia graeca, sola manuum impositio cum sua forma adhibetur in sacra ordinatione. b) In Ecclesia latina ordinatio episcopi, presbyteri et diaconi fiebat manuum impositione, et subdiaconatus ac ordines minores conferebantur per traditionem instrumentorum cum subjecta materia. At, si fides est Card. Van Rossum [2] aliisque in liturgia peritis, saeculo X cognoscebatur usus tradendi librum Evangeliorum diacono et calicem cum vino ac patenam cum hostia presbytero in ordinatione cum respectivis formulis. Saeculo XII dicitur introducta tertia manuum impositio in fine missae cum verbis: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseritis*, etc. [3].

4) Disputatio praecipue versatur circa materiam et formam ordinationis presbyteri, et, ut scite animadvertit *Card. Billot* [4] controversia quoad materiam reducitur ad impositionem manuum et porrectionem instrumentorum, et quoad formam controversia est circa verba, quae Pontifex pronuntiat in applicatione materiae. Sed quia multiplex est in ordinatione presbyteri manuum impositio ac porrectio instrumentorum, et non una est formula, quam recitat minister, plures sunt hac in re doctorum sententiae.

651. Placita theologorum. Cl. *Card. Van Rossum* eruditissime expendit hanc quaestionem, et refert sex auctorum sententias.

Prima sententia defendit unicam materiam ordinationis sacerdotalis esse

---

[1] Cfr. **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 37, a. 2, ad 2; **Albertus M.,** *In IV Sent.*, dist. 24, a. 36; **S. Bonaventura,** *In IV Sent.*, dist. 24, p. 2, a. 2, q. 1 ad 3 et 4; **Argentina,** *In IV Sent.*, dist. 24, q. un., a. 2 ad 7; **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 24, q. un., «Ad tertium dico».

[2] *De essentia sacrae ordinationis*, n. 295 sqq.; et n. 323.

[3] Cfr. **Van Rossum,** *De essentia sacrae ordinationis*, n. 354.

[4] *De ordine*, th. 30.

traditionem patenae cum pane et calicis cum vino; formam vero illa verba, quae profert Pontifex in traditione: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, missasque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Domini.* Ita *Albertus M., Richardus a Mediavilla, Durandus, Capreolus, Victoria, Sotus, Valentia, Philippus a SS. Trinitate, Gabriel a S. Vincentio,* et alii [1].

Secunda sententia docet duplicem potestatem conferri sacerdoti in ordinatione, ordinis scilicet in corpus Christi reale, et jurisdictionis in corpus Christi mysticum, atque ideo duplicem esse ordinationis sacerdotalis materiam et formam; unam, quae consistit in traditione patenae cum hostia et calicis cum vino sub forma: *Accipe potestatem offerre sacrificium,* etc.; et alteram, quae consistit in manuum impositione cum verbis: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata,* etc. Ita *Scotus, Sylvius, Vazquez, Bellarminus, Lessius, Salmanticenses morales, Antonius a Spiritu Sancto, Platelius, Dominicus a SS. Trinitate, Frassen, Billuart,* et alii plures [2].

Tertia sententia pariter requirit duplicem materiam in ordinatione sacerdotis, primam scilicet impositionem manuum Pontificis in silencio et traditionem instrumentorum cum formula: *Accipe potestatem offerre* etc. Hanc sententiam tenent *Liberius a Jesu, Berti, Bonal, Billot, Noldin, Del Val, Herve,* et alii [3].

Quarta sententia in tribus reponit materiam et formam ordinationis sacerdotalis, in prima scilicet manuum impositione cum invocatione Spiritus Sancti, in traditione instrumentorum cum verbis: *Accipe potestatem offerre,* etc.; et in ultima manuum impositione cum verbis: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata,* etc. Sic *Lugo, Gotti, Egger,* et alii pauci [4].

Quinta sententia docet materiam et formam ordinationis esse *vel* primam manuum impositionem cum invocatione Spiritus Sancti, *vel* traditionem instrumentorum cum formula: *Accipe potestatem offerre sacrificium,* etc. Ita *Amicus, Diana,* et alii [5]. Sed merito animadvertit *Herve* [6] hanc opinionem a nemine hodie defendi.

Sexta sententia tenet materiam et formam ordinationis sacerdotalis esse primam manuum impositionem manu extensa Pontificis sub invocatione Spiritus Sancti (sub praefatione juxta Gasparri) continuatam. Ita *Guillermus Parisiensis, S. Bonaventura, Bachonus, Waldensis, Becanus, Contenson, Habert, Tournely, Martene, S. Alphonsus, Perrone, De Augustinis, Bal-*

---

[1] **Albertus M.,** *In IV Sent.*, dist. 24, a. 38; **Richardus a Mediavilla,** *In IV Sent.*, dist. 24, a. 4, q. 3; **Durandus,** *In IV Sent.*, dist. 24, q. 3, n. 6; **Capreolus,** *In IV Sent.*, dist. 24, q. 1, a. 3, ad 3 arg. 1 conclusionis Scoti; **Victoria,** *Summa sacram. ordinis*, n. 229; **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 24, q. 1, a. 4 «Hinc fit»; **Valentia,** *In III p.*, disp. 9, *De sacram. ordinis*, q. 1, p. 5; **Philippus a SS. Trinitate,** *De sacramentis*, disp. 2, dub. 4; **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramento ordinis*, disp. 1, q. 5.

[2] **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 24, q. un., a. 3, n. 9; **Sylvius,** *In Suppl.*, q. 37, a. 2, q. 4; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 239, c. 3 et 5; **Bellarminus,** *De ordine*, c. 9; **Lessius,** *De sacram. ordinis*, c. 1, dub. 5 et 6; **Salmanticenses morales,** *De sacramentis*, tr. 8, c. 3, p. 5; **Antonius a Spiritu Sancto,** *Direct. confess.*, tr. 9, disp. 2, sect. 2, n. 29; **Platelius,** *De sacramento ordinis*, n. 1004 sqq.; **Dominicus a SS. Trinitate,** *Bibliotheca theologica*, lib. 4, sect. 11, c. 74; **Hiquaeus,** *In IV Sent.*, dist. 24, q. un., n. 127 (ed. Vives, t. 19, p. 97); **Frassen,** *Scotus academicus, De ordine*, disp. 1, a. 2, § 7; **Billuart,** *De sacramento ordinis*, diss. 1, a. 3.

[3] **Liberius a Jesu,** *Controv.*, tr. 7, p. 1, disp. 2, controv. 2; **Berti,** *De theologicis disciplinis*, lib. 36, c. 12; **Bonal,** *Inst. theol., De ordine*, n. 30; **Billot,** *De ordine*, th. 30; **Noldin,** *De ordine*, n. 456; **Del Val,** *De sacram. ord.*, a. 2, n. 17; **Herve,** *De ordine*, n. 506 sq. Huic sententiae favet Angelicus, ut videbimus infra.

[4] **Lugo,** *De sacram. in genere*, disp. 2, sect. 5, n. 90 et 98; **Gotti,** *De sacramentos ordinis*, q. 6, dub. 2, § 1; **Egger,** *Enchiridion*, tr. 12, c. 2, a. 2.

[5] **Amicus,** *De sacramentis in genere*, disp. 2, sect. 4; **Diana,** *Resol. morales*, p. 3, tr. 4, resol. 187.

[6] *De ordine*, n. 505.

lerini, Franzelin, Marc, D'Annibale, Sasse, Palmieri, Mendive, Katschthaler, Gasparri, Pesch, Van Rossum, et alii plurimi [1].

652. THESIS. **Materia ordinationis sacerdotalis in Ecclesia latina est prima manuum impositio, in qua episcopus nihil dicit, et traditio instrumentorum; forma vero verba Pontificis: «Accipe potestatem offerre sacrificium Deo missasque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Domini».**

Nota. Triplex potissimum ratio me movit ad hanc sententiam amplectendam: 1) Christus non determinavit in specie materiam et formam sacramenti ordinis, sed Ecclesiae reliquit facultatem eas determinandi, quidquid in contrarium dicant aliqui theologi. Ecclesia autem hac facultate usa est, et non semel determinavit ultra manuum impositionem porrectionem instrumentorum, ut in probationibus videbimus. 2) Traditioni satis universali innixus probabilius puto subdiaconatum et ordines minores esse sacramenta partialia, simul cum sacerdotio a Christo instituta, et per Ecclesiam deinde separata. In his autem non habetur manuum impositio, sed sola porrectio instrumentorum, et probabilius exsistimo hanc materiam fuisse ab Ecclesia pro ipsis determinatam. Ad rem Innocentius IV: «De ritu apostolico invenitur in epistola ad Timotheum, quod manus imponebant ordinandis, et quod orationes fiebant super eos. Aliam autem formam non invenimus ab eis servatam. Unde credimus, quod, nisi essent formae postea inventae, sufficeret ordinatori dicere: *Sis sacerdos,* vel alia aequipollentia verba. Sed subsequentibus temporibus formas, quae servantur, Ecclesia ordinavit» [2]. 3) Manuum impositio simul cum oratione, quam plures volunt esse materiam ordinationis, revera non est manuum impositio, quia Pontifex in illa extendit, non imponit, manum dexteram super omnes ordinandos. Admodum difficile est salvare materiam ordinationis in hac manus extensione super omnes, ut videbimus infra.

Pars 1.ª

Arg. *Concilium florentinum* in Decreto pro armenis ait: «Sextum sacramentum est ordinis, cujus materia est illud per cujus traditionem confertur ordo; sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem. Diaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem» [3]. His verbis satis declaravit concilium traditionem instrumentorum, prout ab antiquis temporibus fiebat in Ecclesia latina, esse materiam essentialem ordinationis. Non videtur tamen concilium per hoc excludere voluisse manuum imposi-

---

[1] **Guillermus Parisiensis,** *De sacramento ordinis,* c. 2 «Ordinari quid sit»; **S. Bonaventura,** *In IV Sent.,* dist. 24, p. 2, a. 1, q. 4 «Sed quoniam» et «Ad illud»; **Bachonus,** *In IV Sent.,* dist. 25, q. 1, a. 2; **Waldensis,** *Doctrinale fidei,* t. 2, *De sacramento ord.,* c. 123; **Becanus,** *De sacramentis,* c. 26, q. 4, concl. 3; **Contenson,** lib. 11, p. 4, diss. 3, c. 1, spec. 2; **Habert,** *De sacram. ord.,* p. 1, c. 7, q. 5; **Tournely,** *De sacramento ord.,* q. 3, concl. 1; **Martène,** *De antiq. Ecclesiae rit.,* lib. 1, c. 8, a. 9, n. 16; **S. Alphonsus,** lib. 6, n. 749; **Perrone,** *De ordine,* n. 622; **De Augustinis,** *De ordine,* a. 7; **Ballerini,** *Op. theol. mor.,* tr. 10, sect. 7, n. 13; **Franzelin,** *De sacramentis in genere,* th. 5; **Marc,** n. 1901; **D'Annibale,** lib. 3, tr. 2, n. 290; **Sasse,** *De sacram. ord.,* c. 3, th. 7 et 8 et c. 4; **Palmieri,** *De Rom. Pontif.,* Proleg., § 5; **Mendive,** *De sacram. ord.,* n. 36-41; **Katschthaler,** *De sacram. ord.,* n. 860 sqq.; **Gasparri,** *De sacra ordinatione,* n. 1079; **Pesch,** *De ordine,* n. 622; **Van Rossum,** *De essentia sacrae ordinationis,* n. 482.

[2] Glossa super caput «Presbyter».

[3] *Decretum pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 701.

tionem, quae inde ab apostolis erat in usu. Hinc duplicem partialem materiam reliquit pro presbyteratu et diaconatu.

Forma autem cujuslibet sacramenti constituitur verbis, quae a ministro pronuntiantur in applicatione materiae.

Non parum disputant theologi de valore memorati Decreti pro armenis.

Omnes quidem concedunt Decretum esse actum conciliarem, sed quoad ejus valorem diversimode sentiunt. Aliqui volunt illud esse meram instructionem armenis datam et opinionem erroneam continere ex opusculo S. Thomae *In articulos fidei et sacramenta expositio* mutuatam [1]. Alii dicunt in eo ritum disciplinarem, qui ad essentiam sacramenti non pertinet, praescribi [2]. Cl. *De Smet* et *Verhaar* putant Decretum esse actum magisterii Ecclesiae, non omnino infallibilem seu irreformabilem, cui debeatur adsensus religiosus [3]. Profundissimus *Hugon*, *L'Ami du Clergé* et alii docent Decretum esse dogmaticum [4].

Revera puto hoc Decretum esse actum concilii oecumenici et continere doctrinam magisterii Ecclesiae.

Est actus concilii oecumenici, quia editum est «sacro approbante florentino concilio, ipsis oratoribus ad hoc etiam consentientibus» [5], et datum est «in publica sessione synodali solemniter in Ecclesia majori celebrata» [6].

Continet doctrinam magisterii Ecclesiae, quia, ut ipsum Decretum ait, tradit «ecclesiasticorum sacramentorum veritatem pro ipsorum armenorum tam praesentium quam futurorum doctrina» [7].

Ut optime ad rem arguit *Card. Billot* [8], theologi huic decreto in aliis materiis religiose inhaerere consueverunt, et concilium tridentinum plerasque formulas dogmaticas in doctrina sacramentorum ex eo sumpsit, ut *sacramenta conferre gratiam* non ponentibus obicem; ad sacramentorum valorem requiri *intentionem faciendi quod facit Ecclesia;* tria sacramenta *imprimere characterem;* et alia plura. Quidni valeat, ubi nominat materiam et formam sacramenti ordinis?

Corollarium. *Materia adaequata sacramenti ordinis.* Cum Decretum pro armenis nominat traditionem instrumentorum tantum, non videtur adsignare materiam adaequatam ordinis, nec excludere manuum impositionem, ut aliqui volunt, sed commemorare voluit materiam essentialem, quae est communis omnibus sacramentis. Egit de materia et forma omnium ordinum, atque ideo nominavit porrectionem instru-

---

[1] **Van Rossum,** *De essentia sacramenti ordinis;* n. 459.

[2] **Benedictus XIV,** *De synodo dioecesana,* lib. 8, c. 10, n. 8; **Denz-Bannw.,** n. 701 in nota; **Pesch,** *De sacramento ordinis,* n. 628; **M. Quera,** *Estudios eclesiásticos,* 1927, p.p 54 sqq.

[3] **De Smet,** *De sacramentis in genere,* ed. 2, p. 7 et 8 in nota; **Verhaar,** *De sacramento ordinis,* n. 225 sqq.

[4] **Hugon,** *Tractatus dogmatici,* vol. 5, pp. 510-515; *L'Ami du Clergé,* 1925 pp. 161-177.

[5] **Mansi,** 31, 1050.

[6] **Mansi,** 31, 1060.

[7] **Denz-Bannw.,** 695.

[8] *De sacramento ordinis,* th. 30.

mentorum, quae est omnibus ordinibus communis, quin describeret materiam adaequatam ordinum sacerdotii et diaconatus, quae in instrumentorum traditione simul et manuum impositione continetur.

Instrumentorum traditio est essentialis in ordinatione sacerdotali, ut habetur ex Decreto pro armenis, et impositio manuum est pariter essentialis juxta declarationem Leonis XIII dicentis: «Idque in sacramento ordinis manifestius apparet, cujus conferendi materia, quatenus hoc loco se dat considerandam, est manuum impositio» [1].

Pars 2.ª Forma ordinationis sacerdotalis est: Accipe, etcetera.

Ratio est, quia forma sacramentorum consistit in verbis, quae minister pronuntiat in applicatione materiae. Haec autem sola verba pronuntiat Pontifex dum applicat materiam ordinationis sacerdotalis.

653. Scholion I. *De mente S. Thomae.*

Angelicus Doctor admisit materiam adaequatam ordinationis sacerdotis et diaconi consistere in manuum impositione et instrumentorum traditione.

Diserte docuit imprimis porrectionem instrumentorum esse essentialem, ut videri potest in opusculo IV: *In articulos fidei et sacramenta Ecclesiae expositio*, et in *Supplemento*, q. 34, a. 5 ad 3; et q. 37, a. 5.

Et alibi ait: «Impositio manuum in sacramentis Ecclesiae fit ad designandum aliquem copiosum gratiae effectum, quo illi, quibus manus imponuntur, quodammodo per quamdam similitudinem continuantur ministris, in quibus copia gratiae esse debet. Et ideo manus impositio fit in sacramento confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus Sancti, et in sacramento ordinis, in quo confertur quaedam excellentia potestatis in divinis mysteriis; unde et II ad Timotheum, 1, 6, dicitur: *Resuscites gratiam, quae est in te per impositionem manuum mearum*» [2]. Et rursum: «Per manus impositionem datur (ordinandis) plenitudo gratiae, per quam ad magna officia sunt idonei» [3].

Ex his sponte sua sequitur juxta S. Thomam non solum porrectionem instrumentorum, sed etiam manuum impositionem esse in ordinatione sacerdotis et diaconi essentialem. Id enim, per quod in sacramento datur plenitudo gratiae, oportet esse essentiale sacramento.

654. Scholion II. *Quid dicendum de sententia, quae materiam ordinationis ponit in sola manuum impositione.*

Defensores hujus sententiae totam essentiam ordinationis sacerdotalis reponere solent in prima manuum episcopi impositione per sequentem dexterae super ordinandos extensionem continuata, et in oratione, quam episcopus manu extensa recitat [4].

Sed haec opinio graves patitur difficultates:

1) Episcopus imponit primo manus singillatim super ordinandos

[1] Litterae *Apostolicae curae*, de ordinationibus anglicanis, 13 Sept., 1896; *Acta S. Sedis*, 29, 199.

[2] *III p.*, q. 84, a. 4.

[3] *Suppl.*, q. 37, a. 5.

[4] **Pesch,** *De sacramento ordinis*, n. 622; **Arregui,** *Summarium theol. moralis*, n. 670.

nihil dicens, et deinde manu extensa super omnes recitat invocationem. Ubi sunt plures ordinandi, a prima manus impositione ad manus extensionem consumitur fere quadrans, et post hoc temporis spatium fit manus extensio super ordinandos per ecclesiam dispersos, et recitatur oratio: *Exaudi nos*, etc.

2) Si in hoc consisteret sacerdotum ordinatio, Pontifex advocaret ad se omnes singillatim ordinandos ad applicationem materiae sine forma, et deinde post longum temporis spatium omnes simul quasi gregatim ordinaret. Sed hoc est inconveniens.

3) Dexterae Pontificis extensio post quadrantem non videtur esse continuatio primae impositionis manuum facta in silentio, nec est proprie dicta impositio, quia fit ad longam distantiam. Hinc oratio, quam haec sententia vult esse formam, non applicatur simul cum materia.

4) Praeterea, oratio *Exaudi nos* est pure deprecativa, et forma sacramenti ordinis debet esse adsertiva.

5) Denique, videtur praxi Ecclesiae esse parum consentaneum, ut plures diaconi cum unica forma simul et ad distantiam ordinentur sacerdotes.

655. Scholion III. *Materia ordinationis* diaconi est pariter impositio manuum episcopi et traditio libri evangeliorum. Forma vero his verbis continetur: *Accipe potestatem legendi evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Domini. Amen.*

Essentia subdiaconatus et ordinum minorum consistit in traditione instrumentorum et verbis, quae simul pronuntiat episcopus. Constat ex Decreto concilii florentini pro armenis.

Corollarium. Merito animadvertunt theologi communiter in praxi tutiorem partem esse sequendam. Unde ordinationes repetendae sunt, si omissa fuerit manuum impositio vel instrumentorum traditio, sicut etiam, si omittantur oratio super ordinandos post primam manuum impositionem, aut verba, quae pronuntiari debent in instrumentorum traditione.

ARTICULUS V

DE MINISTRO SACRAMENTI ORDINIS

656. Minister sacramentorum est, qui illa confert. Hic quaerimus, quis possit in Ecclesia sacros ordines conferre.

Errores. Haeretici quidam, ut *Aerius* saeculo IV, *Marsilius patavinus* saeculo XIV, *Wiclefus* saeculo XV, et *protestantes* saeculo XVI, dicebant presbyteros esse jure divino episcopis aequales, et omnes presbyteros habere potestatem conferendi sacros ordines.

657. THESIS I. **Minister ordinarius validae ordinationis est solus episcopus consecratus; minister vero ordinarius licitae ordinationis est episcopus ordinandi proprius.**

Pars 1.ª Minister ordinarius validae ordinationis est episcopus consecratus.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Ex sacris litteris conjici licet solos episcopos accepisse potestatem constituendi ministros Ecclesiae. *Apostoli*

septem viros a multitudine electos constituerunt diaconos per manuum impositionem [1]; *Paulus* et *Barnabas* episcopi consecrati per singulas ecclesias constituerunt presbyteros [2]; et *Paulus* edocuit Timotheum et Titum, episcopos, quibus deberent sacros ordines conferre [3].

2) *Ex conciliis.* Concilium florentinum diserte ait: «Ordinarius minister hujus sacramenti est episcopus» [4], Concilium tridentinum: *Si quis dixerit episcopos non esse presbyteris superiores; vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem... a. s.* [5].

3) *Ex SS. Patribus. S. Epiphanius:* «Totum illud (Aerii placitum) stoliditatis esse plenissimum prudens quisque facile perspicit, velut cum episcopum et presbyterum adaequare conatur... Episcoporum ordo ad gignendos patres praecipue pertinet, patres enim gignit Ecclesiae... Alter, cum patres non possit, filios Ecclesiae regenerationis lotione producit, non tamen patres aut magistros» [6].

S. Hieronymus: «Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat» [7].

4) *Statuta Ecclesiae antiqua* loquuntur de singulis ordinationibus, et solum episcopum nominant ut omnium ordinum ministrum [8].

5) *Codex Juris Canonici* ait: «Sacrae ordinationis minister ordinarius est episcopus consecratus» [9].

6) Communis est circa hoc theologorum sententia. Videndi sunt *S. Thomas, Bellarminus, Vazquez, Liberius a Jesu,* et alii [10].

Dixi *Episcopus consecratus:* quia episcopi electi, licet habeant jurisdictionem, potestatem tamen ordinandi non accipiunt nisi in consecratione.

658. Scholion I. *Ordinationes ab episcopis haereticis et schismaticis factae validae sunt.*

Constat:

1) *Ex declarationibus Ecclesiae.* Concilium nicaenum I decrevit, ut cathari (novatiani) ad apostolicam Ecclesiam accedentes, «impositis eis manibus, sic in clero maneant» [11]. Haereticis ad Ecclesiam redeuntibus fiebat manus impositio ad poenitentiam, non ad reordinationem, nam reordinationes prohibitae erant juxta illud concilii carthaginensis III, a. 397: «Non liceat fieri rebaptizationes et reordinationes» [12].

---

1 *Act.*, 6, 6.
2 *Act.*, 14, 22.
3 *I Tim.*, 3, 1 sqq.; *Tit.*, 1, 5.
4 *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 701.
5 *Sess.* 23, can. 7; **Denz-Bannw.,** 967.
6 *Haer.* 75, c. 4; MG **42,** 507; **Journel,** 1108.
7 *Ep.* 146 *ad Evang.*, n. 1; ML **22,** 1194; **Journel,** 1357.
8 *Statuta Ecclesiae antiqua*, n. 90 sqq.; ML **56,** 887; **Mansi,** 3, 951; **Denz-Bannw.,** 150 sqq.
9 *Can.* 951.
10 **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 38, a. 1; **Bellarminus,** *De clericis,* lib. 1, c. 4; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 243, c. 1; **Liberius a Jesu,** *Controv.*, tr. 7, disp. 2, controv. 8, (t. 5, p. 172).
11 *Can.* 8; **Mansi,** 2, 671. Haec verba interprete Dionysio Exiguo leguntur: «Impositionem manus accipientes, sic in clero permaneant». **Mansi,** 2, 680; **Denz-Bannw.,** 55.
12 *Can.* 38; **Mansi,** 3, 886.

Concilium arelatense I, a. 314, ait: «Si iidem (traditores) aliquos ordinasse fuerint deprehensi, et hi, quos ordinaverunt, rationales subsistunt, non illis obsit ordinatio» [1].

2) *Ex SS. Patribus.* *S. Augustinus* strenue defendit ordines eorum, qui extra Ecclesiam ordinati sunt, non esse iterandos, quia in eis «ordinatio mansit integra... et cum expedire hoc judicatur Ecclesiae, ut praepositi eorum, venientes ad catholicam societatem, honores suos ibi non administrent, non eis tamen ipsa ordinationis sacramenta detrahuntur, sed manent super eos» [2]. «Sicut redeunti non redditur, quod foris habebat, sic venienti non repetendum est, quod etiam foris acceperat» [3].

S. Anastasius II: «Virtus (sacramenti) nulla ministri indignitate constringitur» [4].

S. Gregorius M. ad Quiricum et episcopos Hiberniae scripsit: «Quicumque a perverso errore Nestorii revertuntur... absque ulla dubitatione eos sanctitas vestra, servatis eis propriis ordinibus, in suo coetu recipiat» [5].

3) *Ex ratione.* Ratio est perspicua, quia, ut diximus superius, n. 148, ad valorem sacramentorum non requiritur fides in ministro.

659. Scholion II. *Valent etiam ordinationes factae ab episcopis simoniacis.*

S. Petrus Damianus defendit validitatem harum ordinationum, et ait: «Quibus tamen, si catholica fiat (a simoniacis) ordinatio, sacrae dignitatis officium, ad quod non merentes accedunt, perfecte suscipiunt. Ejusdem namque virtutis est Spiritus Sanctus, cum ejus gratia venditur, cujus est et cum gratis datur» [6].

Pars 2.ª Minister ordinarius licitae ordinationis est episcopus ordinandi proprius.

Hoc constat ex conciliis et ex Codice Juris Canonici.

Concilium antiochenum, a. 341, ait: «Nec presbyterum nec diaconum audeant (corepiscopi) ordinare absque urbis episcopo, cui subjicitur ipse et regio» [7].

Concilium tridentinum: «Unusquisque a proprio episcopo ordinetur... si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum ordinum executione, quandiu proprio ordinario videbitur expedire, sit suspensus» [8].

Codex Juris Canonici: «Unusquisque a proprio episcopo ordinetur, aut cum legitimis dimissoriis. Episcopus proprius, justa causa non impeditus, per se ipse suos subditos ordinet, sed subditum orientalis ritus, sine apostolico indulto, licite ordinare non potest» [9].

---

1 *Can.* 13; **Mansi,** 2, 472; **Kirch,** 372.
2 *Contra ep. Parm.,* lib. 2, c. 13, n. 28; ML **43,** 70 sq.
3 *Contra ep. Parm.,* lib. 2, c. 13, n. 30; ML **43,** 72.
4 Ep. «Exordium» ad Anastasium Augustum; **Denz-Bannw.,** 169.
5 *Epistolarum lib.* 11, ep. 67; ML **77,** 1208.
6 *Opusc. VI,* liber, qui appellatur «Gratissimus», c. 6; ML **145,** 105.
7 *Can.* 10; **Mansi,** 2, 1311; **Kirch,** 494.
8 *Sess.* 23, c. 8, *De reformatione.*
9 *Can.* 955.

Episcopus proprius in casu «est tantum episcopus dioecesis, in qua promovendus habeat domicilium una cum origine aut simplex domicilium sine origine, servatis tamen, quae preascribit canon 956» [1].

660. THESIS II. **Quosdam ordines conferre potest simplex presbyter ex delegatione.**

Arg. 1) *Gelasius papa* de presbyteris ait: «Nec sibi meminerint ulla ratione concedi, *sine summo Pontifice*, subdiaconum aut acolythum jus habere faciendi» [2].

2) Hoc privilegium a summis Pontificibus saepe fuisse concessum documenta ecclesiastica referunt.

3) *Codex Juris Canonici* haec habet: «Sacrae ordinationis minister... extraordinarius (est), qui, licet charactere episcopali careat, *a jure vel a Sede Apostolica* per peculiare indultum potestatem acceperit aliquos ordines conferendi» [3].

661. Scholion I. *Quos ordines possit simplex presbyter facultate delegata conferre.*

1) Facultate a jure concessa possunt conferre tonsuram et ordines minores: a) Cardinales presbyteri omnibus, qui habeant dimissorias proprii Ordinarii litteras [4]. b) Vicarius ac Praefectus Apostolicus, Abbas vel Praelatus *nullius* in proprio territorio et durante tantum munere tum propriis subditis ad norman canonis 956, tum aliis qui litteras dimissorias jure requisitas exhibeant [5]. c) «Abbas regularis de regimine, etsi sine territorio *nullius*... dummodo promovendus sit ipsi subditus vi professionis saltem simplicis, ipse vero sit presbyter et benedictionem abbatialem legitime acceperit» [6].

2) Romanus Pontifex potest cuilibet presbytero concedere facultatem conferendi tonsuram et quatuor ordines minores, ut patet ex verbis Codicis supra relatis.

An episcopus possit hanc facultatem presbytero concedere, disputatum est aliquando [7], sed jam olim haec facultas reservata est Romano Pontifici. *Gregorius IX* ait: «Licet episcopus committere valeat, quae jurisdictionis exsistunt, quae ordinis tamen episcopalis sunt, non potest inferioris gradus clericis demandare» [8]. Quaestionem resolvit *Codex Juris Canonici*, quando dicit ministrum extraordinarium aliquorum ordinum esse, qui «a jure vel a Sede Apostolica per peculiare indultum potestatem acceperit aliquos ordines conferendi» [9].

662. Scholion II. *An Summus Pontifex concesserit aliquando vel concedere possit simplici presbytero facultatem conferendi subdiaconatum.*

---

1 *Can.* 956.
2 *Ep.* 9, c. 6; ML **59,** 50.
3 *Can.* 951.
4 *Codex Juris Canonici*, can. 239, § 1, n. 22.
5 *Codex Juris Canonici*, can. 957.
6 *Codex Juris Canonici*, can. 964, 1.°
7 Cfr. **Hallier,** *De sacris elect. et ordinat.*, p. 2, sect. 5, c. 1, n. 9.
8 *Decret.* lib. 3, tit. 40, c. 9; Cfr. **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 38, a. 1 ad 3.
9 *Can.* 951.

Aliqui, ut *S. Thomas, Paludanus, Capreolus*, et alii [1] negare videntur.

Alii, ut *Hallier, Katschthaler* et alii [2] sententiam affirmativam vocant *probabilem;* alii ut Pesch [3] *evidentem.*

Sententia affirmativa vere probabilis est. Subdiaconatus enim antiquitus recensebatur inter ordines minores.

663. Scholion III. *Simplex presbyter non potest a Summo Pontifice delegari, ut diaconatum conferat.* Communior et certa.

Ratio, quam adducit *S. Thomas* pro ordinibus majoribus, valet praesertim pro diaconatu, quia hic ordo proxime refertur ad eucharistiam, cujus administrandae facultas tribuitur diacono.

In contrarium objici solet privilegium, quod dicitur ab Innocentio VIII, a. 1489, per Bullam *Exposcit* abbatibus cisterciensibus concessum, ut possent diaconatum suis subditis conferre. *Vazquez* adserit se Pontificis Bullam, qua hoc privilegium concedebatur, in vetusto codice Compluti legisse [4]. Alii contendunt praefatam Bullam nunquam exstitisse [5].

Quaestionem penitus solvit *Card. Gasparri* dicens: «Dum multi de Bullae genuinitate dubitant, mihi, facta inspectione in archivo vaticano, relatum est Bullam quidem ibidem reperiri, sed mentionem de diaconatu in eadem deesse» [6].

Armeni docebant «quod catholicon minoris Armeniae dedit potestatem cuidam presbytero, ut posset ordinare in diaconos, quos vellet de subjectis». Hic error damnatus est a Benedicto XII [7].

664. Scholion IV. *Romanus Pontifex non potest simplici presbytero committere, ut presbyterum aut episcopum ordinet.* Certum.

Romanus Pontifex nunquam hanc commissionem simplici presbytero dedit, et, ut apposite ait Card. Gasparri, «soli episcopo proprium esse videtur, ut valeat creare sibi pares» [8] in sacerdotio.

665. Obj. 1.° Ex sacris canonibus constat corepiscopos, qui erant simplices sacerdotes, contulisse saepe presbyteratum. *Concilium ancyranum*, a. 314, statuit: «corepiscopos non licere presbyteros vel diaconos ordinare... nisi cum litteris ab episcopo permissum fuerit» [9]. Et *concilium antiochenum*, a. 341, prohibuit ipsis, ne «absque urbis episcopo», id est, sine consensu episcopi proprii, auderent presbyterum aut diaconum ordinare» [10]. Ergo corepiscopi, simplices presbyteri, cum licentia episcopi poterant presbyteros ordinare.

Resp. Corepiscopi, attenta eorum institutione, erant quidem simplices presbyteri, sed in praxi plures erant episcopi auxiliares, ut clarissime pro-

---

[1] **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 38, a. 1 ad 2; **Paludanus,** *In IV Sent.*, dist. 25, q. 1, a. 2; **Capreolus,** *In IV Sent.*, dist. 7, q. 2, a. 3 ad 3 et 10.

[2] **Hallier,** *De sacris elect. et ordinat.*, p. 2, sect. 5, c. 1, § 3; **Katschthaler,** *De sacramento ordinis*, n. 665.

[3] *De sacramento ordinis*, n. 665.

[4] *In III p.*, disp. 243, c. 4, n. 39.

[5] Hanc Bullam **Giraldi,** 1, sect. 105, refert ad V idus Aprilis 1487; dum **Vazquez,** *In III p.*, disp. 243, c. 4, n. 39, adscribit eam ad V idus Ap. 1489.

[6] *De sacra ordinatione*, vol. 2, n. 789.

[7] *Error* 95, damnatus a Benedicto XII, a. 1341; **Denz-Bannw.,** 548.

[8] *De sacra ordinatione*, vol. 2, n. 798.

[9] *Concilium ancyranum*, a. 314, can. 13; **Mansi,** 2, 518.

[10] *Concilium antiochenum*, a. 341, can. 10; **Mansi,** 2, 1311.

bat *Liberius a Jesu* [1]. Hinc, concilium nicaenum statuit, ut episcopi in haeresim lapsi, si in Ecclesiam reverterentur, inter corepiscopos admitterentur [2]. Corepiscopi igitur, de quibus agunt memorata concilia, erant charactere episcopali insigniti.

Obj. 2.° *Bonifacius IX*, a. 1400, facultatem fecit abbati S. Osithae in Anglia et ejus successoribus, ut «omnibus et singulis canonicis praesentibus et futuris professis ejusdem monasterii omnes minores necnon *subdiaconatus, diaconatus* et *presbyteratus* ordines, statutis a jure temporibus libere et licite valeant» conferre [3].

Resp. Haec concessionis verba indigent recta interpretatione.

Sensus verborum non est Bonifacium IX concessisse abbati S. Osithae, simplici sacerdoti, facultatem conferendi *per se ipsum* suis subditis ordines majores. Hoc enim absonum est. Concessit solummodo praefato abbati ejusque successoribus *privilegium exemptionis* a proprio Ordinario quantum ad ordinationem, ita ut possent suos subditos promovere ad ordines *subdiaconatus, diaconatus* et *presbyteratus* per quemcumque episcopum, *independenter a proprio episcopo.*

Ita esse privilegium interpretandum suadent: 1) Ipsa natura privilegii, quae aliter esset omnino inconsueta; 2) verba episcopi londinensis, qui apud Pontificem reclamavit «eo quod litterae et indulta hujusmodi in gravem ipsius episcopi et *jurisdictionis suae ordinariae* ac Ecclesiae londinensis laesionem vergeret» [4]. Hanc rationem adduxit episcopus londinensis contra privilegium exemptionis. Si abbati facta fuisset facultas conferendi ordines *per se ipsum*, querela episcopi de restrictione suae jurisdictionis, non habuisset locum. 3) Hanc interpretationem adhibent ephemeris «*Estudios eclesiasticos*» et cl. *Herve* [5].

666. Scholion V. *Ad validam consecrationem episcopi sufficit unus episcopus, ad licitam vero requiruntur tres, nisi Sedes Apostolica in hoc dispensaverit.*

1) *Quoad valorem. S. Gregorius* scripsit S. Augustino anglorum episcopo: «In anglorum Ecclesia, in qua adhuc solus tu episcopus inveniris, ordinare episcopum non aliter nisi sine episcopis potes» [6].

Codex Juris Canonici expresse adserit Sedem Apostolicam in hoc dispensare posse [7].

Quamvis tres episcopi adsistant, unus, qui formam profert, consecrat.

2) *Quoad liceitatem.* Quamvis concilium arelatense (a. 314) exoptaret, ut episcopus alium in episcopum non ordinaret, «nisi adsumptis secum aliis septem episcopis» [8], antiqua consuetudo, confirmata a Pontificali Romano [9], a Statutis Ecclesiae antiquis [10], et a concilio nicaeno I [11], ubique praevaluit, qua episcopus in consecratione episcopi duos adsumat episcopos adsistentes, nisi aliquando Sedes Apostolica in hoc dispensaverit.

---

1 *Controv.*, tr. 7, p. 1, disp. 3, controv. 5; (t. 5, p. 254).
2 *Concilium nicaenum*, a. 325, can. 8; **Mansi,** 2, 671.
3 *Archiv. vat.*, Reg. lat., 81, fol. 264.
4 Cfr. *Estudios eclesiásticos*, Apr. 1925.
5 *Estudios eclesiásticos*, Apr. 1925; **Herve,** *De ordine*, n. 514.
6 *Epist. lib.* 11, ep. 64; resp. ad 8.am interog.; ML **77,** 1191.
7 *Can.* 954.
8 *Concilium arelatense* (a. 314), can. 20; **Mansi,** 2, 473.
9 *De consecratione electi in episcopum.*
10 *Statuta Ecclesiae antiqua* (saec. V), 90; **Denz-Bannw.,** 150.
11 *Concilium nicaenum I* (a. 325), can. 4; **Mansi,** 2, 670.

Quare *Codex Juris Canonici* ait: «Episcopus consecrator debet alios duos episcopos adhibere, qui sibi in consecratione adsistant, nisi hac super re a Sede Apostolica dispensatum fuerit» [1].

ARTICULUS VI

DE SUBJECTIO ORDINIS

Ex parte subjecti quaedam ad validitatem, quaedam ad liceitatem in ordinatione requiruntur.

667. THESIS I. **Sacram ordinationem valide potest recipere solus et omnis vir baptizatus.**

1) **Solus vir.**

a) *Ex S. Scriptura.* Candidati promoventur ad ordines in societate, ut ex officio praedicent in Ecclesia et fidelibus praesint. Apostolus autem statuit: *Mulieres in Ecclesia taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse* [2]. *Mulier in silentio discat... Docere autem mulieri non permitto* [3].

b) *Ex SS. Patribus. S. Epiphanius:* «Nunquam enim, ex quo mundus conditus est, sacerdotio est functa mulier, ac ne Eva quidem ipsa... Episcoporum ac presbyterorum successiones sunt in domo Dei constitutae. Nec inter illos tamen mulier ulla cooptata legitur» [4].

c) *S. Thomas* ait: «Sexus virilis requiritur ad susceptionem ordinum «de necessitate sacramenti» [5], quia mulier nata est ad statum subjectionis, non ad eminentiam gradus, ad quam tendit ordinandus.

2) **Baptizatus.**

Baptismus est «vitae spiritualis janua», qua Ecclesiam ingredimur, et efficimur membra ejus. Prius autem est effici membra Ecclesiae, quam dignitates in ea adipisci per ordines.

3) **Omnis vir baptizatus.**

Omnes viri, tum adulti tum infantes, ipsi etiam amentes sunt capaces ordinationis.

De adulto non datur difficultas, dummodo habeat intentionem recipiendi ordines. Sine ejus intentione invalida esset ordinatio [6].

De infantibus autem et *perpetuo amentibus*, qui ad casum aequiparantur, ait *Benedictus XIV:* «Ab episcopo legitima auctoritate suffulto non solum minores, sed etiam sacros ordines infanti conferri» posse perspicuum est; et addit: «Concordi theologorum et canonistarum suffragio

---

[1] *Can.* 954.
[2] *I Cor.*, 14, 34.
[3] *I Tim.*, 2, 11-12.
[4] *Haer.* 79, n. 2-3; MG **42,** 742 sq.
[5] *Suppl.*, q. 39, a. 1. *Diaconissae* et *presbyterissae*, quamvis aliquam benedictionem reciperent, nullum habebant ordinem. Cfr. **S. Epiphanius,** *haer.* 79, n. 3; MG **42,** 743.
[6] Cfr. *Codex Juris Canonici*, can. 214, § 1.

definitum est validam sed illicitam censeri hanc ordinationem, dummodo nullo laboret substantiali defectu materiae, formae et intentionis in episcopo ordinante, non attenta contraria sententia, quae raros habet asseclas, et quae supremis tribunalibus et congregationibus urbis nunquam arridet» [1].

Ratio S. Thomae id suadet: «Omnia illa sacramenta, quae actum requirunt suscipientis sacramentum, talibus (infantibus et perpetuo amentibus) non competunt, sicut poenitentia, matrimonium et hujusmodi. Sed... omnia sacramenta, in quibus non requiritur actus sucipientis de necessitate sacramenti, sed potestas aliqua spiritualis divinitus datur, possunt pueri suscipere et alii, qui usu rationis carent» [2].

668. Scholion. Ordinationes per saltum usque ad presbyteratum sunt validae sed illicitae, ut diximus superius.

Probabilius tamen non potest in episcopum ordinari, qui non est presbyter, vel quia in ordinatione spiscopali solum extenditur character sacerdotalis, qui in subjecto supponitur, vel quia episcopatus est perfectio sacerdotii.

669. THESIS II. **Sacram ordinationem licite suscipit, qui est in statu gratiae, et observat conditiones requisitas juxta canonem 974 Codicis Juris Canonici.**

Ad ordines suscipiendos, est necessarius status gratiae, sicut est necessarius ad quodlibet sacramentum vivorum recipiendum.

Aliae conditiones a jure requisitae sunt:

«1.° Recepta sacra confirmatio.
2.° Mores ordini recipiendo congruentes.
3.° Aetas canonica.
4.° Debita scientia.
5.° Ordinum inferiorum susceptio.
6.° Interstitiorum observatio.
7.° Titulus canonicus» [3].

ARTICULUS VII

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI ORDINIS

Pro coronide hujus sectionis operae pretium est declarare, quos effectus producat sacramentum ordinis.

670. THESIS. **Sacramentum ordinis imprimit characterem in anima, eique infundit gratiam sanctificantem.**

Pars 1.ª Imprimit characterem in anima.

1) Concilium tridentinum damnat eos, qui dixerint «in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione et *ordine* non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile [4];

[1] Instructio «Inter illicitas», 4 Maji 1745, § 20.
[2] *Suppl.*, q. 39, a. 2.
[3] *Codex Juris Canonici*, can. 974.
[4] *Sess. 7*, can. 9, *De sacramentis in genere;* **Denz-Bannw.**, 852.

et eos, qui dixerint per sacram ordinationem... non imprimi characterem» [1].

2) In consecratione episcopi et ordinatione presbyteri ac diaconi certo imprimitur character, et probabilius in collatione subdiaconatus et ordinum minorum. Hanc doctrinam tradit *Angelicus* dicens: «Oportet, quod in omnibus ordinibus character imprimatur» [2].

3) Character est potentia quaedam imperfecta seu ministerialis, qua ordinati ad sacra peragenda vel ad ministeria praestanda deputantur. *Episcopus* recipit potestatem confirmandi et ordinandi; *presbyter* potestatem consecrandi corpus et sanguinem Christi, et remittendi ac retinendi peccata; *diaconus* potestatem ministrandi ex officio sacerdotibus ad altare, et dispensandi eucharistiam; *subdiaconus* potestatem ad praeparandam materiam sacramenti in vasis sacris; *acolythus* autem, *exorcista*, *lector* et *ostiarius*, accipiunt potestatem praestandi ex officio quaedam ministeria, id est, vel praesentando subdiacono materiam sacramenti, vel praeparando ad communionem energumenos, vel instruendo catechumenos, vel arcendo omnino indignos [3].

4) Eadem ratione, qua n. 287 diximus, characterem confirmationis distingui a charactere baptismali, hic pariter dicendum est characterem ordinis realiter distingui a praecedentibus. Ordinatur enim ad munia specie distincta.

671. Scholion I. *De distinctione characteris unius ordinis a charactere aliorum.*

Vazquez censet in ordinatione episcopi non imprimi characterem omnino distinctum a praecedente, nec praecedentem extendi, sed permanente eodem charactere conferri aliam potestatem distinctam a praecedente [4].

Paludanus, *Billot* et alii exsistimant per episcopatum non imprimi characterem, sed characteren sacerdotalem ampliari et extendi [5].

Bellarminus, *Pesch*, et alii defendunt in ordinatione episcopali imprimi novum characterem ab aliis distinctum [6].

Magis mihi probatur sententia, quae docet characteres omnium ordinum inter se realiter distingui, quia potestas omnino distincta confertur in singulis.

672. Scholion II. *Character ordinis praesupponit characterem baptismalem de necessitate sacramenti; characterem confirmationis et ordinis inferioris ex praecepto Ecclesiae, nisi agatur de episcopatu, qui presbyteratum praesupponit probabilius ad validitatem.*

1) *Characterem baptismalem requirit ad validitatem*, quia, cum baptismus sit janua Ecclesiae, nemo potest sine baptismo Ecclesiam ingredi, nec alia sacramenta valide suscipere. «De necessitate enim sacramenti, ait *S. Thomas*, exigitur, quod ille, qui accedit ad ordines, sit ordinis susceptivus, quod competit ei per baptismum, et ideo chara-

---

[1] *Sess.* 23, can. 4; **Denz-Bannw.**, 964.
[2] *Suppl.*, q. 35, a. 2.
[3] Cfr. **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 27, a. 2.
[4] *In III p.*, disp. 240, c. 5, n. 54.
[5] **Paludanus,** *In IV Sent.*, dist. 24, q. 7, a. 4; **Billot,** *De ordine*, th. 31.
[6] **Bellarminus,** *De ordine*, c. 5; **Pesch,** *De sacramento ordinis*, n. 639.

cter baptismalis praesupponitur de necessitate sacramenti, ita quod sine eo sacramentum ordinis conferri non potest» [1].

2) *Characterem confirmationis praesupponit de congruo et ex praecepto Ecclesiae.* «Ad susceptionem ordinis, ait *S. Thomas...*, de congruitate requiritur omnis perfectio per quam aliquis reddatur idoneus ad executionem ordinis, et unum de istis est, ut sit confirmatus» [2].

3) *Characterem ordinis inferioris praesupponit ex gravi praecepto Ecclesiae, ita ut ordinationes per saltum sint validae sed illicitae.*

Innocentius III ajebat: «Tuae litterae continebant, quod, sicut ex relatione quorumdam receperas, N. presbyter, diaconatus ordine praetermisso, se fecit ad sacerdotii ordinem promoveri... Mandamus, quatenus condignam poenitentiam pro hujusmodi negligentia injungas eidem; qua peracta, ipsum in diaconum ordinare procures, et sic de misericordia eumdem ministrare permittas in ordine sacerdotis» [3]. Haec prae oculis habebat *Angelicus*, cum ait: «In primitiva Ecclesia aliqui ordinabantur in presbyteros, qui prius inferiores ordines non susceperant; et tamen poterant omnia, quae inferiores ordines possunt, quia inferior potestas comprehenditur in superiori virtute, sicut sensus in intellectu, et ducatus in regno. Sed postea per constitutionem Ecclesiae determinatum est, quod ad majores ordines se non ingerat, qui prius minoribus officiis non humiliavit. Et inde est, quod qui ordinantur per saltum secundum canones... non reordinentur, sed id quod omissum fuerat de praecedentibus ordinibus, eis confertur» [4].

4) *Nisi agatur de episcopatu, qui presbyteratum praesupponit probabilius ad validitatem.* Sicut enim diximus superius, nemo potest in episcopum valide consecrari, nisi prius sit presbyter.

Pars 2.ª Infundit gratiam sanctificantem.

1) Juxta Apostolum data est gratia Timotheo *cum impositione manuum presbyterii* [5].

2) Novimus ex tridentino sacramenta novae legis conferre gratiam non ponentibus obicem [6]; et per sacram ordinationem dari Spiritum Sanctum [7].

3) Cum ordo sit sacramentum vivorum, confert per se secundam gratiam seu augmentum gratiae, sed per accidens potest aliquando causare primam gratiam, cum scilicet candidatus bona fide exsistimans se esse in gratia, ordinatur in peccato mortali cum attritione supernaturali.

4) Qui ordinem in peccato mortali sciens suscipit, valide ordinatur, sed peccat. Qui vero ignoranter ordinatur in peccato mortali sine attritione, non peccat, nec gratiam recipit. Remoto obice, in utroque casu sacramentum reviviscit, et producit gratiam [8].

---

1 *Suppl.*, q. 35, a. 4.
2 *Suppl.*, q. 35, a. 4.
3 *Decretal.*, lib. 5, tit. 29.
4 *Suppl.*, q. 35, a. 5. Cfr. *Codex Juris Canonici*, can. 974, § 1, n. 5.
5 *I Tim.*, 4, 14; et *II Tim.*, 1, 6.
6 *Sess.* 7, can. 6, *De sacram. in genere;* **Denz-Bannw.,** 849.
7 *Sess.* 21, can. 4; **Denz-Bannw.,** 964.
8 Cfr. *De sacramentis in genere,* n. 104.

SECTIO VIII

DE SACRAMENTO MATRIMONII

QUAESTIO XXXVIII

DE MATRIMONIO UT EST IN OFFICIUM NATURAE

ARTICULUS UNICUS

DE HIS, QUAE PERTINENT AD MATRIMONIUM, UT EST IN OFFICIUM NATURAE

673. I. **Nomen.** Matrimonium, cujus etymon videtur esse *matris munus*, principaliter a matre nomen ducit, vel quia «femina idcirco maxime nubere debet, ut mater fiat» [1], vel quia «prolem concipere, parere, educare, matris munus est» [2]. Apposite ad rem *S. Thomas:* «Feminis incumbit maxime educandae prolis officium» [3]. «Unde magis pertinet ad rationem matrimonii mater quam pater» [4]. E contra patrimonium dicitur a patre, quia ad patrem pertinet providere de rebus ad vitam necessariis [5].

Matrimonium saepe appellatur *conjugium*, quia est duorum conjunctio; et non semel nominatur *connubium* vel *nuptiae*, a connubere vel nubere, quod est velare, «quia in ipsa solemnitate desponsationis, qua matrimonium perficitur, capita nubentium velantur» [6].

674. II. **Duplex conceptus matrimonii.** Matrimonium considerari potest *active*, quatenus est actus contrahentium constituens societatem conjugalem; et *passive*, quatenus est societas constituta.

1) Matrimonium active sumptum est *contractus, quo vir et mulier, juridice habiles, legitime sibi invicem tradunt jus ad actus per se aptos ad generationem et educationem prolis, et se obligant ad individuam vitae societatem.*

---

1 *Catechismus Romanus*, p. 2, c. 8, n. 2. Cfr. **S. Augustinus,** *Contra Faustum*, lib. 19, c. 26; ML **42,** 365; **Aulus Gelius,** *Noctes atticae*, lib. 18, c. 6.

2 *Catechismus Romanus*, p. 2, c. 8, n. 2.

3 *Suppl.*, q. 44, n. 2.

4 **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 44, a. 2 ad 1.

5 Cfr. **Compendium Salm.,** *De matrimonio*, c. 2, n. 4.

6 **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 44, a. 2.

a) Est *contractus*, id est, libera conventio, qua vir et mulier sese mutuo sibi invicem tradunt.

b) *Quo vir et mulier*, id est, duo individua diversi sexus, unus vir et una mulier in singulari, se obligant ad fines hujus contractus.

c) *Juridice habiles*, nullo impedimento juris naturae vel legis positivae ligati.

d) *Legitime*, juxta leges naturales et positivas, quibus connubia reguntur.

e) *Sibi invicem jus tradunt.* Mutua traditio est objectum contractus. In aliis contractibus homines se obligant ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum, hic contrahentes sese invicem tradunt.

f) *Ad actus per se aptos ad generationem et educationem prolis.* His verbis exprimitur finis primarius matrimonii, et simul innuitur ejus perpetuitas.

g) *Et se obligant ad individuam vitae societatem.* Hic adsignatur finis secundarius matrimonii, qui consistit in mutuis conjugum obsequiis.

2) Matrimonium passive consideratum est *vinculum morale permanens exsistens inter virum et mulierem ad filios procreandos* [1] *et educandos*, seu, ut definit *Magister Sententiarum*, «Viri et mulieris conjunctio maritalis individuam vitae consuetudinem retinens» [2].

675. III. **Essentia matrimonii.** Quinque sunt in matrimonio consideranda, *contractus* scilicet, quo sponsi sese mutuo tradunt et acceptant; *vinculum* quod ex contractu oritur, et quo societas inter sponsum et sponsam constituitur; *societas ipsa*, quae ex vinculo consurgit; *potestas mutua* in corpus alterius; *carnalis conjunctio* seu copula conjugum.

Facile concedunt theologi essentiam matrimonii non consistere in copula carnali [3]; neque in mutua conjugum potestate in corpus alterius; neque in vitae societate aut conjugum commoratione; quia haec omnia sunt effectus et consequentiae constituti matrimonii.

Disputant Doctores, an ratio matrimonii consistat in vinculo stabili ac permanente conjugum, ut defendunt *Catechismus Romanus*, *Thomas Sanchez*, *Katschthaler* et alii [4]; vel in contractu, quo conjuges sibi invicem corpora tradunt et acceptant, ut innuere videtur *S. Thomas* [5], et defendit *Gabriel a S. Vincentio* [6].

Utraque opinio potest facile conciliari, si dicatur naturam matrimonii active sumpti consistere in contractu, passive vero et in facto esse in vinculo stabili et obligatorio viri ac mulieris [7].

Ex hoc habes causam efficientem matrimonii esse consensum contrahentium. «Causa efficiens matrimonii, ait concilium florentinum, re-

---

[1] *Codex Juris Canonici*, can. 1082.

[2] *IV Sent.*, dist. 27, n. 2; ML **192,** 910.

[3] Cfr. **S. Augustinus,** *Contra Julianum*, lib. 5, c. 16, n. 62; ML **44,** 818.

[4] *Catechismus Romanus*, p. 2, c. 8, n. 4; **Sanchez,** *De matrimonio*, lib. 2, disp. 1; **Katschthaler,** *De matrimonio*, n. 920.

[5] *Suppl.*, q. 44, a. 1 ad 2.

[6] *De sacramento matrimonii*, disp. 1, q. 1, n. 7.

[7] Hic modus conciliandi comprobatur ex sacramento matrimonii, in quo, ut dicemus inferius, sacramentum tantum est ipse contractus, et sacramentum ac res est vinculum. Cfr. **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 44, a. 1 ad 2.

gulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus» [1]. Dixit *regulariter per verba*, quia consensus aliquando datur nutibus vel aliis signis.

676. IV. **Finis matrimonii** est praesertim duplex, unus *principalis*, et alter *secundarius*.

1) Finis principalis est *bonum prolis*, quod in generatione et educatione filiorum consistit. «Matrimonium, ait *S. Thomas*, principaliter est institutum *ad bonum prolis* non tantum generandae, quia hoc etiam sine matrimonio fieri potest, sed etiam promovendae ad perfectum statum, quia quaelibet res intendit effectum suum naturaliter perducere ad perfectum» [2]. Perfectio autem prolis «qua talis in hoc consistit, quod bene se habeat ad ultimum totius humanae vitae finem, qui solus Deus est» [3]. Unde finis principalis matrimonii in officium naturae est bonum prolis sub duplici adspectu generationis et educationis in ordine ad Deum.

2) Finis secundarius matrimonii est fides mutua seu conservatio promissorum atque conjugum adjutorium seu mutuum obsequium in prosperis atque adversis vitae negotiis.

Post originale peccatum his adjungitur alius finis secundarius, nempe remedium concupiscentiae, quod non est aliud quam major explicatio fidelitatis. Fidelitas quippe exigit luxuriae habenas non relaxare. «Propter justitiae, in qua homo conditus erat, amissionem, appetitus rectae rationi repugnare coepit» [4], et fuit necessarium remedium quaerere. Hoc remedium Apostolus adsignavit dicens: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat* [5]. Et statim hortatur conjuges, ut, si quando orationis causa a matrimonii debito abstineant, iterum revertantur in idipsum, «*ne vos tentet*, ait, *satanas propter incontinentiam vestram*» [6]. Apposite ad rem *Angelicus:* «Dum concupiscentiae satisfit in actu conjugali, ad alias corruptelas non ita incitat» [7].

677. V. **Bona matrimonii.** Juxta Angelicum Doctorem [8] bona matrimonii sunt proles, fides, et sacramentum, quae fere eadem sunt ac fines matrimonii, quaeque honestant actum matrimonii. «Adsignatur autem, ait concilium florentinum, triplex bonum matrimonii. Primum est proles suscipienda et educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas matrimonii, propter hoc quod significat indivisibilem conjunctionem Christi et Ecclesiae» [9].

Quodlibet horum bonorum satis honestat actum matrimonii, atque ideo illi, qui propter aetatem vel sterilitatem nequeunt generare prolem, propter bona secundaria vel ob consequendos fines secundarios possunt inire matrimonium eoque uti.

---

1 Decreto pro armenis; **Denz-Bannw.,** 702.
2 *Suppl.*, q. 59, a. 2.
3 **Billot,** *De matrimonio*, th. 34.
4 *Catechismus Romanus*, p. 2, c. 8, n. 14.
5 *I Cor.*, 7, 2.
6 *I Cor.*, 7, 5.
7 *Suppl.*, q. 42, a. 3 ad 4.
8 *Suppl.*, q. 49, a. 3 ad 4.
9 Decreto pro armenis; **Denz-Bannw.,** 702.

678. VI. **Origo matrimonii.** Compertum est matrimonium in officium naturae fuisse institutum in paradiso ante peccatum Adae. Dominus enim decrevit in paradiso dare homini adjutorium simile sibi, et, cum eduxisset mulierem ex latere viri, dixit eis: *Crescite et multiplicamini* [1].

Quo autem praeciso tempore vel quo actu, an scilicet in ipsa formatione Evae, ut videtur innuere *Magister Sententiarum* [2], an in prolatione verborum: *Crescite et multiplicamini* [3], ut defendit *Sanchez* [4], non constat.

Probabile est Dominum, cum adduxit mulierem formatam ad Adam, instituisse matrimonium, et prima connubia contracta fuisse, quando Adam dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea... Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una* [5].

679. VII. **Matrimonium est de jure naturae.** Natura expostulat non solum prolis generationem et nutrimentum ad conservandum et propagandum genus humanum, sed etiam ejus educationem ad perficiendam societatem. Unde tria praecipue parentes, natura duce, conferunt filiis in hac vita, *esse, nutrimentum et educationem.* Haec autem nequeunt convenienter filiis procurare, nisi sint uniti in societate stabili ac permanente, qualis est matrimonium.

1) *Esse filiorum.* Ex vago concubitu maris et feminae duo praecipue mala sequuntur contra esse prolis: a) quando ad unam feminam plures viri accedunt, impeditur plerumque generatio, ut docent physiologi; et b) siquando habeatur generatio, tollitur certitudo filiorum, quae est principale bonum generationis prolis [6].

2) *Nutrimentum prolis.* Filius tum in ventre matris tum post nativitatem indiget per longum tempus alieno auxilio ad nutrimentum. Sola autem mater laboribus praegnationis primo impedita, et deinde lactatione aliisque curis praepedita, nequit alimenta filiis curare. Unde opus habet concursus viri, ut filios alere possit.

Matrimonium, sicut diximus supérius, venit a matre, quia mater in prolis procreatione et educatione plus laborat quam pater; sed *patrimonium* dicitur a patre, quia pater in rebus ad nutrimentum necessariis magis desudat. Apposite ad rem *Angelicus Doctor:* «Quaecumque vero animalia sunt, in quibus femina non sufficit ad educationem prolis, mas et femina simul post coitum commanent, quousque necessarium est ad prolis educationem et instructionem» [7].

3) *Educatio.* «In specie humana proles non indiget solum nutritione quantum ad corpus, ut in aliis animalibus, sed etiam instructione quantum ad animam... Nec hujusmodi instructionis sunt capaces mox geniti, sed post longum tempus et praecipue cum ad annos discretionis perveniunt. Ad hanc etiam instructionem longum tempus requiritur; et

---

[1] *Gen.*, 1, 28.
[2] *IV Sent.*, dist. 26, n. 1; ML **192**, 908.
[3] *Gen.*, 1, 28.
[4] *De matrimonio*, lib. 2, disp. 4.
[5] *Gen.*, 2, 23 sq.
[6] Cfr. **S. Thomas,** *Contra gentiles*, lib. 2, c. 124.
[7] *Contra gentiles*, lib. 3, c. 122.

tunc etiam propter impetus passionum, quibus corrumpitur aestimatio prudentiae, indigent non solum instructione sed etiam repressione. Ad hoc autem mulier sola non sufficit, sed magis in hoc requiritur opus maris, in quo est ratio perfectior ad instruendum et virtus potentior ad castigandum» [1].

Haec certe probant ad bonum prolis in generatione, nutritione et educatione, natura duce, obtinendum, necessario requiri inter virum et mulierem diuturnam et stabilem societatem contractu firmatam. Ergo matrimonium est de jure naturae.

680. VIII. **Fornicatio seu concubitus soluti cum soluta est contra jus naturae et peccatum.**

Fornicarii enim tollunt bonum prolis, quod, ut diximus, consistit in generatione, nutritione et educatione; fines secundarios conjunctionis viri ac mulieris, qui in conjugum mutuo auxilio et in remedio concupiscentiae positi sunt, abjiciunt; et insana libidine ducti bonum generis humani, quod per constitutionem familiae maxime obtinetur, evertunt. Unde fornicarii juxta Apostolum *regnum Dei non consequentur* [2].

Lex naturalis fornicationem prohibens nunquam exceptionem patitur, quia, ut egregie ait gravissimus *Lugo* [3], mala, quae advenirent societati, si semel admitteretur exceptio in hac materia, nunquam possent compensari ex bono particulari fornicatoris.

681. IX. **Matrimonii usus honestus est ac licitus.**

Nota. Primis Ecclesiae saeculis *gnostici, marcionitae, encratitae, manichaei* et alii haeretici, quamvis insanae libidini dediti essent, negarunt tamen matrimonii usum esse honestum ac licitum [4].

Hunc errorem medio aevo *cathari, albigenses, Arnoldus brixiensis*, et *waldenses* renovarunt [5].

Montanistae secundas nuptias et graeci plerumque tertias ac quartas nuptias reprobarunt.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Dominus Deus, quando masculum et feminam creavit [6] et benedixit eis dicens: *Crescite et multiplicamini* [7], approbavit usum matrimonii.

Christus ait: *Dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo sed una caro. Quod autem Deus conjunxit, homo non separet* [8].

Apostolus denique praecepit conjugibus, ut, si quando ab usu matrimonii ad tempus se abstinerent, reverterentur in idipsum [9]; et voluit *juniores nubere, filios procreare, et matresfamilias esse* [10].

1 **S. Thomas,** *Contra gentiles*, lib. 3, c. 122.
2 *Gal.*, 5, 21; et *Ephes.*, 5, 3.
3 *De poenitentia*, disp. 23, sect. 1, n. 8.
4 Cfr. **S. Irenaeus,** *Adv. haer.*, lib. 1, c. 24 sqq.; MG **7,** 675 sqq.; **Tertullianus,** *Adv. Marcionem*, lib. 1, c. 1; ML **2,** 271; **S. Epihpanius,** *Haer.* 23, et 46; MG **41,** 299, et 839; **S. Augustinus,** *De haeresibus*, 25, 26 et 46; ML **42,** 30-37.
5 De cataris et albigensibus cfr. **Hergenrother,** *Historia de la Iglesia*, t. 4, p. 112 sqq.; De Brixiensi et waldensibus vide **Denz-Bannw.,** 367 et 424.
6 *Gen.*, 1, 27.
7 *Gen.*, 1, 28.
8 *Matth.*, 19. 5-6.
9 *I Cor.*, 7, 5.
10 *I Tim.*, 5, 14.

2) Ratio hoc plane ostendit, quia licitum est conservationem generis humani juxta leges divinas quaerere.

X. **Usus matrimonii non constituit essentiam ejusdem.**

Nota. Julianus pelagianus dicebat olim «nihil aliud esse nuptias, quam corporum commixtionem» [1].

Arg. 1) Beata Virgo Maria et S. Joseph verum matrimonium inierunt, ut S. Scriptura, SS. Patres, omnes theologi et commentatores S. Scripturae docent [2]. S. Scriptura vocat S. Josephum virum Mariae [3], et angelus appellavit Mariam conjugem Joseph [4]. Sed inter Mariam et Joseph nunquam fuit matrimonium consummatum. Ergo.

2) Concubitus inter virum et mulierem ante contractum matrimonium est illicitus. Unde, si essentia matrimonii consisteret in copula, per actum illicitum contraheretur matrimonium, quod nefas est dicere.

QUAESTIO XXXIX

DE EXSISTENTIA SACRAMENTI MATRIMONII

ARTICULUS I

ERRORES CIRCA EXSISTENTIAM SACRAMENTI MATRIMONII

682. Diversi diversimode negaverunt matrimonium esse novae legis sacramentum.

I. **Novatores.** Ex novatoribus saeculi XVI *Lutherus*, postquam adseruit matrimonium esse licitum, ait: «Matrimonium non solum sine ulla Scriptura pro sacramento censetur, verum iisdem traditionibus, quibus sacramentum esse jactatur, merum ludibrium factum est» [5].

Calvinus: «Matrimonium, quod ut a Deo institutum fatentur omnes, ita pro sacramento datum nemo usque ad Gregorii tempora viderat. Et cuinam unquam sobrio in mentem venisset? Ordinatio Dei bona est et sancta, et agricultura, architectura, sutrina, tonstrina ordinationes sunt Dei legitimae, nec tamen sacramenta» [6].

Melanchthon tria tantum ponens in Ecclesia Dei sacramenta [7], negat matrimonium esse sacramentum.

Chemnicius impugnat concilium tridentinum ex eo, quod matrimonium inter sacramenta novae legis numeravit [8].

Hodierni protestantes, si ritualistas excipias, sequuntur veterum reformatorum doctrinam.

II. **Marcus Antonius de Dominis,** episcopus olim spalatensis et deinde haereticus, ait: «Sacramentum tamen in matrimonio ego nullum verum et

---

1 Apud **S. Augustinum,** *Contra Julianum*, lib. 5, n. 62; ML **44**, 818.
2 Cfr. **Petrus Lombardus**, *IV Sent.*, dist. 26; et **Pesch,** *De matrimonio*, n. 732.
3 *Matth.*, 1, 16.
4 *Matth.*, 1, 20.
5 *De captiv. babyl. Ecclesiae*, De matrimonio; «Matrimonium».
6 *Inst.*, lib. 4, c. 19, n. 34.
7 *Loci theologici*, De numero sacramentorum, «Cum autem».
8 *Examen decretorum concilii trid.*, parte 2, loco 1.

proprie dictum possum invenire» [1]. Deinde defendit matrimonium non conferre gratiam [2].

III. **Modernistae dixerunt**: «Matrimonium non potuit evadere sacramentum novae legis nisi serius in Ecclesia; siquidem ut matrimonium pro sacramento haberetur, necesse erat, ut praecederet plena doctrinae de gratia et sacramentis theologica explicatio» [3].

IV. **Plures hodierni increduli ac rationalistae,** qui Christum philosophum non Deum fuisse profitentur, negant matrimonium a Christo fuisse evectum ad dignitatem sacramenti [4].

ARTICULUS II

UTRUM MATRIMONIUM SIT VERE ET PROPRIE NOVAE LEGIS SACRAMENTUM

683. Status quaestionis. Loquimur de matrimonio active sumpto, prout est contractus, quo vir et mulier sibi invicem tradunt jus in corpora juxta superius dicta.

Quaeritur, an hic contractus evectus fuerit a Christo ad dignitatem sacramenti.

684. THESIS. **Matrimonium est vere et proprie novae legis sacramentum.** *De fide.*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus ad ephesios scribens hortatus est mulieres, ut essent subditae viris suis, et viros, ut diligerent uxores suas, sicut Christus dilexit Ecclesiam, et ait: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego dico in Christo et in Ecclesia* [5].

Ex his Apostoli verbis habetur:

a) *Matrimonium novae legis, utpote magnum mysterium significans unionem Christi cum Ecclesia, esse signum sensibile gratiae.* Ut enim Christus per suam unionem diligit et sanctificat Ecclesiam, ita unio conjugalis significans hanc unionem sanctificat virum et mulierem. *Ego dico in Christo et in Ecclesia* (graece in Christum et in Ecclesiam) [6]. Unde hac ratione praecepit Apostolus viros, ut diligerent uxores, *sicut Christus dilexit Ecclesiam,* dilectione scilicet ambos sanctificante [7].

b) *Hoc signum fuisse a Christo institutum.* Unio viri ac mulieris nequit ex natura sua significare mysticam unionem Christi et Eccle-

[1] *De republica ecclesiastica,* lib. 5, c. 11, n. 24.

[2] *De republica ecclesiastica,* lib. 5, n. 33 sqq.

[3] Decreto *Lamentabili,* prop. 51; **Denz-Bannw.,** 2051. Excerpta est ex **Loisy,** *Autour d'un petit livre,* p. 255. Ad propositionem damnatam respondit **Loisy**: «J'ai dit que la loi du mariage chrétien remontait à Jésus lui-même, et que le classement définitif du mariage comme sacrement n'était pas antérieur a la formation de la doctrine scolastique sur les sacrements». *Simples réflexions,* p. 97.

[4] Cfr. *Syllabus,* prop. 65; **Denz-Bannw.,** 1765.

[5] *Ephes.,* 5, 31-32.

[6] εις χριστον και εις την εκκλησιαν.

[7] **S. Augustinus,** *De nuptiis et concupiscentia,* c. 17, n. 19; ML **44,** 423, hoc argumentum egregie expendit. Cfr. **Bellarminus,** *De matrimonio,* c. 2.

siae neque collationem gratiae sanctificantis, sed hoc accepit ex institutione Christi. Unde Christus expresse docet unionem matrimonialem fuisse a Deo factam dicens: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet* [1].

2) *Ex conciliis.* Concilium florentinum ait: «Septimum est sacramentum matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi et Ecclesiae, secundum Apostolum dicentem: *Sacramentum hoc magnum est*, etcetera» [2].

Concilium tridentinum: «*Si quis dixerit matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre*, a. s. [3].

3) *Ex SS. Patribus.* a) *Aliqui ex SS. Patribus matrimonium proprio sensu vocaverunt sacramentum. S. Augustinus:* «Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, et in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir ejus vivit... Haec omnia bona sunt, propter quae nuptiae bonae sunt, proles, fides, sacramentum» [4]. Rursum: «In Ecclesia, ubi nuptiarum non solum vinculum, verum etiam sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem suam alteri tradere» [5].

b) *Alii dicunt Christum per se et per suos sacerdotes nuptiis benedixisse.*

S. Ignatius M.: «Decet, ut sponsi et sponsae de sententia episcopi conjugium faciant, quo nuptiae sint secundum Dominum et non secundum cupiditatem» [6].

S. Cyrillus Alexandrinus: «Cum nuptiae celebrarentur, caste nimirum et honeste, adest quidem mater Salvatoris, sed et ipse una cum discipulis suis invitatus venit, non tam epulaturus, quam ut miraculum faceret, ac propterea generationis humanae principium sanctificaret, quod ad carnem nimirum attinet. Conveniebat enim, ut qui naturam ipsam hominis renovaturus erat, non solum iis, qui jam in ortum vocati erant, benedictionem impertiret, sed et iis quoque, qui postea nasciturі essent, gratiam praestrueret, et eorum ortum sanctum efficeret» [7].

S. Ambrosius adserit «ipsum conjugium velamine sacerdotali et benedictione sanctificari» [8].

S. Maximus Taurinensis: «Vadit ergo ad nuptias Dei Filius, ut quas dudum potestate constituit, tunc praesentiae suae benedictione sanctificet» [9].

c) *Alii docent gratiam esse matrimonio adnexam.*

Tertullianus: «Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem matrimo-

---

1 *Matth.*, 19, 6.
2 *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 702.
3 *Sess.* 24, can. 1; **Denz-Bannw.,** 971.
4 *De bono conjug.*, c. 24, n. 32; ML **40,** 394.
5 *De fide et oper.*, c. 7, n. 10; ML **40,** 203.
6 *Ep. ad Polycarpum*, c. 5, n. 2; MG **5,** 724; **Journel,** 67.
7 *In Joannem*, 2, 1, c. 2; MG **72,** 223.
8 *Ep.* 19, c. 7; ML **16,** 1026; **Journel,** 1249.
9 *Hom.* 23; ML **57,** 274.

nii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, angeli renuntiant, Pater rato habet» [1].

Origenes: «Deus quidem is est, qui duo in unum compegit, ut, ex quo mulier viro nupsit, duo amplius non sint, et quoniam conjunctionis auctor est Deus, propterea iis inest gratia, qui a Deo conjuncti sunt; quod non ignorans Paulus connubium Verbo Dei consentaneum gratiam esse pronuntiat, quemadmodum castus coelibatus gratia est» [2].

S. Innocentius I: «Statuimus, fide catholica suffragante, illud esse conjugium, quod erat primitus divina gratia fundatum, conventumque secundae mulieris, priore superstite... nullo pacto posse esse legitimum» [3].

4) *Ex auctoritate theologorum.* Omnes theologi unanimiter defendunt matrimonium esse verum sacramentum. Conferendi sunt *S. Thomas, Scotus, Bellarminus, Liberius a Jesu,* et alii [4].

Magister Sententiarum videtur quidem innuere matrimonium non producere gratiam sed solum afferre concupiscentiae remedium [5], sed ejus mentem explicat *Angelicus* dicens: «Gratia autem, quae in matrimonio confertur, secundum quod est sacramentum Ecclesiae in fide Christi celebratum, ordinatur directe ad reprimendum concupiscentiam... et ideo Magister dicit, quod matrimonium est tantum in remedium; sed hoc est per gratiam, quae in eo confertur» [6].

5) *Ex consensu ecclesiarum dissidentium.* Consensus ecclesiarum dissidentium magnam habet, sicut innuimus superius, in re sacramentaria auctoritatem, quatenus exhibet fidem Ecclesiae tempore separationis earum ab unitate catholica.

Porro omnes ecclesiae dissidentes profitentur ac docent matrimonium esse sacramentum a Christo institutum.

6) *Ex liturgiis.* Libri liturgici sunt partim organon traditionis verae doctrinae in Ecclesia. Antiquissimi autem libri liturgici, euchologia, ordines, ritualia et sacramentaria, continent modum celebrandi matrimonii sacramentum, et preces recitandas super nubentes, ut eos Dominus sanctificet, et in muneribus rite adimplendis adjuvet. Haec autem conjugum sanctificatio fit per gratiam sacramentalem. Unde ritus Ecclesiae docet matrimonium conferre gratiam sacramentalem et esse sacramentum [7].

---

[1] *Ad uxorem*, lib. 2, c. 9; ML **1,** 1415.

[2] *In Matth.*, t. 14, 16; MG **13,** 1230.

[3] *Ep.* 36, ad Prob.; ML **20,** 602.

[4] **S. Thomas,** *In IV Sent.*, dist. 26, q. 2, a. 3; et *II-II*, q. 100, a. 2 ad 6; **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 26, q. 1, «Sed quia communiter»; **Bellarminus,** *De matrimonio*, c. 2 sqq.; **Liberius a Jesu,** *Controv.*, tr. 6, disp. 1, controv. 3.

[5] *IV Sent.*, dist. 2 et 26.

[6] *In IV Sent.*, dist. 2, q. 1, a. 1, sol. 2 ad 3.—Cfr. **Perrone,** *De matrimonio christiano*, lib. 1, sect. 1, c. 1, a. 1. Auctor operis *Perpetuité de la foi*, luculenter ostendit matrimonium inter orientales semper habitum fuisse ut sacramentum. *Perpetuité de la foi*, t. 5, lib. 6, ch. 1.

[7] Cfr. **Martène,** *De antiquis Ecclesiae ritibus*, lib. 1, c. 9; **Perrone,** *De matrimonio christiano*, lib. 1, sect. 1, c. 1; **Palmieri,** *De matrimonio*, th. 7; IV. Cl. **Martène** affert sexdecim ecclesiarum ordines, in quibus matrimonium non semel appellatur sacramentum, et semper supponitur esse verum sacramentum. *De ant. Eccl. rit.*, lib. 1, c. 9, a. 5.

7) *Ex monumentis archaeologicis.* In antiquissimis *catacombis* adsunt picturae, quibus nuptiarum benedictio exhibetur. In his picturis conspiciuntur sponsi ante altare porrigentes sibi manus dextras, in altari annulus et corona, et in medio Christus quandoque eis benedicens, quandoque imponens coronas. Alicubi superscriptio visitur: «Vivatis in Deo»; vel etiam: *θεου χαρις-gratia Dei.*

Inventa sunt pariter in eis numismata connubiorum memorialia, incisiones lapideae, inscriptiones sepulchrales cum epithetis: *Conjugi optimo; conjugi fidelissimae; quos paribus meritis junxit matrimonio dulci omnipotens Dominus,* etc., quae satis indicant christianos suam fidem in sacramentum matrimonii reliquisse in monumentis sculptam [1].

8) *Ex ratione congruentiae.* Christus instituens sacramenta providere voluit hominum necessitati spirituali tam in individuo quam in communitate. Individuorum necessitati spirituali providit per quinque priora sacramenta. Ad perfectionem vero communitatis quantum ad potestatem regendi multitudinem in vita spirituali et exercendi actus publicos, dedit ordinem, et quantum ad naturalem propagationem generis humani et sanctificationem familiae oportuit, ut institueret sacramentum matrimonii [2].

685. Scholia. 1) *Quando fuerit sacramentum matrimonii institutum.* Quamvis aliqui cum Alphonso de Castro et Petro de Soto [3] docuerint matrimonium etiam in lege veteri fuisse sacramentum, melius tamen dicitur matrimonium veteris legis nullatenus habuisse rationem sacramenti, nisi forte in statu imperfecto, eo modo quo alia veteris testamenti signa dicta sunt sacramenta [4].

Quando fuerit hoc sacramentum a Christo institutum non certo constat. Aliqui volunt illud fuisse institutum, quando Christus cum sua matre adfuit nuptiis Canae Galileae, sed melius docent *Sotus, Sanchez,* et alii Christum Dominum nuptias in Cana Galileae approbasse, sed sacramentum matrimonii instituisse, quando apud Matthaeum dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet* [5].

2) Licet matrimonium sit contractus bilateralis, est inter duos unum tantummodo sacramentum, quia ratio hujus sacramenti consistit in contractu, et contractus nonnisi inter duos celebrari potest [6].

---

[1] Cfr. **Martigny,** *Dict. des Antiquités,* v. «Mariage».

[2] Cfr. **S. Thomas,** *III p.,* q. 65, a. 1.

[3] **Alphonsus de Castro,** *Adv. haer.,* lib. 11, haer. 3; **Petrus de Soto,** *De matrimonio,* lect. 2.

[4] Cfr. **Bellarminus,** *De sacramento matrimonii,* c. 5; **Liberius a Jesu,** *Controv.,* tr. 8, disp. 1, controv. 3, n. 40.

[5] *Matth.,* 19, 6.

[6] Cfr. **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacr. matr.,* disp. 2, q. 1, n. 5; **Salmanticenses,** *De matrimonio,* c. 3, dub. 1, n. 50.

QUAESTIO XL

DE ESSENTIA SACRAMENTI MATRIMONII

ARTICULUS I

UTRUM SACRAMENTUM MATRIMONII SIT ESSENTIALITER IPSE CONTRACTUS MATRIMONIALIS

686. Status quaestionis. Diximus superius matrimonium active sumptum, et in quantum est in officium naturae, consistere, non in vinculo permanente, sed in solo contractu, actu transeunte.

Hic exsurgit dubium, an sacramentum matrimonii pariter consistat in contractu transeunte, vel in aliquo signo contractui superaddito.

Bellarmin - Sa

687. Auctorum placita. 1) Aliqui docuerunt sacramentum matrimonii, si quid sit, esse aliquid contractui civili perfecte constituto extrinsece superadditum, sive sit benedictio sacerdotalis, sive aliquid aliud. Ita *Marcus Antonius de Dominis, Launoyus,* et recentius *Joannes Nep. Nuytz,* professor juris canonici in academia taurinensi [1].

Hic error damnatus est in Syllabo, prop. 65 et 66 [2].

2) Alii dixerunt sacramentum matrimonii essentialiter consistere in actibus contrahentium ut materia et benedictione sacerdotali ut forma. Ita *Canus, Sylvius, Tournely* et alii [3].

3) Alii defendunt matrimonium quidem esse ipsum contractum a Christo elevatum, si contrahentes habent intentionem faciendi quod facit Ecclesia; sed, si habent intentionem contrahendi sine intentione faciendi quod facit Ecclesia, fieri matrimonium contractum, non tamen sacramentum quod conferat gratiam. Ita *Vazquez, Gabriel a S. Vincentio, Salmanticenses, Wirceburgenses,* et alii [4].

Haec opinio hodie post declarationes Romanorum Pontificum nulla gaudet probabilitate.

688. THESIS. **Sacramentum matrimonii est essentialiter ipse contractus matrimonialis christianorum.** *Certa.*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Christus Dominus apud Matthaeum referens verba Geneseos ait: *Propter hoc dimittet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque jam*

---

[1] **Marcus A. de Dominis,** *De republica ecclesiastica,* lib. 5, c. 11, n. 22. Negat hic auctor matrimonium esse verum sacramentum, sed admissa suppositione quod sit sacramentum, docet rationem sacramenti supervenire «matrimonio jam plene et perfecte in esse civilis contractus constituto». *Ibidem,* n. 22. **Launoyus,** *De regia in matrimonium potestate,* I, p. 2, c. 4; **Nuytz,** *In jus ecclesiasticum universum tractiones,* tr. de matrimonio.

[2] Cfr. **Dennz-Banw.,** 1765-1766

[3] **Canus** *De locis theologicis,* lib. 8, c. 5; **Sylvius,** *In Suppl.,* q. 42, a. 1, quaestio 3; **Tournely,** *De matrimonio,* q. 3, a. 1.

[4] **Vázquez,** *De sacramentis in genere,* disp. 138, c. 5, n. 63; **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramento matrimonii,* disp. 2, q. 1, n. 7; **Salmanticenses,** *De sacramento matrimonii,* c. 3, dub. 3, n. 77; **Wirceburgenses,** *De sacramento matrimonii,* n. 300.

non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet [1]. His autem verbis locutus est de contractu matrimoniali, de ipsa scilicet conjunctione, eumque evexit ad rationem sacramenti. Ergo sacramentum matrimonii est essentialiter ipse contractus matrimonialis. Unde Apostolus docet matrimonium, quod essentialiter est contractus, inter christianos esse mysterium magnum [2].

2) *Ex conciliis.* Concilium florentinum: «Septimum est sacramentum matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi et Ecclesiae. Causa efficiens matrimonii regulariter est *mutuus consensus per verba de praesenti expressus*» [3]. Per mutuum autem consensum fit contractus. Ergo.

Concilium tridentinum: «Dubitandum non est clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia» [4].

3) *Ex documentis Ecclesiae.* a) *Innocentius III* ait: «Sufficit ad matrimonium *solus consensus* illorum, de quorum quarumque conjunctionibus agitur» [5].

b) *Pius IX:* «Nemo ex catholicis ignorat aut ignorare potest matrimonium esse vere et proprie unum ex septem evangelicae legis sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum; idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris praeter sacramentum conjunctionem, cujuscumque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exsitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum ac proinde a conjugali foedere sacramentum separari nunquam posse» [6].

Ipse *Pius IX* damnavit in Syllabo sequentes propositiones: «**66.** Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui *accessorium* ab eoque *separabile*, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est». «**73.** Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium, falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur» [7].

c) *Leo XIII:* «Non potest hujusmodi distinctio seu verius distractio (contractus nuptialis a sacramento) probari, cum exploratum sit in matrimonio christiano *contractum a sacramento non esse dissociabilem*, atque ideo *non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum.* Nam Christus Dominus dignitate sacramenti auxit matrimonium; matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus jure... Itaque apparet omne inter christianos justum conjugium *in se* et *per se esse sacramentum*» [8].

---

1 *Matth.*, 19, 5-6.
2 *Ephes.*, 5 32-33.
3 *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 702.
4 *Sess.* 24, De reformatione matrimonii, c. 1; **Mansi,** 33, 152.
5 *Ep.* «Cum apud Sedem», 15 Jul. 1198; **Denz-Bannw.,** 404.
6 *Allocut.* «Acerbissimum vobiscum», 27 Sept. 1852; **Denz-Bannw.,** 1640.
7 *Syllabus,* prop. 66-73; **Denz-Bannw.,** 1766 et 1773.
8 *Encycl.* «Arcanum divinae sapientiae», 10 Febr. 1880; **Denz-Bannw.,** 1854.

d) *Codex juris canonici:* «Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos» [1].

4) *Ex consensu omnium fere theologorum.* Theologi omnes, si admodum paucos excipias, docent sacramentum matrimonii esse ipsum contractum matrimonialem, qui inter christianos celebratur. Videndi sunt *S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, Sotus, Billot,* et alii [2].

689. Corollarium I. *Nullum possunt christiani contrahere matrimonium validum, quod non sit simul sacramentum, quamvis hoc expresse intendant.*

Est consequentia necessaria praecedentis doctrinae contra paucos. Hoc expresse declaravit *Codex juris canonici* dicens: «Inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum» [3].

Sacramentum matrimonii pro christianis est ipse contractus, adeo ut intentio celebrandi contractum matrimonialem non sit valida, quin simul sit intentio saltem virtualis faciendi, quod facit Ecclesia. Nihil autem a se ipso separari potest [4].

Corollarium II. *Sacramentum matrimonii est contractus transiens.*

Aliqui theologi, ut *Bellarminus, Sanchez,* et alii [5], dixerunt non solum contractum matrimonialem, sed etiam vinculum maritale, quod ligat conjuges, appellandum esse sacramentum. Sed melius dicendum puto sacramentum matrimonii consistere in contractu transeunte, et in ipsa tantum celebratione produci gratiam [6].

ARTICULUS II

QUAESTIONES DE VARIIS CONTRACTIBUS MATRIMONIALIBUS

690. Quaeres 1.° *An matrimonium infidelium fiat sacramentum, quando conjuges baptizantur.*

1) Aliqui absolute negant ex eo, quod conjuges infideles, utpote non habentes dominium in proprium corpus, non possunt, quando baptizantur, apponere materiam et formam sacramenti matrimonii. Ubi autem deest materia et forma, nequit fieri sacramentum. Ita *Vazquez, Gabriel a S. Vincentio, Salmanticenses, Billuart,* et alii [7].

2) *Capreolus* loquens de conjugibus, qui baptizantur, ait: «Opor-

---

[1] *Can.* 1012, § 1.

[2] **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 42, a. 1 ad 1; **S. Bonaventura,** *In IV Sent.*, dist. 27, a. 2, q. 1-2; **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 26, q. 1, concl. 3; **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 26, q. 2, a. 3, «Circa materiam vero»; **Billot,** *De matrimonio,* th. 37.

[3] *Can.* 1012, § 2.

[4] Cfr. **Liberius a Jesu,** *Controv.*, tr. 8, disp. 1, controv. 5, n. 75.

[5] **Bellarminus,** *De sacramento matrimonii,* c. 6; **Sanchez,** *De matrimonio,* disputatione, 5, n. 7.

[6] Cfr. **Salmanticenses,** *De matrimonio,* c. 3, dub. 1, n. 47; et **Pesch,** *De sacramento matrimonii,* n. 725.

[7] **Vazquez,** *De matrimonio,* disp. 2, c. 10, n. 116 sqq.; **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramento matrimonii,* disp. 2, q. 1, n. 6; **Salmanticenses,** *De matrimonio,* c. 3, dub. 3, n. 81; **Billuart,** *De matrimonio,* diss. 1, a. 5, petes 6.

tet, quod tales habeant novum consensum vel novam electionem et approbationem antiqui consensus, et novam expressionem consensus per verba vel aliud aequipollens verbis; aliter enim solus baptismus non faceret matrimonium antiquum esse denuo sacramentum novae legis» [1].

3) Alii melius defendunt matrimonium infidelium fieri sacramentum per solum conjugum baptismum. Ita *Sanchez, Billot, Pesch, Herve,* et alii [2].

Pius IX expresse declaravit «inter fideles matrimonium *dari non posse*, quin uno eodemque tempore sit sacramentum» [3]. Sed conjuges eo ipso, quod baptizentur, sunt fideles et habent matrimonium. Ergo habent etiam simul sacramentum.

S. Thomas haec habet: «Quamvis infidelibus non competat matrimonium, secundum quod est sacramentum in dispensatione ministrorum Ecclesiae consistens, competit tamen eis, in quantum est in officium naturae; et tamen etiam matrimonium tale est aliquo modo sacramentum habitualiter, quamvis non est actualiter, eo quod actu non contrahunt in fide Ecclesiae» [4]. Eo autem ipso, quod conjuges infideles baptizentur, fit matrimonium in actu.

691. Quaeres 2.° *An matrimonium fidelium per procuratorem inter absentes contractum sit sacramentum.*

Resp. Aliqui egregii theologi negaverunt conjugium, quod inter absentes per procuratorem celebratur, esse proprie sacramentum. Ita *Cajetanus, Victoria, Canus,* et alii [5].

Alii tamen melius docent matrimonium per procuratorem, qui habet speciale mandatum contrahendi, personaliter cum determinata persona juxta instructiones mandantis celebratum, esse verum sacramentum. Ita hodie communiter [6].

Codex juris canonici confirmat hanc doctrinam dicens: «Ut matrimonium per procuratorem valide ineatur, requiritur mandatum speciale ad contrahendum cum certa persona, subscriptum a mandante et vel a parocho aut Ordinario loci, in quo mandatum fit, vel a sacerdote ab alterutro delegato vel a duobus saltem testibus» [7].

Ratio est, quia procurator nomine mandantis adhibet consensum de praesenti et init contractum.

Plures antiqui, ut *Salmanticenses* [8], docuerunt matrimonium initum per epistolam inter absentes esse in Ecclesia verum sacramentum, sed hodie *Codex juris canonici* ad matrimonium valide contrahendum re-

---

[1] *In IV Sent.*, dist. 26, q. 1, a. 3 ad 3. Hanc opinionem probabilem esse censent **Wirceburgenses,** *De sacram. matrim.*, n. 284.

[2] **Sanchez,** *De matrimonio*, lib. 2, disp. 9, n. 5; **Billot,** *De matrimonio*, th. 38; **Pesch,** *De sacram. matrim.*, n. 727; **Herve,** *De matrimonio*, n. 540.

[3] *Allocutio* «Acerbissimum», 27 Sept. 1852; **Denz-Bannw.,** 1640.

[4] *Suppl.*, q. 59, a. 2 ad 1.

[5] **Cajetanus,** *Opusc.*, t. 1, tr. 12, q. 1; **Victoria,** *Summa*, n. 244; **Canus,** *De locis theologicis*, lib. 8, c. 5, «Poenitentiae demum».

[6] Cfr. **Sanchez,** *De matrimonio*, lib. 2, disp. 11, n. 26; **Liberius a Jesu,** *Controv.*, tr. 8, disp. 1, controv. 4, n. 52; **Salmanticenses,** *De matrimonio*, c. 3, p. 3, n. 89; **S. Alphonsus,** lib. 6, n. 885.

[7] *Can.* 1089, §1.

[8] *De sacramento matrimonii*, c. 3, p. 3, n. 89.

quirit, «ut contrahentes sint praesentes sive per se ipsos sive per procuratorem» [1].

692. Quaeres 3.° *An matrimonium, quod fidelis ex dispensatione Sedis Apostolicae contrahit cum infideli, sit verum sacramentum.*

Resp. Aliqui affirmant dicentes nihil obstare, quominus contractu in una parte habeat qualitatem, quam non habet in alia, et ita matrimonium in uno contrahente sit sacramentum. Ita *Sotus*, *Perrone*, *Pesch*, et alii [2].

Alii vero, considerantes sacramentum matrimonii esse contractum bilateralem, probabilius censent contractum matrimonialem duorum, quorum unus est inhabilis ad sacramentum recipiendum, non esse verum sacramentum. Ita *Sanchez*, *Billuart*, *Wirceburgenses*, *Billot*, et alii [3].

Haec opinio negans magis mihi probatur.

S. Thomas aperte favet huic sententiae dicens: «Cum matrimonium sit quaedam relatio, et non possit innasci relatio in uno extremorum sine hoc quod fiat in alio, ideo, quidquid impedit matrimonium in uno, impedit ipsum in altero, quia non potest esse, quod aliquis sit vir non uxoris, vel quod aliqua sit uxor non habens virum, sic nec mater non habens filium; et ideo dicitur communiter, quod *matrimonium non claudicat*» [4]. Sic pariter nequit unus conjugum sacramentaliter conjungi, quin alter simul sacramentum matrimonii suscipiat.

Corollarium. Ex hoc sequitur matrimonium infidelium, si unus conjugum baptizetur, non fieri sacramentum, quia cum sacramentum matrimonii sit bilaterale in ratione sacramenti, matrimonium infidelium nequit fieri sacramentum, si unus tantum baptizetur, altero in infidelitate remanente [5].

ARTICULUS III

QUO ACTU PERFICIATUR SACRAMENTUM MATRIMONII

693. Status quaestionis. Cum sacramentum matrimonii sit quidam contractus, eodem modo perfici videtur, quo perficitur contractus, consensu scilicet mutuo contrahentium.

Sed quia nonnulli dixerunt consensu ab utraque parte praestito, non interveniente copula, nondum perfici sacramentum matrimonii, et hoc sacramentum non posse dari in his, qui ligantur voto virginitatis, operae pretium est breviter declarare, quomodo perficiatur hoc sacramentum.

---

[1] *Can.* 1088.

[2] **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 26, q. 2, a. 3 in fine; **Perrone,** *De matrimonio christiano*, lib. 2, sect. 1, c. 7, a. 1; **Pesch,** *De sacramento matrimonii*, n. 728.

[3] **Sanchez,** *De matrimonio*, lib. 2, disp. 8; **Billuart,** *De matrimonio*, diss. 1, a. 5, petes 7; **Wirceburgenses,** *De sacramento matrimonii*, n. 288; **Billot,** *De matrimonio*, th. 38, § 3.

[4] *Suppl.*, q. 47, a. 4.

[5] Cfr. **Billot,** *De matrimonio*, th. 38.

694. THESIS. **Sacramentum matrimonii perficitur mutuo contrahentium consensu de praesenti; et ideo matrimonium fidelium non consummatum est verum sacramentum.**

Arg. 1) Sacramentum matrimonii est ipsummet matrimonium seu contractus matrimonialis elevatus a Christo ad rationem sacramenti, et eodem modo perficitur ac ipsum matrimonium. Sed contractus matrimonialis seu matrimonium perficitur consensu de praesenti sine sexuum commixtione, ut patet ex matrimonio S. Joseph et beatae Mariae Virginis. Ergo. *Petrus Lombardus* errorem vocat dicere «sine carnali copula non posse contrahi matrimonium; inter Mariam et Joseph non fuisse conjugium, vel non fuisse perfectum; quod nefas est dicere» [1].

2) *Ex SS. Patribus. S. Ambrosius:* «Non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis... Cum jungitur puella, conjugium est, non cum virili admixtione cognoscitur» [2].

Nicolaus I: «Per hoc sufficiat secundum leges solus eorum consensus de quorum conjunctionibus agitur. Qui consensus si in nuptiis solus forte defuerit, caetera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur, Joanne Chrysostomo, magno doctore, testante, qui ait: *Matrimonium non facit coitus, sed voluntas*» [3].

3) *Ex Ecclesiae documentis:* Concilium florentinum ait: «Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus» [4].

Codex juris canonici: «Matrimonium facit partium consensus inter personas jure habiles, legitime manifestatus» [5].

Catechismus Romanus apposite ad rem admonet parochos, ut fidelibus explicent «praeter consensum eo, quo dictum est, modo expressum, ut verum matrimonium exsistat, concubitum necessario non requiri; nam et primos parentes ante peccatum, quo tempore nulla inter eos carnis copula intercesserat, ut Patres testantur, vero matrimonio junctos fuisse plane constat. Quare a Sanctis Patribus dictum est matrimonium non concubitu, sed consensu exsistere» [6].

4) *Ex ratione.* Matrimonium copula carnali non consummatum dicitur ratum. Si hoc matrimonium ratum non esset sacramentum sed promissio futurae copulae, ut aliqui voluerunt, vetitum esset conjugibus christianis commisceri, quia solum sacramentum facit eis usum matrimonii esse licitum. Inauditum est autem conjugibus post celebratum conjugium non licere commisceri.

---

1 *IV Sent.*, dist. 26, n. 7; ML **192,** 910.
2 *De instit. virg.*, c. 6, n. 41; ML **16,** 331.
3 *Resp. ad consulta bulgar.*; c. 3; **Mansi,** 15, 403.
4 *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 702.
5 *Can.* 1081, § 1.
6 *Parte* 2, c. 8, n. 8.

ARTICULUS IV

QUAE SIT MATERIA ET FORMA SACRAMENTI MATRIMONII

695. Status quaestionis. 1) Omnia sacramenta constant materia et forma, ut patet ex concilio florentino [1]. Unde fallitur *Durandus* [2], cum docet matrimonium non convenire univoce cum aliis sacramentis quoad applicationem rei et verborum, quia in aliis sacramentis per aliquem extrinsecum, in matrimonio autem per ipsos contrahentes fit applicatio. Sed hoc nihil obstat. In matrimonio sicut in aliis sacramentis est aliquid determinatum quod est materia, et aliquid determinans quod est forma.

2) Loquimur de materia et forma matrimonii, quatenus matrimonium est sacramentum seu contractus in fieri, non de matrimonio, quatenus est vinculum in facto esse, et ideo in ipso contractu quaeri adsignarique debent materia et forma.

696. Placita theologorum. 1) Aliqui theologi, putantes sacerdotem esse ministrum hujus sacramenti, dixerunt verba contrahentium esse materiam, verba vero sacerdotis esse formam ejusdem. Ita *Canus, Estius, Sylvius,* et alii pauci [3].

Contra hanc sententiam ait cl. *Martène:* «Inaudita quippe apud eos (veteres ritualistas) erant illa verba parochi: *Ego vos conjungo in nomine Patris,* etc., in quibus aliqui ex recentioribus scholasticis formam hujus sacramenti constituunt» [4].

2) Alii dixerunt corpora legitime contrahentium esse materiam, consensum vero per verba vel alia signa externa expressam esse formam hujus sacramenti. Eorum ratio est, quia in contractibus res ipsae, quae mutuo dantur, sunt materia, et verba, quibus res traditur, dicitur forma. Ita *Vazquez* et alii pauci [5].

Sed hoc non placet, quia in aliis contractibus res, quae mutuo dantur, sunt materia circa quam, non constituens contractum, et nequit aequiparari cum materia proxima sacramenti matrimonii, de qua nunc agimus.

3) Alii contendunt consensum internum contrahentium aliquo modo expressum esse materiam, verba vero seu signa, quibus consensus exprimitur, esse formam. Ita *Capreolus, Navarrus, Valentia,* et alii [6].

4) *Verior sententia docet* verba seu signa utriusque conjugis ad invicem, quibus consensus exprimitur, esse simul materiam et formam sacramenti matrimonii sub diverso respectu; quatenus scilicet verba seu signa exprimunt mutuam traditionem juris ad corpora, sunt materia; et quatenus exprimunt mutuam acceptationem traditionis, sunt forma.

Hanc sententiam tenent *S. Thomas, Suarez, Sanchez, Gonet, Gabriel a S. Vincentio, Salmanticenses,* et alii plures [7].

---

[1] *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 695.

[2] *In IV Sent.,* dist. 26, q. 3, n. 11.

[3] **Canus,** *De locis theologicis,* lib. 8, c. 5; **Estius,** *In IV Sent.,* dist. 26, § 10; **Sylvius,** *In Suppl.,* q. 42, a. 1, q. 1.

[4] *De antiquis Eccl. rit.,* lib. 1, c. 9, a. 3, n. 6.

[5] *De matrimonio,* q. 3, c. 5.

[6] **Capreolus,** *In IV Sent.,* dist. 26, q. un., a. 3 ad 7; **Navarrus,** *Manuale confessariorum,* c. 22, n. 20; **Valentia,** *In III p.,* disp. 10, q. 1, p. 6.

[7] **S. Thomas,** *Suppl.,* q. 42, a. 1 ad 1 et 2; **Suarez,** *De sacramentis in genere,* q. 60, a. 8, disp. 2, sect. 1; **Sanchez,** *De matrimonio,* lib. 2, disp. 5, n. 6; **Gonet,** *De matrimonio,* disp. 2, a. 5; **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramento matrominii,* disp. 2, q. 1; **Salmanticenses,** *De matrimonio,* c. 3, p. 2, n. 63.

Falleretur certe, qui diceret in hac sententia unum conjugum adhibere materiam, verba scilicet significantia traditionem, et alterum ponere formam seu verba exprimentia acceptationem.

Ambo potius adhibent utramque, quia, ut dicemus inferius, ambo sunt ministri et subjectum hujus sacramenti.

Clarissime hoc exponunt *Salmanticenses* his verbis: «Quando vir dicit feminae: *Volo te in conjugem recipere*, duo facit; et exprimit traditionem sui corporis feminae et acceptationem mutuae traditionis feminae ad ipsum: et similiter ex parte feminae, quando ipsa dicit: *Volo tecum nubere*, et traditionem sui et acceptationem alterius explicat. Verba ergo utriusque conjugis, secundum quod explicant traditionem, sunt materia respectu alterius, cujus verba, ut explicant acceptationem illius, se habent ut forma; et consequenter verba istius, ut explicant traditionem sui alteri, se habent ut materia; et alterius verba, ut explicant acceptationem, ut forma. Ac proinde in hoc sacramento datur duplex materia et forma partialis, neutra tamen perfecte significans, nisi ut conjuncta cum alia» [1].

Hoc modo explicatur materiam et formam intrinsece constituere sacramentum seu contractum matrimonialem transeuntem, et simul, ut decet, esse sensibiles.

QUAESTIO XLI

DE MINISTRO ET SUBJECTO SACRAMENTI MATRIMONII

ARTICULUS I

QUIS SIT MINISTER SACRAMENTI MATRIMONII

697. Minister sacramentorum est, qui ea conficit et administrat. Investigandum hic venit, quis conficiat et conferat sacramentum matrimonii.

Placita theologorum. 1) Aliqui defendunt sacerdotem, qui nuptias benedicit, et profert verba: *Ego vos conjungo*, esse ministrum hujus sacramenti. Ita *Canus, Sylvius, Contenson*, et alii pauci [2].

2) Alii communiter docent ipsos contrahentes esse ministros sacramenti matrimonii [3].

698. THESIS. **Ministri sacramenti matrimonii sunt ipsi contrahentes.**

Arg. 1) *Ex praxi et doctrina Ecclesiae.* Ubi parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus haberi nequit, «in mortis periculo validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus; et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam» [4].

---

[1] *De matrimonio*, c. 3, p. 2, n. 63.

[2] **Canus,** *De locis theologicis*, lib. 8, c. 5; **Sylvius,** *In Suppl.*, q. 42, a. 1; quaeritur 1; **Contenson,** lib. 11, p. 4, diss. 4, c. 1, prop. 3 et 4.

[3] Cfr. **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 26, q. 2, a. 3; **Liberius a Jesu,** *Controv.*, tr. 8, disp. 2, controv. unica; **Gabriel a S. Vincentio,** *De sacramento matrimonii*, dispositio 3, q. 12.

[4] *Codex juris canonici*, can. 1098, § 1. Cfr. **Wirceburgenses,** *De sacramento matrimonii*, n. 305 sqq., qui dilucide hanc materiam explicant.

2) *Ex auctoritate S. Thomae.* Angelicus Doctor ait ad rem: «Verba, quibus consensus exprimitur matrimonialis, sunt forma hujus sacramenti, *non autem benedictio sacerdotis*, quae est quoddam sacramentale» [1].

3) *Ex ratione.* Sacramentum matrimonii est ipse contractus transiens. Contractum autem faciunt contrahentes. Ergo contrahentes conficiunt et administrant hoc sacramentum.

699. Scholion. Parochus tamen vel sacerdos delegatus munere speciali fungitur in celebratione sacramenti matrimonii. Est *testis qualificatus* et ex officio deputatus, qui non facit quidem sacramentum seu contractum, sed solemnizat nuptias.

A primis Ecclesiae saeculis praesentia sacerdotis in matrimoniis ineundis requirebatur ad liceitatem. Primo quidem juxta S. Ignatium de sententia episcopi connubia fiebant [2]; et deinde S. Evaristus saeculo II ex traditione apostolica statuisse dicitur, ut matrimonium publice celebraretur, et sacerdotis benedictio adhiberetur [3]. Quare tempore Tertulliani «occultae... conjunctiones, id est, non prius apud Ecclesiam professae, juxta moechiam et fornicationem judicari» periclitabantur [4].

Juxta concilium tridentinum [5], et Codicem juris canonici [6], «ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parocho, vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus».

His tamen verbis non declaratur sacerdotem esse ministrum sacramenti matrimonii, sed contractui matrimoniali, qui a contrahentibus celebratur, apponitur ea conditio, ut ad validitatem celebretur coram parocho, Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato. Caetera apud moralistas.

ARTICULUS II

QUIS SIT SUBJECTUM SACRAMENTI MATRIMONII

Quae de subjecto sacramenti matrimonii disputantur, breviter hic exponenda suscipimus.

700. I. *Omnis et solus homo baptizatus, qui nullo ligatur impedimento dirimente juris naturae vel juris positivi, potest valide suscipere sacramentum matrimonii.*

1) Nemo potest valide hoc sacramentum suscipere, nisi prius sit *baptizatus*, quia baptismo ingredimur Ecclesiam et capaces reddimur suscipiendi caetera sacramenta.

2) Oportet subjectum esse immune ab impedimentis dirimentibus, quia impedimenta dirimentia reddunt contractum nullum, ac proinde invalidant sacramentum. Vide haec impedimenta in *Codice juris canonici*, can. 1067-1080, et apud moralistas.

---

1 *Suppl.*, q. 42, a. 1 ad 1.
2 **S. Ignatius,** *ep. ad Polycarpum*, 5, 1; **Journel,** 67.
3 *Breviarum romanum*, die 26 Octobris.
4 **Tertullianus,** *De pudicitia*, 4; ML **2,** 1038.
5 *Sess.* 24, decretum de reformatione, c. 1; **Mansi,** 33, 152.
6 *Can.* 1094.

3) Cum contrahentes sint minister ac subjectum hujus sacramenti, quatenus sunt minister, debent habere intentionem saltem virtualem faciendi, quod facit Ecclesia, et quatenus sunt subjectum, intentionem saltem habitualem.

701. II. *Omnis homo, qui est in statu gratiae sanctificantis, et servat leges a legitima auctoritate circa connubia latas, licite potest hoc sacramentum suscipere.*

1) *Omnis homo, qui est in statu gratiae,* quia, cum matrimonium sit sacramentum vivorum, non licet christianis matrimonium in peccato mortali recipere.

2) *Qui leges a legitima auctoritate circa connubia latas servat.* Hae leges plerumque referuntur ad impedimenta tam dirimentia quam impedientia, quae a contrahentibus servandae sunt.

Scholion. Sedulo hortandi sunt fideles, ut antequam matrimonium ineant, confirmationem suscipiant [1], et «sua peccata diligenter confiteantur, et sanctissimam eucharistiam pie recipiant» [2].

QUAESTIO XLII

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI MATRIMONII

702. Effectus sacramenti matrimonii sunt gratia sanctificans et proprietates, quae dicuntur unitas et indissolubilitas. De gratia sanctificante matrimonii in uno articulo et de proprietatibus disseremus in sequentibus.

ARTICULUS I

AN ET QUAM GRATIAM PRODUCAT SACRAMENTUM MATRIMONII

703. THESIS. **Sacramentum matrimonii causat augmentum gratiae sanctificantis cum vigore speciali ad munera matrimonii rite adimplenda.**

1) *Causat augmentum gratiae sanctificantis.* Matrimonium enim est sacramentum vivorum. Sacramenta autem vivorum producunt augmentum gratiae non ponentibus obicem.

2) *Cum speciali vigore ad munera matrimonii rite adimplenda.* Gratia sanctificans, quatenus confert jus ad auxilia quaedam specialia, vocatur *sacramentalis*. Sacramentum autem matrimonii confert gratiam sanctificantem cum auxiliis specialibus ad rite adimplenda munera status matrimonialis.

Munera status matrimonialis sunt: ut a) conjuges prolem honeste procreent et christiane educent; b) sese mutuo diligant, ut *Christus* dilexit Ecclesiam [3], mutuumque sibi praestent auxilium; c) fidelitatem sibi invicem servent; d) ardores concupiscentiae compescant.

---

[1] *Codex juris canonici*, can. 1021, § 2.
[2] *Codex juris canonici*, can. 1033.
[3] *Ephes.*, 5, 25.

Sacramentum autem matrimonii confert gratiam sanctfiicantem cum auxiliis ad haec munera rite adimplenda necessariis, ut docet concilium tridentinum dicens: «Gratiam vero, quae naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium sacramentorum institutor atque perfector sua nobis passione promeruit» [1].

ARTICULUS II

UNITAS MATRIMONII EXPLICATUR

704. Status quaestionis. 1) «Essentiales matrimonii proprietates sunt unitas ac indissolubilitas, quae in matrimonio christiano peculiarem obtinent firmitatem ratione sacramenti» [2]. De unitate in hoc articulo et de indissolubilitate in sequenti loquemur.

2) Unitas matrimonii est qualitas essentialis ejusdem, juxta quam unus vir foedere conjugali conjungitur cum una sola muliere. Dicitur *monogamia* — μονος γαμος — unum matrimonium.

Est *perfecta*, si conjux, mortuo conjuge, non transit ad novas nuptias; et *imperfecta*, si novas ineat nuptias.

Unitati matrimonii adversatur *polygamia* (plura matrimonia), quae est conjunctio conjugalis unius cum pluribus. Si una mulier plures viros habeat, dicitur *polyandria;* si unus vir pluribus mulieribus jungatur, est proprie *polygamia;* utraque tamen nomine communi vocatur simpliciter polygamia.

Potest esse *simultanea* vel *successiva*, prout una pars, vivente vel mortuo conjuge, novas inierit nuptias.

3) Quaeri potest, an polygamia simultanea adversetur tum matrimonio sacramento tum matrimonio ut est in officium naturae.

---

[1] *Sess.* 24, prooem.; **Denz-Bannw.,** 969. Effectus matrimonii christiani lepide describit *Tertullianus* his verbis: «Quale jugum fidelium duorum (conjugum) unius spei, unius disciplinae, ejusdem servitutis. Ambo fratres, ambo conservi, nulla spiritus carnisve discretio. Atquin vere duo in carne una, ubi caro una, unus et spiritus. Simul orant, simul volutantur et simul jejunia transigunt, alterutro docentes, alterutro hortantes, alterutro sustinentes. In Ecclesia Dei pariter utrique, pariter in convivio Dei, pariter in angustiis, in persecutionibus, in refrigeriis; neuter alterum celat, neuter alterum vitat neuter alteri gravis est, libere aeger visitatur, indigens sustentatur; eleemosynae sine tormento, sacrificia sine scrupulo, quotidiana diligentia sine impedimento; non furtiva signatio, non trepida gratulatio, non muta benedictio; sonant inter duos psalmi et hymni, et mutuo provocant, quis melius Deo suo cantet. Talia Christus videns et audiens gaudet, his pacem suam mittit, ubi duo, ibi et ipse; ubi et ipse ibi malus non est». *Ad uxorem*, lib. 2, c. 9; ML **1,** 1416 sq.

Leo item XIII docet matrimonia christiana non solum propagationi generis humani prospicere, sed et meliorem beatioremque efficere conjugum vitam, tum mutuo ad vitae necessitates sublevandas adjumento, tum amore constanti ac fideli, communione bonorum, et gratia caelesti, quae a sacramento proficiscitur. Deinde addit: «Hos fructus tantos ac tam praeclaros tamdiu matrimonium revera genuit, quandiu munera sanctitatis, unitatis, perpetuitatisque retinuit, a quibus vim omnem accipit fructiferam et salutarem». Encyclica *Arcanum divinae sapientiae*, 10 Febr. 1880. *Acta S. Sedis*, 12, 395.

[2] *Codex juris canonici*, can. 1013, § 2.

4) Facile probatur polygamiam simultaneam adversari matrimonio sacramento, quia Christus ita instituit hoc sacramentum unum, ut unus et una solummodo inire possent connubium.

5) Difficilius explicatur, an et quomodo polygamia simultanea adversetur matrimonio, quod est in officium naturae, et quomodo dispensationem patiatur.

Ut haec difficultas radicitus explicetur, notanda sunt sequentia: jura naturae aliquando praecipiunt ea, quae spectant ad bonum Dei, et vetant, quae ipsi ultimo fini ac summo bono directe repugnant, ut Deum esse diligendum et non esse blasphemandum, dicunturque praecepta *primae tabulae;* aliquando exigunt, quae respiciunt bonum creaturae, ac vetant, quae repugnant eidem, ut vitam innocentis esse servandam, et neminem esse occidendum, vocanturque praecepta *secundae tabulae.*

Praecepta secundae tabulae possunt esse *primaria* vel *secundaria*, prout fines naturae primarios vel secundarios servandos ordinent, aut eorum opposita prohibeant. Jus enim naturae potest praecipere finem primarium vel secundarium naturae, ut custodia vitae innocentis est finis primarius, et solutio debiti est finis secundarius. Et juxta hoc dupliciter etiam contingit aliquid naturae fini adversari: *uno modo* quasi omnino prohibens ac tollens finem principalem naturae, ut polyandria impediens generationem tollit finem principalem matrimonii, qui est prolis procreatio: *alio modo* quasi prohibens ac tollens finem secundarium naturae, ut polygamia seu unius viri cum pluribus uxoribus conjunctio tollit finem secundarium matrimonii, qui est fides mutuumque inter conjuges auxilium [1].

6) Jura naturae, quae referuntur ad bonum Dei ut ad ultimum finem, immobilia sunt, ac proinde praecepta primae tabulae nullam admittunt dispensationem, quia Deus non potest dispensare ab obligatione, quam habemus, diligendi ipsum, nec licentiam concedere ad blasphemandum.

Praecepta primaria secundae tabulae, quae servant jura naturae respectu finis principalis ipsius naturae, comparari possunt ordini ac legibus generalibus totius universi, et aliquando dispensari possunt a Deo, non tanquam regula generalis et privilegium permanens pro omnibus, sed in casibus particularibus, ratione alicujus mysterii significandi, sicut ordo totius universi dispensatur a Deo per miraculum. Ad rem apposite *S. Thomas:* «Ratio dispensationis in praeceptis legis naturae quandoque... est tantum in causis superioribus, et tunc potest dispensatio esse divinitus etiam *contra prima praecepta* legis naturae, ratione alicujus mysterii significandi vel ostendendi, sicut patet de dispensatione in praecepto Abrahae facto de occissione filii innocentis. Tales autem dispensationes non fiunt communiter ad omnes, sed ad aliquas singulares personas, sicut etiam in miraculis accidit» [2]. Praecepta igitur aliqua primaria juris naturae circa matrimonium possunt a Deo dispensari quasi per miraculum pro quibusdam personis particularibus, non habitualiter pro tota societate.

---

[1] Cfr. **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 65, a. 1.
[2] *Suppl.*, q. 67, a. 2.

Praecepta secundaria legis naturalis servant ordinem naturae circa fines secundarios ejusdem, ut in matrimonio praecipitur fides, ac conjugum mutuum auxilium, et in his potest Deus aliquando dispensare etiam pro omnibus ad certum tempus.

7) Matrimonium «habet ulterius alium finem, in quantum inter fideles est, scilicet significationem Christi et Ecclesiae; et sic bonum matrimonii dicitur sacramentum» [1]. Polygamia hunc finem «totaliter tollit, eo quod, sicut Christus est unus, ita et Ecclesia una» [2].

8) Quaeritur, an et quomodo polygamia sit vetita.

705. THESIS I. **Polyandria simultanea omnibus juris naturae praeceptis adversatur.**

Nota. Divinus Plato primo [3] et deinde sansimoniani communiter aliique haeretici [4] commendarunt *communitatem feminarum*, imo plures abominandam turpitudinem accedendi ad unam mulierem tenuerunt, libidine magis quam doctrina ducti.

Dilucide probat cl. *Perrone* [5] aliquando quidem contigisse, ut unica mulier pluribus simul fuerit addicta viris (polyandria), sed hujusmodi congressus apud nullas gentes, nequidem barbaras atque sylvestres, matrimonii nomine fuisse cohonestatas.

Arg. 1) *Polyandria* simultanea a) *adversatur primario matrimonii fini*, qui est bonum prolis. Mulier enim, cui plures accedunt viri, redditur sterilis, adeo ut juxta Debreyne [6] ex ducentis meretricibus duo vel tres filii nascantur per annum; et educatio prolis fit impossibilis, ubi ignoratur pater. b) Tollit omnino *bonum fidei*, quod, ut diximus, consistit in mutuo conjugum adjutorio et fidelitate. Plures enim viri in unius tantum mulieris commercio non pacem fovent, non mutuum auxilium praestant, sed rixas discordiasque promovent. c) Non adhibet *concupiscentiae remedium*, quia plures viri cum una tantum muliere non satisfiunt [7].

Compertum etiam est ex historia nunquam in hoc a Deo dispensatum fuisse, neque consuetudine vel lege aliqua apud gentes polyandriam simultaneam ut honestam habitam fuisse.

An possit Deus aliquando dispensare in lege naturali prohibente polyandriam simultaneam, non constat. Si attendantur principia S. Thomae, qui dicit Deum posse, *ratione alicujus mysterii divini significandi vel ostendendi*, in casibus particularibus et per modum miraculi dispensare in praeceptis etiam primariis juris naturae [8], videtur posse Deum aliquando dispensare in praecepto primario prohibente polyandriam simultaneam, et ita docet *Sanchez*.[9]. Alii tamen communius defendunt

---

1 **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 65, a. 1.
2 **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 65, a. 1.
3 *De republica* (Civitas), lib. 5.
4 Cfr. **Perrone,** *De matrimonio christiano*, lib. 3, c. 1, a. 1.
5 *De matrimonio christiano*, lib. 3, c. 1, a. 1.
6 *Essai sur la théologie morale*, p. 3, § 3.
7 Cfr. **Perrone,** *De matrimonio christiano*, lib. 3, c. 1, a. 1.
8 *Suppl.*, q. 67, a. 2.
9 *De matrimonio*, lib. 7, disp. 80, n. 15.

polyandriam simultaneam ita esse essentialiter malam, ut nunquam possit supponi ratio alicujus mysterii divini significandi vel ostendendi, qua Deus valeat ab ea auferre malitiam. Unde putant polyandriam simultaneam ita esse essentialiter foedam ac inhonestam, ut nulla causa dispensari possit.

706. THESIS II. **Polygamia et polyandria successiva, id est, novum matrimonium post mortem unius conjugis vel etiam post dissolutionem matrimonii rati aut matrimonii in infidelitate contracti, est libera ac licita.**

Nota. Montanistae imprimis, opitulante Tertulliano [1], et deinde novatiani, si fides est Theodoreto [2], damnarunt secundas nuptias ut illicitas.

Inter graecos controversia olim exarsit, an tertiae et quartae nuptiae (trigamia et tetragamia) aliquando licerent. Opinio negativa inter graecos praevaluit. Hujus disciplinae incipientis theoriam continent verba S. Gregorii Nazianzeni, qui loquendo de nuptiis ait: «Primum (matrimonium) lex est, secundum venia et indulgentia, tertium iniquitas. Qui autem hunc numerum excedit, porcinus plane est» [3]. *S. Basilius* similia habet [4]. Idque, incipiente saeculo X, *Nicolaus I* cognomento mysticus, Patriarca Cpolitanus, expresse declaravit in suo decreto anni 920 [5].

Attamen, *Nicolaus I*, qui primo dixit quartas nuptias jure divino damnari, deinde fassus est jure tantum ecclesiastico eas reprobari.

Graeci schismatici nunc etiam huic doctrinae ita adhaerent, ut tertias nuptias dicant illicitas et quartas invalidas, nisi impedimentum a legitima auctoritate tollatur.

Ecclesia latina nunquam tertias et ulteriores nuptias damnavit.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Hanc doctrinam diserte tradidit Apostolus dicens: *Dico autem non nuptis et viduis: Bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego. Quod si non continent, nubant. Melius est enim nubere quam uri... Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult, nubat, tantum in Domino* [6]. Alibi hortatur viduas *juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse* [7].

2) *Ex SS. Patribus. Hermas:* «Si mulier, inquam Domine, aut invicem vir aliquis dormierit et nupserit aliquis eorum, numquid peccat nubens? Non peccat» [8].

S. Epiphanius: «In populo, propter ejus imbecillitatem, tolerari istud potest, ut, qui uxore prima contenti esse non possunt, ea mortua, secundam sibi copulent» [9].

S. Hieronymus: «Erubescat calumniator meus dicens me prima damnare matrimonia, quando legit: Non damno *bigamos*, et *trigamos*, et, si dici potest, *octogamos*. Aliud est non damnare, aliud praedicare; aliud est veniam concedere, aliud laudare virtutem» [10].

---

1 *Monogamia*, c. 1; ML **2,** 970.
2 **Theodoretus,** *Haeret. fab. compl.*, lib. 3, c. 6; MG **83,** 407.
3 *Orat.* 37, n. 8; MG **36,** 291.
4 *Ep.* 160; MG **32,** 627.
5 *I Cor.*, 7, 8-9, 39.
6 *I Tim.*, 5, 14.
7 *Mand.* 4, c. 4, n. 1; MG **2,** 922; **Journel,** 88.
8 *Adv. Haer. Panarium*, haer. 59, c. 4; MG **41,** 1024; **Journel,** 1097.
9 *Ep.* 48 *ad Pammachium*, c. 9; ML **22,** 499; **Journel,** 1349.

S. Augustinus: «De tertiis et de quartis et de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quaestionem. Unde, ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre» [1].

3) *Ex Ecclesiae documentis.* Concilium florentinum: «Cum secundum Apostolum, mortuo viro, mulier sit ab ejus lege soluta, et nubendi cui vult in Domino habeat facultatem, nec distinguat, mortuo primo, vel secundo, vel tertio, declaramus non solum secundas, sed tertias et quartas, atque ulteriores, si aliquod impedimentum non obstat, licite contrahi posse» [2].

Codex juris canonici: «Licet casta viduitas honorabilior sit, secundae tamen et ulteriores nuptiae *validae* et *licitae* sunt» [3].

Haec fuit praxis in Ecclesia semper servata.

707. THESIS III. **Polygamia simultanea proprie dicta non juri naturae primario sed juri naturae secundario adversatur.**

Nota. 1) Pars prima videtur esse contra Calvinum [4], qui diserte adseruit polygamiam simultaneam ita esse legi naturali contrariam, ut nunquam possit a Deo permitti, et Patriarchas veteris testamenti, qui duas habuerunt uxores, fuisse adulteros.

2) Circa alteram thesis partem duae sunt theologorum opiniones. Aliqui censent polygamiam simultaneam esse quidem juri naturae parum consentaneam eique repugnare ut aliquid minus perfectum, sed, spectato solo naturae jure, unionem esse validam. Ita *Durandus* [5] et alii apud Perrone, quibus ipse *Perrone* non parum favet [6]. Alii communius et melius putant polygamiam simultaneam ita juri naturae adversari, ut nemo, spectato solo naturae jure, possit citra dispensationem Dei cum duabus simul uxoribus nuptias valide inire. Ita videtur tenere *S. Thomas*, et defendunt *Bellarminus, Liberius a Jesu, Billot*, et alii [7].

Pars 1.ª Non adversatur juri naturae primario.

Polygamia simultanea non tollit nec impedit omnino finem primarium matrimonii, qui est procreatio et educatio prolis, quia, ut ait *S. Thomas*, unus vir sufficit «pluribus uxoribus fecundandis et educandis filiis ex eis natis» [8].

Pars 2.ª Adversatur juri naturae secundario.

1) Quia polygamia simultanea difficilem reddit obtentionem finis primarii matrimonii praesertim quoad educationem prolis.

2) Quia multum impedit fines secundarios matrimonii: a) «Eo quod non facile potest esse pax in familia, ubi uni viro plures uxores jungun-

---

1 *De bono viduit.*, c. 12, n. 15; ML **40,** 439; **Journel,** 1790.
2 *Decreto pro armenis;* **Mansi,** 31 B, 1741.
3 *Can.* 1142
4 *Comment. in Genesim*, c. 16.
5 *In IV Sent.*, dist. 33, q. 1.
6 *De matrimonio christiano*, lib. 3, c. 1, a. 2.
7 **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 65, a. 1; **Bellarminus,** *De matrimonio*, c. 10; **Liberius a Jesu,** *Controv.*, tr. 8, disp. 3, controv. 2; **Billot,** *De matrimonio*, th. 40, § 1.
8 *Suppl.*, q. 65, a. 1.

tur; cum non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum, et etiam quia communicatio plurium in uno officio causat litem» [1]. b) Polygamia seu commercium unius viri cum pluribus uxoribus non jam remedium concupiscentiae sed signum est libidinis atque luxuriae.

708. THESIS IV. **Polygamia simultanea lege divina vetita est in veteri Testamento.**

Nota. Haec doctrina est multo communior contra Durandum, Sanchez, Perrone et alios [2].

Arg. 1) *Ex institutione matrimonii.* Dominus in paradiso, instituens matrimonium, unum virum cum una uxore conjunxit. Quare *S. Joannes Chrysostomus* apposite ait: «Animadverte autem illum non a creatione solum illud affirmare, sed et a praecepto ejus. Non enim dixit ipsum fecisse unum tantum hominem unamque mulierem; sed etiam praecepisse, ut unus uni copularetur. Si voluisset autem hanc dimitti, aliam duci, cum unum hominem fecit, multas fecisset mulieres. Nunc autem et ex modo creationis et ex forma legis ostendit unum debere semper cum una habitare, neque unquam separari» [3].

2) *Ex verbis Adae in paradiso.* Cum Dominus adduxisset mulierem ad Adam, dixit Adam: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea... Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae; et erunt duo in carne una* [4]. Hunc locum commentatus est *Innocentius III* dicens: «Non dicit *tres* vel *plures*, sed *duo:* nec dicit: adhaerebit *uxoribus*, sed *uxori* [5].

709. THESIS V. **Deus in veteri Testamento dispensavit a lege, quae prohibebat polygamiam simultaneam.** *Communis et certa.*

Diximus supra polygamiam simultaneam non adversari primariis juris naturae praeceptis, sed secundariis tantum, quae dispensationem patiuntur. Hanc autem dispensationem olim a Deo concedi oportuisse probat *Angelicus* his verbis: «Lex autem de unitate uxoris non est humanitus sed divinitus instituta; nec unquam verbo aut litteris tradita, sed cordi impressa, sicut et alia, quae ad legem naturae qualitercumque pertinent. Et ideo in hoc a solo Deo dispensatio fieri potuit per inspirationem internam, quae quidem principaliter Patribus sanctis facta est, et per eorum exemplum ad alios derivata est eo tempore, quo oportebat praedictum naturae praeceptum praetermitti, ut major esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandae. Semper enim principalior finis magis observandus est quam secundarius. Unde, cum bonum prolis sit

[1] **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 65, a. 1. Mahumetani, qui plures uxores habent, non valentes ponere pacem in familia, in veram servitutem eas redegerunt.

[2] **Durandus,** *In IV Sent.*, dist. 33, q. 1; **Sanchez,** *De matrimonio*, lib. 7, disp. 80, n. 6; **Perrone,** *De matrimonio christiano*, lib. 3, p. 34.

[3] *In Matth.*, hom. 62, n. 1; MG **58,** 507.

[4] *Gen.*, 2, 23 sq.

[5] Ep. *Gaudemus in Domino*, a. 1201; ML **216,** 1270.

principalis matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio necessaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum, quod posset in secundariis finibus evenire, ad quod removendum praeceptum prohibens pluralitatem uxorum ordinatur» [1].

Revera in hoc a Deo dispensatum fuisse constat eo quod Abraham, Jacob, Elcana, David, Joas aliique sanctissimi viri habuerint plures uxores in veteri Testamento. Tanti enim viri non sunt accusandi de adulterio.

Merito animadvertit cl. *Billot* [2] dispensationem, de qua loquimur, non esse licentiam committendi adulterium, quia adulterium secum fert malitiam, sed dare dispensationem idem significare in casu ac auferre malitiam adulterii ab iis actionibus, quae alias illam continerent.

710. Scholia. 1) Auctores multo communius docent dispensationem hac in re fuisse a Deo concessam post diluvium, et rationem afferunt cum Bellarmino, «quia post diluvium homines paucissimi erant, et non diu vivebant ut ante diluvium, idcirco Deus ad faciliorem propagationem generis humani indulsit polygamiam» [3]. Quare Lamechum ex nepotibus Cain, qui ante diluvium duas coepit simul habere uxores, *Tertullianus et S. Hieronymus maledictum* [4] et S. Nicolaus I *adulterum* [5] vocant.

Aliqui insinuant statim post diluvium fortasse ipsi Noe [6], alii posterius scilicet Abrahae, dispensationem fuisse factam. *S. Thomas* solum dicit eam Patribus sanctis fuisse concessam, quando prolis multiplicatio fuit necessaria [7].

2) Haec dispensatio non per externam locutionem sed per internam inspirationem videtur fuisse facta.

3) Non omnibus singillatim sed juxta aliquos soli Noe, juxta alios Abrahae, et juxta S. Thomam Patribus sanctis dispensatio facta est, et per eorum exemplum ad alios fuit derivata. Voluerunt nonnulli hanc dispensationem soli populo hebraeorum fuisse concessam, sed verius dicitur eam fuisse ad omnes gentes extensam per quamdam concomitantiam.

711. THESIS VI. **In lege evangelica fuit polygamia simultanea prohibita et antiqua dispensatio in perpetuum penitus revocata.**

Nota. 1) *Gnostici* docuerunt polygamiam in lege evangelica non esse prohibitam.

2) *Lutherus* item et anabaptistae, Calvino contradicentes, dixerunt polygamiam simultaneam esse jure divino licitam [8].

---

1 *Suppl.*, q. 65, a. 2.

2 *De matrimonio*, q. 65, «De unitate matrimonii.»

3 *De matrimonio*, c. 11, «Quod a Christo».

4 **Tertullianus,** *De exhortat. ad castitatem*, c. 5; ML **2,** 969; **S. Hieronymus,** *Ep. 79 ad Salvinam;* ML **22,** 732.

5 *Responsa ad consulta bulgar.*, n. 51; ML **119,** 1000.

6 **Katschthaler,** *De matrimonio*, n. 956.

7 *Suppl.*, q. 65, a. 2.

8 Lutherus, Melanchthon et Bucerus concesserunt Philippo de Hesse licentiam, ut Margaritam de Sahl in uxorem duceret, vivente Christina, prima uxore. Cfr. **Hergenrother,** *Historia de la Iglesia*, t. 5, p. 142.

3) *Mormoni* denique, a quodam Josepho Smith in Statibus Foederatis Americae septentrionalis anno 1830 fundati, non solum docuerunt polygamiam simultaneam esse licitam, verum etiam anno 1883 in congressu adunati decreverunt mittendos esse missionarios in universum mundum, ut salutiferam doctrinam de polygamia simultanea praedicarent.

Pars 1.ª Polygamia simultanea prohibita est in lege evangelica.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Christus Dominus revocans matrimonium ad primaevam institutionem ait: *Non legistis, quia, qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? Et dixit: propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una* [1]. Dispensationemque olim concessam abrogavit dicens: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet* [2].

Totam autem legem de matrimonio complevit Dominus dicens: *Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem et aliam duxerit, moechatur* [3]. *Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, moechatur* [4]. Eadem ratio est de eo, qui, retenta prima uxore, aliam duxerit. Ergo Dominus in Evangelio polygamiam simultaneam reprobavit.

Apostolus etiam confirmavit hanc doctrinam dicens: *Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro* [5].

2) *Ex concilio tridentino:* «Si quis dixerit licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, a. s.» [6].

3) *Ex documentis Ecclesiae. S. Nicolaus I* ad bulgaros ait: «Duas tempore uno habere uxores nec ipsa origo humanae conditionis admittit, nec lex christianorum ulla permittit» [7].

4) *Ex SS. Patribus. S. Theophilus:* «Apud quos (christianos) adest temperantia, continentia colitur, unicum matrimonium servatur» [8].

S. Ambrosius: «Non licet tibi, uxore vivente, uxorem ducere. Nam et aliam quaerere, cum habeas tuam, crimen est adulterii» [9].

Pars 2.ª Antiqua dispensatio est in perpetuum penitus abrogata.

1) Christus Dominus reduxit matrimonium in statum pristinum. In primo autem statu exstitit monogamia non polygamia. Ergo Dominus sustulit dispensationem olim in veteri Testamento concessam.

2) Ipse Dominus, relata monogamia matrimonii primitivi, ait: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro* [10].

---

1 *Matth.*, 19, 4-5.
2 *Matth.*, 19, 6.
3 *Matth.*, 19, 9.
4 *Marc.*, 10, 12.
5 *Rom.*, 7, 3.
6 *Sess.* 24, can. 2; **Denz-Bannw.**, 972.
7 *Responsa ad consulta bulgar.*, c. 51; **Mansi,** 15, 419; ML **119,** 999 sq.
8 *Ad Autolycum*, lib. 3, n. 15; MG **6,** 1142.
9 *De Abraham*, lib. 1, c. 7, n. 59; ML **14,** 464.
10 *Matth.*, 19, 6.

712. Corollarium. Haec dispensatio sublata est a Domino non solum pro christianis, qui sacramentum matrimonii contrahunt in Ecclesia, sed etiam pro gentilibus, qui matrimonio in officium naturae junguntur.

1) Quia matrimonium revocatum est ad statum primitivum, in quo polygamia prohibita erat jure naturae.

2) Licet gentiles non teneantur ad praecepta pure ecclesiastica, adstringuntur tamen praeceptis Christi ut legislatoris universalis. Christus autem ut legislator universalis sustulit dispensationem, qua permittebatur polygamia. Hinc gentiles nec licite nec valide possunt celebrare secundas nuptias, vivente prima uxore.

ARTICULUS III

AN ET QUOMODO MATRIMONIUM SIT INDISSOLUBILE

713. Status quaestionis. 1) Matrimonium infidelium, quod est in officium naturae, vocatur *legitimum* seu *verum;* matrimonium baptizatorum, quod est sacramentum, carnali copula nondum consummatum, dicitur *ratum;* et matrimonium baptizatorum actu conjugali consummatum appellatur *ratum* et *consummatum*. De horum indissolubilitate diversimode loquendum est.

2) Indissolubilitas est qualitas, qua vinculum matrimoniale disrumpi non potest.

3) Indissolubilitati opponitur dissolutio, quae est a) *perfecta*, quando matrimonium quoad vinculum disrumpitur, vel b) *imperfecta*, quando dissolutio fit solummodo quoad torum vel etiam quoad habitationem. De dissolutione imperfecta agunt canonistae et moralistae. Hic de dissolutione perfecta.

4) Indissolubilitas matrimonii potest esse a) *intrinseca*, si iisdem causis, quibus matrimonium contractum est, scilicet libero conjugum consensu, dissolvi non potest; et b) *extrinseca*, si a nulla lege statuta vel a nulla ecclesiastica civilive auctoritate potest annihilari.

5) Disserendum est primo de indissolubilitate intrinseca matrimonii, et deinde de indissolubilitate extrinseca.

§ 1

Utrum omne matrimonium sit intrinsece indissolubile.

714. Errores. 1) Juxta Lutherum vinculum conjugale dissolvi potest, si ethnicus aut malus christianus conjugem deserit; si conjux ad furtum aliudve crimen conjugem inducat; si conjuges rixas inter se habeant; si alter conjugum diu absit; si unus adulterium committit [1].

Juxta Bucerum matrimonium dissolvitur ob quamlibet causam, qua conjuges sibi invicem displicent [2].

[1] *Comment. ad cap. 7 ep. primae ad Corinthios.* Cfr. **Bellarminus,** *De sacramento matrimonii*, lib. 1, c. 15; et **Liberius a Jesu,** *Controv.*, tr. 8, disp. 4, prooem

[2] *In Matth.*, c. 19.

Juxta Melanchthonem et Calvinum, quando unus injuste ab alio deseritur vel adulterio defraudatur, potest vinculum dissolvere [1].

2) Recentiores protestantes dubio haerent. Aliqui docent matrimonium ab auctoritate publica, non ab ipsis contrahentibus, dissolvi posse ob adulterium. Alii negant.

3) *Graeci* schismatici plerumque credunt matrimonium dissolvi posse ab ipsis conjugibus in casu adulterii.

4) *Multi rationalistae* defendunt in matrimoniis dissolvendis libertatem cuique societati esse tribuendam.

715. THESIS I. **Omne matrimonium est jure naturae intrinsece indissolubile.**

Nota. Veritas hujus theseos divina revelatione simul ac Ecclesiae documentis, necnon theologorum suffragio ac rationis lumine demonstratur.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Dominus in Evangelio de primaevo matrimonio in officium naturae instituto ait: *Non legistis, quia, qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit homo non separet* [2]. His verbis docet Christus matrimoniale vinculum semel contractum ex natura sua esse indissolubile et a contrahentibus non posse dissolvi.

Unde concilium tridentinum: «Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis...*» [3].

2) *Ex documentis ecclesiasticis.* Pius IX damnavit in Syllabo sequentem propositionem: «Jure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile» [4].

Catechismus romanus: «Quamvis enim matrimonio, quatenus est naturae officium, conveniat, ut dissolvi non possit, tamen id maxime fit, quatenus est sacramentum» [5].

3) *Ex auctoritate theologorum.* Theologi fere communiter docent matrimonii vinculum esse jure naturae indissolubile, ut videre est apud S. Thomam, Salmanticenses, Liberium a Jesu, S. Alphonsum et alios [6], quamvis inter eos aliqui putent, ut videbimus infra, in ipsa lege naturali adsignari quasdam rationes, ob quas connubia possint dissolvi.

4) *Ex ratione.* a) «Matrimonia, ait *S. Thomas*, ex intentione naturae ordinantur ad educationem prolis, non solum ad aliquod tempus, sed per totam vitam prolis. Unde de lege naturae est, quod parentes filiis thesaurizent, et filii parentum haeredes sint. Et ideo, cum proles sit commune bonum viri et uxoris, oportet eorum societatem perpetuo

---

[1] *Loci theologici*, «De conjugio».
[2] *Matth.*, 19, 6.
[3] *Sess.* 24, prooem.; **Denz-Bannw.**, 969.
[4] *Prop.* 67; **Denz-Bannw.**, 1767.
[5] *Parte* 2, c. 8, n. 11.
[6] **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 67, a. 1; **Salmanticenses,** *De matrimonio*, c. 4, n. 16; **Liberius a Jesu,** *Controv.*, tr. 8, disp. 4, controv. 1; **S. Alphonsus,** lib. 6, n. 956.

permanere indivisam, secundum legis naturae dictamen. Et sic *inseparabilitas matrimonii est de lege naturae*» [1].

b) Indissolubilitas matrimonii est omnino necessaria pro consequendo fine ejusdem secundario, qui consistit in mutuo conjugum obsequio.

5) *Ex inconvenienti.* Matrimonia non sunt dissolvenda privata alterutrius conjugis auctoritate, nec mutuo amborum consensu.

a) *Non privata alterutrius auctoritate*, quia, ut ait *S. Thomas*, «manifeste apparet inconveniens, si mulier virum dimittere possit, cum mulier naturaliter viro subjecta sit tanquam gubernatori. Non est autem in potestate ejus, qui alteri subjicitur, ut ab ejus regimine discedat. Contra naturalem igitur ordinem esset, si mulier virum deserere posset. Si ergo vir deserere posset mulierem, non esset aequa societas viri ad mulierem, sed servitus quaedam ex parte mulieris» [2].

b) *Non mutuo conjugum consensu*, quia contractus a particularibus ad bonum commune initi, cum ad bonum commune pertineant, nequeunt a contrahentibus rescindi. Matrimonium autem ad bonum commune, id est, ad conservationem generis humani, celebratur.

716. Scholion. *An in ipsa lege naturali, quae statuit indissolubilitatem matrimonii, adsignentur rationes, ob quas valide et licite dissolvatur a contrahentibus vel saltem ab auctoritate publica humana vinculum matrimonii.*

Nonnulli theologi, qui admittunt indissolubilitatem matrimonii esse de jure naturae, defendunt in lege naturali inveniri rationes, quae suadeant dissolutionem matrimonii. Ita *Bellarminus*, *Sanchez*, et alii [3]. Hujusmodi rationes adsignari solent sterilitas alterutrius, morbus perpetuus, defectus fidei per adulterium, etc.

Alii tamen melius negant aliquam rationem in lege naturali inveniri, quae suadeat dissolutionem vinculi matrimonialis. «Matrimonium, ait *S. Thomas*, principaliter ordinatur ad bonum commune ratione principalis finis, qui est bonum prolis; quamvis etiam ratione finis secundarii ordinetur ad bonum personae matrimonium contrahentis, prout est etiam remedium concupiscentiae. Et ideo in legibus matrimonii magis attenditur, quod omnibus expediat, quam quid uni competere possit. Quamvis ergo matrimonii inseparabilitas impediat bonum prolis in aliquo homine, tamen est conveniens ad bonum prolis simpliciter» [4].

Ex hoc consequitur nulla auctoritate mere humana, quantumvis suprema, statui posse divortium proprie dictum, quo vinculum conjugale solvatur. Auctoritas siquidem humana, quantumvis suprema, nihil potest facere, quod non ordinetur ad bonum commune. Adimplet ea, quae statuta sunt jure naturali et positivo, ac determinat ad bonum commune ea, quae in eis indeterminata reperit. Sed divortium proprie dictum, quo dissolvatur vinculum conjugale, non fovet sed destruit bonum commune.

Leo XIII per longum enumerat mala, quae societatibus eveniunt ex

---

[1] *Suppl.*, q. 67, a. 1.

[2] *Contra gentiles*, lib. 3, c. 123.

[3] **Bellarminus**, *De sacramento matrimonii*, c. 4, «Primum aperte»; et **Sanchez**, *De matrimonio*, lib. 2, disp. 13, n. 7.

[4] *Suppl.*, q. 67, a. 1 ad 4.

admissione divortiorum. «Quanti materiam mali, inquit, in se divortia contineant, vix attinet dicere. Eorum enim causa fiunt maritalia foedera mutabilia; extenuatur mutua benevolentia; infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur; tuitioni atque institutioni liberorum nocetur; dissuendis societatibus domesticis praebetur occasio; discordiarum inter familias semina sparguntur; minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quae in periculum veniunt, ne, cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur. Et quoniam ad perdendas familias, frangendasque regnorum opes nihil tam valet, quam corruptela morum, facile perspicitur, prosperitati familiarum ac civitatum maxime inimica esse divortia, quae a depravatis populorum moribus nascuntur, ac, teste rerum usu, ad vitiosiores vitae privatae et publicae consuetudines aditum januamque patefaciunt».

«Multoque graviora haec mala constabit, si consideretur, frenos nullos futuros tantos, qui concessam semel divortiorum facultatem valeant intra certos aut ante provisos limites coercere. Magna prorsus est vis exemplorum, major cupiditatum; hisce incitamentis fieri debet, ut divortiorum libido latius quotidie serpens plurimorum animos invadat, quasi morbus contagione vulgatus, aut agmen aquarum, superatis aggeribus, exundans» [1].

717. Corollarium. Doctrina exposita est certa, quando agitur de dissolvendo matrimonio fidelium, quod est sacramentum. Potestas enim civilis nullam habet auctoritatem in sacramentum matrimonii. Unde secunda pars propositionis 67 Syllabi, quae dicebat: «In variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest [2], excerpta ab Allocutione *Acerbissimum*, 27 Sept. 1852, damnata est pro christianis.

Verum rationes allatae probant etiam potestates civiles carere facultate statuendi divortia proprie dicta, quibus dissolvantur matrimonia etiam infidelium, quia divortia pergunt destruere bonum commune sociorum.

718. Thesis II. **Omne matrimonium etiam in casu adulterii est intrinsece indissolubile.**

Nota. Hanc thesim expresse discutiendam proponimus ob difficultatem, quam ingerit textus evangelicus, et ob errorem contrarium veterum protestantium ac graecorum praecipue schismaticorum.

Veteres protestantes et graeci schismatici defendunt, ut diximus, matrimonium quodlibet esse solubile ob delictum adulterii, et hoc probare contendunt ex verbis Christi dicentis: *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari, et qui dimissam duxerit, adulterat* [3]. Et alibi: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur* [4].

Doctrina Ecclesiae in hac materia proponenda est, et textus Scripturae declarandus, ut fundamentum protestantium evertatur.

---

[1] Encyclica *Arcanum divinae sapientiae*, 10 Febri 1880. *Acta S. Sedis*, volumen 12, 396.

[2] *Prop.* 67; **Denz-Bannw.,** 1767.

[3] *Matth.*, 5, 32.

[4] *Matth.*, 19, 9.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Christus Dominus sine ulla exceptione expresse ait: *Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum et alii nupserit, moechatur* [1]. Similia dixit apud S. Lucam [2]. Haec autem sine distinctione dicta probant matrimonium in casu adulterii dissolvi non posse. Textus vero, qui ex S. Matthaeo, 5, 32, et 19, 9, in contrarium adducuntur, et qui innuere videntur cuilibet licere dimittere uxorem suam ob fornicationem, loquuntur de dimissione a toro et cohabitatione, non de dissolutione vinculi conjugalis [3]. Haec est interpretatio, quae oritur ex verborum contextu, et admittitur a commentaristis [4].

2) *Ex SS. Patribus.* Doctrinam Ecclesiae dilucide exponit *Hermas* dicens: «Quid... si uxor permanserit in hac libidine? Dimittat illam, inquit, et vir maneat secum; sin vero, uxore dimissa, aliam duxerit, et ipse adulterium committit» [5].

S. Ignatius M.: «Qui ducit repudiatam ab altero viro, moechatur» [6].

S. Basilius: «Non licet viro, uxore dimissa, aliam ducere, nec fas est repudiatam a marito ab alio duci uxorem» [7].

S. Hieronymus: «Omnes igitur causationes Apostolus amputans, apertissime definivit, vivente viro, adulteram esse mulieren, si alteri nupserit... Quandiu vivit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus et ab uxore propter haec scelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non liceat» [8].

S. Augustinus: «Nec ideo tamen eum, qui propter causam fornicationis dimiserit et aliam duxerit, ab hujus peccati labe defendimus. Ambos enim, licet alterum altero gravius, moechos tamen esse cognoscimus» [9].

719. Corollarium. Haec de omnibus matrimoniis valent.

De matrimoniis tamen christianorum clariora adhuc restant testimonia.

Ex allocutione *Acerbissimum*, 27 Sept. 1852, ubi Pius IX egit de matrimoniis christianis, excerpta est secunda pars propositionis 67 Syllabi, quae damnata est, et exprimitur his verbis: *In variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest* [10].

Concilium milevitanum II (a. 416) vel juxta alios *concilium carthaginense* (a. 418) ait: «Placuit, ut secundum Evangelium et apostolicam

---

1 *Marc.*, 10, 11-12.

2 *Luc.*, 16, 18.

3 Non me latet aliquos commentatores, ut a difficultate, quam ingerit Scriptura, facilius se expedirent, negasse genuinitatem verborum: *excepta fornicationis causa* et *nisi ob fornicationem*, hisque suppressis rem composuisse in favorem firmitatis matrimonii in casu adulterii. Ita recentiores quidam protestantes. Vide **Knabenbauer,** *In Matthaeum*, 19, 9; et **Huarte,** *De matrimonio*, n. 269. Non est tamen necessarium ad hoc confugere, quia retentis verbis potest sensus explicari.

4 Cfr. **S. Basilius,** *Ep. can. ad Amphiloch.*, 199, can. 48; MG **32,** 731; et **Knabenbauer,** *In Matthaeum*, 5, 32; 19, 9.

5 *Mand.* 4, 6; MG **2,** 919.

6 *Apologia*, 1, n. 15; MG **6,** 350.

7 *Reg.* 73, c. 2; MG **31,** 851.

8 *Ep.* 55 *ad Amand.*, n. 3; ML **22,** 562.

9 *De conjugiis adult.*, lib. 1, c. 9; ML **40,** 456 sq.

10 *Prop.* 67; **Denz-Bannw.,** 1767.

disciplinam neque dimissus ab uxore neque dimissa a marito alteri conjungantur; sed ita maneant aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad poenitentiam redigantur» [1].

Concilium florentinum: «Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii legitime contracti vinculum perpetuum sit» [2].

§ 2

Utrum matrimonia legitima non christianorum possint extrinsece dissolvi.

720. Status quaestionis. 1) Diximus superius matrimonium ab infidelibus juxta leges naturae celebratum vocari legitimum.

2) Quaerimus, an matrimonia infidelium a quapiam potestate possint dissolvi. Porro tres sunt auctoritates, de quibus potest dubitari, an valeant dissolvere matrimonia, *civilis* scilicet, *divina* et *ecclesiastica*.

3) Probavimus supra auctoritates civiles non posse dissolvere matrimonia legitima, quia potestas civilis ordinatur ad bonum commune, divortia vero tendunt ad destructionem.

4) Restat igitur investigandum, an et quae matrimonia possint a Deo et ab Ecclesia Dei nomine dissolvi.

721. THESIS I. **Deus potest absolute loquendo omnia matrimonia dissolvere.**

Sunt praecepta primae tabulae, quae in ultimum finem ut ad summum bonum ordinantur, et dispensationem non patiuntur. Sic praeceptum diligendi Deum super omnia, et praeceptum negativum non blasphemandi, pertinent ad primam tabulam, et dispensari nequeunt.

In secunda tabula sunt praecepta primaria et secundaria, ut supra explicatum est.

In praeceptis primariis secundae tabulae potest Deus dispensare per modum miraculi, id est, in casibus particularibus, non pro tota communitate, dum in praeceptis secundariis dispensat etiam permanenter et pro tota communitate.

Praeceptum de indissolubilitate matrimonii, prout matrimonium est in officium naturae, si aliunde provideatur bono prolis, est praeceptum naturale secundarium, ut expresse docet *S. Thomas* his verbis: «Si ergo inseparabilitas matrimonii inter prima praecepta legis naturae contineatur, solum hoc secundo modo (quasi per miraculum) sub dispensatione cadere potuit. Si autem sit inter secunda praecepta legis naturae, etiam primo modo (permanenter et pro tota communitate) cadere potuit. Videtur autem magis inter secunda praecepta legis naturae contineri. Inseparabilitas enim matrimonii non ordinatur ad prolis bonum, quod est principalis matrimonii finis, nisi quantum ad hoc, quod per parentes

---

[1] *Can.* 17; **Mansi,** 4, 331.
[2] *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 702.

filiis provideri debet in totam vitam per debitam praeparationem eorum, quae sunt necessaria vitae. Hujusmodi autem praeparatio non est de prima intentione naturae, secundum quam omnia sunt communia. Et ideo non videtur esse contra primam intentionem naturae dimissio uxoris, et per consequens nec contra prima praecepta, sed contra secunda legis naturae. Unde etiam primo modo (permanenter et pro tota communitate) sub dispensatione videtur posse cadere» [1].

Hinc matrimonium, prout est in officium naturae, potest etiam permanenter a Deo dissolvi.

Indissolubilitas vero matrimonii christianorum pertinet ad praecepta primaria sacramenti, et nequit dispensari nisi in casibus particularibus et per modum miraculi, ut expresse docet *Angelicus* his verbis: «Inseparabilitas, quamvis sit de secunda intentione matrimonii, prout est in officium naturae, est tamen de prima intentione ipsius, prout est sacramentum Ecclesiae. Et ideo, ex quo institutum est, ut sit Ecclesiae sacramentum, manente tali institutione, non potest sub dispensatione cadere, nisi forte secundo modo dispensationis» [2].

722. THESIS II. **Deus in Veteri Testamento reapse dissolvit matrimonia legitima per concessionem libelli repudii.**

Facultas dandi libellum repudii describitur in Deuteronomio his verbis: *Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam foeditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem* [3].

Circa repudium libellumque repudii variae quaestiones sunt dilucidandae:

1) *Quae fuerit causa hujus concessionis.*

Christus Dominus expresse dixit permissum fuisse judaeis dimittere uxores per libellum repudii *ad duritiam cordis eorum* [4], quod explicans merito docet *S. Thomas* hoc concessum fuisse «propter majus malum cohibendum, scilicet uxoricidium, ad quod judaei proni erant propter corruptionem irascibilis» [5].

2) *Qua ratione poterant judaei dare uxoribus libellum repudii.*

Res est difficilis. Rationem in genere adsignat sacra littera *prop er aliquam foeditatem* [6]. Quid fuerit haec foeditas non certe constat. In tractatu mischnico de divortiis (gittin) legitur: «Schola Schamai dicit: nemo repudiabit uxorem, nisi in ea repertum fuerit quid inhonesti — דבר ערוה — Schola Hillelis dicit: etiamsi combusserit decoctum ejus; rabbi Aqiba dicit: etiamsi illa pulchriorem inveniat aliam» [7].

---

1 *Suppl.*, q. 67, a. 2.
2 *Suppl.*, q. 67, a. 2 ad 3.
3 *Deut.*, 24, 1-4.
4 *Matth.*, 19, 8.
5 *Suppl.*, q. 67, a. 3. Cfr. **Knabenbauer,** *In Matth.*, 19, 8.
6 *Deut.*, 24, 1.
7 Apud **Knabenbauer,** *In Matth.*, 19, 3. Hillelis opinionem sequi videtur **Jo-**

Glossa ex S. Augustino ad Deuteronomium 24 ait: «Multae erant in lege causae dimittendi uxorem».

S. *Thomas* rem explicat his verbis: «Hae autem causae intelliguntur foeditates vel in corpore, puta infirmitates vel aliqua notabilis macula; vel in anima, sicut fornicatio vel aliqua hujusmodi, quae in moribus inhonestatem facit» [1].

Haec cum ita sint, locus videtur interpretandus non tam ample, ut *qualibet de causa* potuerit dari libellus repudii, nec tam stricte, ut nonnisi una vel altera causa liceret illum dari [2].

3) *An per libellum repudii dissolveretur vinculum conjugale.*

Communis hodie sententia defendit matrimonium quoad vinculum per libellum repudii dissolvi solitum fuisse: Quia a) uxor dimissa poterat ab alio viro duci; b) uxor repudiata et alteri viro nupta, post mortem secundi mariti non poterat ad primum maritum redire.

Oportebat libellum repudii scripto tradere uxori, ut uxor repudiata posset suam libertatem probare, et, ubi vellet, alteri nubere [3].

4) Probabile est facultatem, quam judaei habebant dimittendi uxores, fuisse gentilibus extensam. Gentiles enim non tenebantur leges strictiores servare quam judaei.

723. THESIS III. **Matrimonium infidelium, etiam consummatum, ex privilegio Paulino potest dissolvi quoad vinculum, quando unus ex conjugibus baptizatur et alter vel discedit vel non vult cum eo cohabitare sine contumelia Creatoris.**

Hic agitur de *privilegio Paulino*, quod ab Apostolo sic exprimitur: *Si quis frater uxorem habeat infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habeat virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quod si discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi; in pace autem vocavit nos Deus* [4].

Hic certe loquitur Apostolus, ut omnes theologi fatentur, de dissolutione matrimonii quoad vinculum: 1) quia adserit conjugem fidelem per discessum infidelis *liberari a servitute;* 2) quia baptizatis concedit privilegium dissolutionis, ut facile fieret conversio alterutrius conjugis ad fidem. Si autem verba intelligerentur de separatione quoad torum vel cohabitationem, nihil faveret fidei, et baptizati essent in eadem conditione ac infideles, quibus vetitum est ab eodem Apostolo, ne post discessum alterutrius ad alias nuptias transirent [5].

---

sephus, cum ait: «Qui vero ab uxore secum habitante quascumque ob causas disjungi velit (multae enim tales hominibus accidunt), scripto confirmet se non amplius cum ea rem habiturum esse». *Ant. jud.*, lib. 4, c. 8, n. 23.

[1] *Suppl.*, q. 67, a. 6.

[2] Cfr. **Palmieri,** *De matrimonio*, th. 16.

[3] Cfr. **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 67, a. 7. Formula libelli repudii reperitur apud **Maimonidem,** *Hebraeorum de connubiis jus civile et pontificium*, in fine.

[4] *I Cor.*, 7, 12-15.

[5] *I Cor.*, 7, 11.

Haec vinculi dissolutio fieri potest, quando pars infidelis sive *physice* sive *moraliter* discesserit. Discedit physice, quando revera abit; moraliter vero, quando consentit quidem cohabitare, sed conatur trahere conjugem fidelem ad apostasiam aut alia gravia peccata, et dicitur non velle cohabitare cum conjuge fideli *sine contumelia Creatoris*.

In utroque casu potest vinculum matrimoniale dissolvi.

Difficile tamen est determinare, quando pars infidelis dicatur renuere cohabitare cum conjuge baptizata. *Sanchez, Wirceburgenses, Ballerini, Huarte,* et alii [1] docent conjugem infidelem eo ipso, quod in regionibus christianorum nolit converti ad fidem, nolle pacifice cohabitare cum parte baptizata; sed *Wernz* et alii [2] renuunt hoc admittere. Revera non conversio non probat infidelem nolle vivere pacifice cum parte baptizata.

Post innumeras Ecclesiae declarationes, *Codex Juris Canonici* expresse ait: «Legitimum inter non baptizatos matrimonium, licet consummatum, solvitur in favorem fidei ex privilegio Paulino» [3].

726. Amplior explicatio privilegii Paulini.

1) *Hoc privilegium est divinum ab Apostolo promulgatum.* Aliqui gravissimi theologi textum Apostoli: *Caeteris ego dico non Dominus* [4] referunt ad verba: *Si quis frater uxorem habet infidelem,* etc., et defendunt privilegium Paulinum originem habuisse, non immediate divinam neque mere humanam, sed apostolicam, quatenus Apostolus, ex speciali concessione seu praerogativa Christi hanc gratiam hominibus indulsit. Ita videntur defendere *Rosset, Lehmkuhl* et alii [5].

Sed alii, ut reor, melius dicunt hoc privilegium esse de jure immediate divino, et promulgatum esse ab Apostolo ut praecone. Ita *Sanchez, Billot, Wernz* et alii [6].

S. Congregatio S. Officii die 11 Julii 1886, de hac materia loquens declaravit «supra scripta postulata intelligi de privilegio a Christo Domino in favorem fidei concesso et per Apostolum Paulum, *I Cor.* 7, 12 sqq., promulgato» [7]. Unde verba praecedentia Apostoli: *Caeteris ego dico non Dominus* non referuntur ad privilegium, quod statim conceditur, sed ad verba praecedentia: *Non nuptis et viduis* [8].

2) Matrimonium hujusmodi dissolvitur, quando pars conversa et baptizata, videns partem infidelem discedere vel nolle cohabitare cum ea sine contumelia Creatoris, novas nuptias init. Ex hoc momento pars etiam infidelis liberatur a vinculo conjugali, et potest libere ad alias nuptias transire.

3) Si pars conversa et baptizata post discessum conjugis infidelis continentiam servet, vel sacros ordines suscipiat, vel etiam vota simpli-

---

[1] **Sanchez,** *De matrimonio,* lib. 7, disp. 74, n. 9; **Wirceburgenses,** *De sacramento matrimonii,* n. 385; **Ballerini,** *Op. theol. morale,* t. 6, n. 680; **Huarte,** *De sacramento matrimonii,* n. 336.

[2] **Wernz,** *Parte* 4, n. 702.

[3] *Can.* 1120, § 1.

[4] *I Cor.,* 7, 12.

[5] **Rosset,** *De matrimonio,* I, n. 646; **Lehmkuhl,** *De matrimonio,* n. 932.

[6] **Sanchez,** *De Matrimonio,* lib. 7, disp. 74, n. 4; **Billot,** *De matrimonio,* th. 43; **Wernz,** tit. 34 *De divortiis,* n. 702, nota 60.

[7] Apud **Pesch,** *De sacramento matrimonii,* n. 790.

[8] Cfr. **Billot,** *De matrimonio,* th. 43.

cia in aliquo instituto religioso emittat, non solvitur vinculum conjugale, et pars infidelis discedens aut pacifice cohabitare nolens nequit novum matrimonium inire.

4) Probabilius non solvitur vinculum conjugale per emissionem professionis solemnis in aliquo Ordine religioso.

5) Si unus ex conjugibus infidelibus baptizetur in aliqua secta haeretica vel schismatica christiana, probabilius potest uti privilegio Paulino. Ita communius contra Rosset [1]. Ratio est, quia hoc privilegium concessum est in favorem baptismi fidei, quem recipit quicumque baptizatur.

6) «Antequam conjux conversus et baptizatus novum matrimonium valide contrahat, debet, salvo praescripto canonis 1125, partem non baptizatam interpellare; an velit et ipsa converti ac baptismum suscipere: an saltem velit secum cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris. Hae interpellationes fieri semper debent, nisi Sedes Apostolica aliud declaraverit» [2].

Interpellationes fiunt regulariter de auctoritate Ordinarii conjugis conversi, sed fieri possunt privatim ab ipsa parte conversa, adhibitis duobus saltem testibus vel alio legitimo probationis modo, et concessis parti infideli, si eas petierit, induciis ad deliberandum [3].

Factis vel a Sede Apostolica dispensatis interpellationibus, ubi «infidelis eisdem negative responderit expresse vel tacite, pars baptizata jus habet novas nuptias cum persona catholica contrahendi, nisi post baptismum dederit parti non baptizatae justam discedendi causam» [4].

«Conjux fidelis, licet post susceptum baptismum denuo matrimonialiter cum parte infideli vixerit, jus tamen novas celebrandi nuptias cum persona catholica non amittit, ideoque potest hoc jure uti, si conjux infidelis, mutata voluntate, postea discedat sine justa causa, vel jam non cohabitet pacifice sine contumelia Creatoris» [5].

725. THESIS IV. **Matrimonium in infidelitate contractum et consummatum potest aliquando a Romano Pontifice gravi de causa post unius vel utriusque conjugis baptismum dissolvi, dummodo consummatum non fuerit post utriusque baptismum.**

Arg. *S. Pius V* Constitutione *Romani Pontifices* adserit aliquando apud indos ad fidem converti virum, qui plures habeat uxores, quarum prima seu legitima renuit baptizari, sed secunda vel tertia baptizata est aut petit baptismum. In hoc casu Pontifex «motu proprio et ex certa scientia .. ac Apostolicae Potestatis plenitudine, ut indi sic ut praemittitur baptizati et in futurum baptizandi *cum uxore, quae cum ipsis baptizata fuerit et baptizabitur, remanere valeant tanquam cum legitima uxore,* aliis dimissis, Apostolica auctoritate tenore praesentium declaramus, matrimoniumque hujusmodi inter eos legitime consistere» [6].

---

1 *De matrimonio,* I, n. 616 sq.
2 *Can.* 1121.
3 *Can.* 1122.
4 *Can.* 1123.
5 *Can.* 1124.
6 Const. *Romani Pontifices,* 2 Augusti 1571; *Acta Sanctae Sedis,* 26, 64.

Gregorius XIII, Const. *Populis*, refert alium casum, prout sequitur: Saepe contingit, ut infideles post contracta connubia ex Ancola, Ethiopia, Brasilia, aliisque indicis regionibus ab hostibus capti separentur a conjugibus, et ad longinquas regiones ducantur. Sic conjuges longo locorum intervallo disjuncti aliquando convertuntur ad fidem, et conjugem infidelem interpellare non valentes petunt ad novas nuptias transire. Pontifex autem contulit missionariis facultatem dispensandi cum eis, ut superstite conjuge infideli, et ejus consensu minime requisito aut responso non spectato, matrimonia cum quovis fideli etiam alterius ritus contrahere possent, et in iis carnali copula consummatis, quoad vixerint, remanere licite valerent [1].

Haec cum ita sint, dicendum est primum vinculum eorum a Papa dissolutum fuisse.

Codex Juris canonici has constitutiones reliquit in vigore dicens: «Ea, quae matrimonium respiciunt in constitutionibus Pauli III *Altitudo*, 1 Junii 1537, S. Pii V *Romani Pontifices*, 2 Augusti 1571; Gregorii XIII *Populis*, 25 Januarii 1585, quaeque pro peculiaribus locis scripta sunt, ad alias quoque regiones in eisdem adjunctis extenduntur» [2].

Dixi *dummodo consummatum non fuerit post utriusque baptismum*, quia matrimonium hujusmodi per susceptionem baptismi illico resultat sacramentum, ut diximus superius, quod ut sacramentum ante consummationem est *ratum*, ac dispensabile per auctoritatem ministerialem Summi Pontificis, post consummationem vero est *ratum ac consummatum*, non dispensabile PER AUCTORITATEM ECCLESIAE.

726. Scholion. *Difficultas gravis occurrit, an hujusmodi dissolutiones fiant virtute privilegii Paulini, an vero virtute potestatis ministerialis Summi Pontificis.*

Aliqui docent praefatas dissolutiones fieri virtute privilegii Paulini, et neoconversum ac baptizatum posse, praemissa Pontificis dispensatione ab interpellationibus faciendis, novas nuptias contrahere. Ita *Benedictus XIV*, *Rosset*, *Del Val*, et alii [3].

Alii tamen communius et melius putant in his casibus Romanum Pontificem potestate ministeriali dissolvere matrimonia, quae in infidelitate quidem consummata sunt, sed post baptismum utriusque, id est, postquam matrimonia transierunt in sacramentum, manent rata. Ita *Ballerini*, *Billot*, *Lehmkuhl*, *Wernz*, et alii [4].

In aliquibus revera casibus potest matrimonium dissolvi virtute privilegii Paulini, sola praemissa dispensatione ab interpellationibus faciendis, sed in aliis casibus, ex. gr. quando *uterque conjux in dissitis et ignotis regionibus baptizatus fuerit*, ultra dispensationem ab interpellationibus est necessaria dissolutio matrimonii a Pontifice per auctoritatem ministerialem facta.

Hoc autem est possibile, etiam alterutra parte invita, quando agi-

---

[1] Const. *Populis*, 25 Januarii 1585.

[2] *Can.* 1125.

[3] **Benedictus XIV,** *De synodo dioecesana*, lib. 6, c. 4, n. 3; et lib. 13, c. 21, n. 4; **Rosset,** *De matrimonio*, I, n. 641; **Del Val,** *De sacramento matrimonii*, n. 30.

[4] **Ballerini,** *Opus theol. morale*, t. 6, n. 703; **Billot,** *De matrimonio*, th. 44; **Lehmkuhl,** t. 2, n. 930; **Wernz,** n. 705.

tur de matrimonio in infidelitate quidem consummato, sed post baptismum non consummato, quia matrimonium in casu, quatenus est sacramentum, non est consummatum sed manet ratum [1].

§ 3

An et quando possint matrimonia fidelium extrinsece dissolvi.

729. Status quaestionis. 1) «Matrimonium baptizatorum validum dicitur *ratum*, si nondum consummatione completum est; *ratum et consummatum*, si inter conjuges locum habuerit conjugalis actus» [2].

2) Quaeritur, an et quod horum matrimoniorum possit extrinsece dissolvi.

730. THESIS I. **Matrimonium fidelium ratum et non consummatum dissolvitur tum ipso facto per solemnem alterutrius conjugis professionem religiosam, tum, exsistente justa causa, per auctoritatem ministerialem Romani Pontificis.**

Pars 1.ª Per solemnem alterutrius professionem religiosam. *De fide.*

Arg. 1) *Ex concilio tridentino. Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi*, a. s. [3].

2) Id ipsum declarat *Codex Juris canonici*, can. 1119.

3) *Ex documentis Ecclesiae.* Alexander III (circa a. 1180) statuit: «Post consensum legitimum de praesenti, licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere monasterium, sicuti sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt; *dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos*, et alteri remanenti, si commonitus continentiam servare noluerit, licitum est ad secunda vota transire, quia, cum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, et alter in saeculo remanere» [4].

4) *Innocentius III* docet «antequam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum, reliquo etiam inconsulto, ad religionem transire, ita quod reliquus ex tunc poterit alteri copulari» [5].

Scholion. *Quo jure solemnis religionis professio dirimat matrimonium ratum.*

Non parum agitatur in scholis haec quaestio:

1) Aliqui docent solemnem religionis professionem habere vim dirimendi matrimonium ratum ex natura sua, «ita quod licet ex dispen-

---

[1] Cfr. **Ballerini,** *Opus theol. morale*, «De matrimonio», n. 703 sqq.

[2] *Codex Juris Canonici*, can. 1015, § 1.

[3] *Sess.* 24, can 6; **Denz-Bannw.,** 976. Circa hanc definitionem vide **Billot,** *De matrimonio*, th. 45, § 3.

[4] *Ep. ad archiep. salernitanum;* **Denz-Bannw.,** 390.

[5] Ep. *Ex parte tua ad Andream Arch. lund.*, 12 Jan. 1206; **Denz-Bannw.,** 409.

satione divina aut Pontificis, id non haberetur, sufficiens esset ipsa professio religiosa ex natura sua ad dissolutionem talis matrimonii» [1]. Ita *Salmanticenses, Habert,* et alii [2].

2) Alii tenent matrimonium ratum dirimi in solemni professione religiosa ex jure divino positivo. Ita *Sanchez, Gonet, Billuart, Perrone, Rosset, Del Val, Mancini,* et alii [3].

3) Alii multo communius defendunt professionem solemnem religionis dirimere matrimonium ratum ex solo jure immediate ecclesiastico, mediate divino. Ita *Suarez, Wirceburgenses, Sasse, Pesch, Wernz, Huarte,* et alii [4].

Haec tertia sententia videtur praeferenda. Non enim omnis professio sed solemnis tantum professio dirimit matrimonium ratum, et videtur illud dirimere ratione solemnitatis. Solemnitas autem professionis est de jure immediate ecclesiastico, ut notum est juristis.

Dixi *ex jure immediate ecclesiastico, mediate divino,* tum quia haec videtur esse mens auctorum, qui tertiam sententiam defendunt, ut expresse adserit *Huarte* [5], tum quia jus ecclesiasticum in hac parte enascitur ex jure divino [6].

Pars 2.ª Matrimonium ratum dissolvitur, justa exsistente causa, per auctoritatem ministerialem Romani Pontificis.

Nota. 1) Nonnulli veteres, quorum sententiam expresse defenderunt *Soto* et *Billuart* [7], dixerunt Romanum Pontificem non posse dispensare in matrimonio rato.

2) Recentissime cl. *Del Val* docet Romanum Pontificem non dispensare in matrimonio rato, sed exsistere in jure naturali aliquas causas jure divino confirmatas, quae matrimonium ratum dirimere valeant, non a conjugibus sed a Romano Pontifice applicandas, adeo ut effectum suum sortiantur post sententiam *declaratoriam* Pontificis [8].

3) Multo communius hodie tenent theologi matrimonium ante carnalem copulam, quamvis sit sacramentum et intrinsece indissolubile, posse a Romano Pontifice, justa et probata causa, vi auctoritatis ministerialis sibi a Deo concessae dissolvi. Ita *Sanchez, Suarez, Bellarminus, Salmanticenses, Benedictus XIV, Ballerini, Wernz, Billot,* et alii [9].

Arg. 1) *Ex factis Romanorum Pontificum.* Romani Pontifices saepe dispensarunt his ultimis temporibus a matrimonio rato, ut videre

---

[1] **Salmanticenses,** *De matrimonio,* c. 4, n. 78.

[2] **Salmanticenses,** *De matrimonio,* c. 4, n. 78; **Habert,** *De matrimonio,* c. 2, § 7

[3] **Sanchez,** *De matrimonio,* lib. 2, disp. 19, n. 3; **Gonet,** *De matrimonio,* nn. 66-67; **Billuart,** *De matrimonio,* disp. 5, a. 2, § 4; **Perrone,** *De matrimonio christiano,* lib. 3, c. 6, § 3; **Rosset,** *De matrimonio,* t. 1, n. 672; **Del Val,** *De sacramento matrimonii,* n. 36; **Mancini,** *De matrimonio,* q. 3, a. 4.

[4] **Suarez,** *De religione,* lib. 9, cc. 23-24; **Wirceburgenses,** *De sacramento matrimonii,* n. 406; **Sasse,** *De sacramento matrimonii,* th. 9, Scholion; **Pesch,** *De sacramento matrimonii,* n. 807; **Wernz,** n. 698; **Huarte,** *De matrimonio,* n. 309.

[5] *De matrimonio,* n. 311.

[6] Cfr. **Billot,** *De matrimonio,* th. 45.

[7] **Soto,** *In IV Sent.,* dist. 27, q. 1, a. 4; **Billuart,** *De matrimonio,* diss. 5, a. 2, § 5.

[8] *De sacramento matrimonii,* n. 37.

[9] **Sanchez,** *De matrimonio,* lib. 2, disp. 14, n. 2; **Suarez,** *De virtute et statu*

est passim in ephemeridibus *Acta S. Sedis* et *Acta Apostolicae Sedis*. Unde *Perrone* ait: «Ego quoque certo novi plures ejusmodi dispensationes factas fuisse ab insequentibus Pontificibus Pio VII, Gregorio XVI, Pio IX, ut omittam non paucas resolutiones congregationum concilii et s. inquisitionis de petenda a Pontifice dispensatione illis in causis, in quibus casus iste agitatus est» [1].

Haec pluries repetita dispensatio luculenter probat Romanos Pontifices auctoritate pollere dissolvendi matrimonia rata.

2) Codex Juris canonici ait: «Matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam dissolvitur tum ipso jure per solemnem professionem religiosam, tum per dispensationem a Sede Apostolica ex justa causa concessam, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita» [2].

Dixi *justa existente causa*. Non sunt audiendi, qui dicunt Romanum Pontificem etiam sine causa posse valide dissolvere matrimonia rata, saltem si uterque conjux consentiat, quia Romanus Pontifex id facit virtute potestatis ministerialis sibi a Deo concessae, et requirit causam gratiae concedendae proportionatam.

729. THESIS II. **Matrimonium ratum et consummatum est extrinsece omnino indissolubile.**

Nota. Non solum increduli hodierni verum etiam plures protestantes hanc doctrinam ausi sunt negare, ut vidimus superius, sed omnes catholici illam admittunt, et admittere tenentur.

Arg. 1) *Ex S. Augustino.* Doctor hipponensis diserte hoc adserit dicens: «Hujus proculdubio sacramenti res est, ut mas et femina connubio copulatis, quandiu vivunt *inseparabiliter* perseverent... Hoc enim custoditur in Christo et Ecclesia, ut vivens cum vivente in aeternum nullo divortio separetur» [3].

2) *Ex documentis Ecclesiae. Innocentius III:* «Inter fideles autem verum quidem et ratum (matrimonium) exsistit, quia sacramentum fidei, quod semel est admissun, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret» [4].

Codex Juris canonici: «Matrimonium validum ratum et consummatum nulla humana potestate nullaque causa, praeterquam morte, dissolvi potest» [5].

3) *S. Thomas* adsignat differentiam matrimonii rati et consummati his verbis: «Matrimonium ante carnalem copulam significat illam conjunctionem, quae est Christi ad animam per gratiam, quae quidem sol-

---

religionis, tr. 7, lib. 9, c. 13; **Bellarminus,** *De monachis*, lib. 2, c. 38; **Salmanticenses,** *De matrimonio*, c. 4, n. 61; **Benedictus XIV,** *Quaest. canon.*, 24; **Ballerini,** *Opus theol. mor.*, t. 6, n. 763; **Wernz,** n. 698; **Billot,** *De matrimonio*, th. 45.

[1] *De matrimonio christiano*, lib. 3, c. 6, a. 4.

[2] *Can.* 1119.

[3] *De nuptiis et concupiscentia*, lib. 1, c. 10; ML **44,** 420.

[4] Ep. *Quanto te magis*, ad Ugonem Episc. Ferrariensem, 1 Maji 1199; **Denz-Bannw.,** 406.

[5] *Can.* 1118.

vitur per dispositionem spiritualem contrariam, scilicet per peccatum mortale; sed post carnalem copulam significat conjunctionem Christi ad Ecclesiam quantum ad adsumptionem humanae naturae in unitatem personae, quae omnino est indissolubile» .[1]

QUAESTIO XLIII

DE POTESTATE ECCLESIAE IN MATRIMONIUM

ARTICULUS I

UTRUM ECCLESIA JUS HABEAT STATUENDI IMPEDIMENTA DIRIMENTIA MATRIMONIUM

730. Status quaestionis. Impedimentum, ut ipsa vox sonat, impedit matrimonium, et est circumstantia quaedam in alterutro vel in utroque contrahente exsistens, quae ex juris dispositione obstat matrimonio licite vel valide contrahendo.

Si obstet tantum licitae celebrationi, impedimentum dicitur *impediens*, si simul validae celebrationi obstet, est impedimentum *dirimens*.

Cum matrimonium in sua essentia sit quidam contractus, contractui valide celebrando quaedam obstant jure divino, naturali vel positivo, ut error et metus, quaedam jure ecclesiastico, ut clandestinitas.

Quaestio est, an Ecclesia statuere possit impedimenta, quae invalidum reddant matrimonium celebrandum.

731. Errores. 1) *Lutherus* imprimis [2] insurrexit contra impedimenta dirimentia ab Ecclesia statuta, nullum admittens impedimentum, quod vel contractui naturaliter obstaret, vel quod in Levitico, c. 18, consignatum non esset. Et enumeratis Ecclesiae impedimentis, ait: «Quid est prohibere nuptias, si hoc non est prohibere, tot impedimenta fingere, et laqueos ponere, ne coeant, aut, si coierint, dissolvere matrimonia? Quis dedit hominibus hanc potestatem...? Homo non habuit jus leges tales condendi» [3].

Lutherum alii protestantes plerumque sequuntur [4].

2) *Marcus Antonius de Dominis* et *Launoius* [5] dixerunt potestatem statuendi impedimenta dirimentia matrimonia esse propriam auctoritatis civilis, eamque a principibus saecularibus fuisse Ecclesiae derivatam, et Romanos Pontifices per reges «alteram Ecclesiae personam» impedimenta statuere.

Huic doctrinae subscripserunt synodus pistoriensis, aliqui theologi ac canonistae Galliae, Austriae et Italiae, necnon plures legislatores hodierni statuum civilium [6].

---

1 *Suppl.*, q. 61, a. 2.
2 *De captivitate babyl. Ecclesiae*, «De matrimonio».
3 *De captivitate babyl. Ecclesiae*, «De matrimonio».
4 Cfr. **Calvinus,** *Inst.*, lib. 4, c. 19, n. 37.
5 **Marcus Antonius de Dominis,** *De republica ecclesiastica*, lib. 5, c. 11; **Launoius,** *De regia in matrimonium potestate*, p. 1, a. 4, cc. 4-5.
6 Cfr. **Perrone,** *De matrimonio christiano*, lib. 2, sect. 1, c. 2, a. 1.

734. THESIS. **Ecclesia jure proprio ac nativo habet potestatem statuendi impedimenta dirimentia matrimonium.**

Arg. 1) *Ex concilio tridentino. Si quis dixerit eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare aut constituere, ut plures impediant et dirimant,* a. s.

Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse statuere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, a. s. [1].

2) *Ex antiquissima praxi Ecclesiae.* Ab antiquissimis jam temporibus Ecclesia statuit impedimenta matrimonium dirimentia.

S. Ignatius M. haec scripsit: «Decet vero, ut sponsi et sponsae de sententia episcopi conjugium faciant, ut nuptiae secundum Dominum sint, non secundum cupiditatem» [2].

Concilium illiberitanum (a. 305) statuit impedimenta *affinitatis* et *consanguinitatis* [3]; concilium neocaesareense (a. 314) impedimentum *ligaminis* [4]; S. Basilius agnovit impedimenta *affinitatis* [5], et *voti* [6], et sic de caeteris.

«Legitima res est, ajebat *S. Joannes Chrysostomus* ad Theodorum monachum, ut futuram retunderet protestantium audaciam, et id ego fateor... Sed tibi non jam est integrum jura connubii servare. Eum enim, qui semel caelesti sponso junctus est, si ab eo divellatur et uxorem ducat, adulterium committere certum est, quamvis millies hoc ipsum voces nuptias; imo id tanto gravius adulterio est, quanto praestantior Deus homine» [7].

3) *Ex documentis Ecclesiae.* Pius VI damnans propositionem 59 pistoriensium ait: «Doctrina synodi adserens ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quae ipsum nullum reddunt dicunturque dirimentia, quod jus originarium praeterea dicitur cum jure dispensandi essentialiter connexum; subjungens supposito adsensu vel conniventia principum, potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii, quasi Ecclesia nunquam potuerit ac possit in christianorum matrimoniis jure proprio impedimenta constituere... canonum 3, 4, 9, 12, sessionis 24 concilii tridentini eversiva, haeretica» [8].

Pius IX damnavit in Syllabo sequentes propositiones: «**68.** Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta exsistentia tollenda sunt».

---

1 *Sess.* 24, can. 3 et 4; **Denz-Bannw.,** 973-974.
2 *Epistola ad Polycarpum,* c. 5; MG **5,** 723; **Kirch,** 27.
3 *Concilium illiberitanum,* can. 66; **Mansi,** 2, 16.
4 *Concilium neocaesareense,* can. 2; **Mansi,** 2, 540.
5 *Ep.* 160 *ad Diod.,* n. 2; MG **32,** 623.
6 *Ep.* 188, can. 6; MG **32,** 674.
7 *Ad Theodorum lapsum,* lib. 2, n. 3; MG **47,** 312.
8 Const. *Auctorem fidei,* 28 Aug. 1794, prop. 59; **Denz-Bannw.,** 1559.

«**69.** Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepit, non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata est» [1].

5) *Ratio petitur ex ipsa natura sacramenti matrimonii.* Matrimonium enim christianorum est res sacra et sacramentum. Ad Ecclesiam autem jure originario pertinet rerum sacrarum et sacramentorum administratio ac regimen. Porro recta administratio sacramenti matrimonii secum fert potestatem inducendi impedimenta dirimentia. Sacramentum siquidem matrimonii est ipse contractus, qui recte administrari ac moderari nequit, nisi aliquando apponantur conditiones ejus validitatem affectantes. Hinc Ecclesia, cum statuit aliquod impedimentum dirimens, declarat contractum matrimonialem non esse validum, nisi celebretur juxta leges a se statutas.

ARTICULUS II

UTRUM ECCLESIA STATUERE POSSIT IMPEDIMENTA DIRIMENTIA PRO HAERETICIS

735. Duplex hic moveri potest quaestio: 1) An Ecclesia *possit* statuere impedimenta dirimentia matrimonium haereticorum; 2) An *velit* omnes leges suas in hac materia haereticis applicare.

I. *Ecclesia habet proculdubio potestatem statuendi impedimenta dirimentia pro haereticis.*

Haeretici, sive in Ecclesia catholica sive in secta acatholica baptizati fuerint, Ecclesiae potestati subjiciuntur. Ergo Ecclesia potest eorum connubia moderari. Hinc *Benedictus XIV* respondit «matrimonia in... foederatis Belgii provinciis inter haereticos usque modo contracta, quaeque imposterum contrahentur, etiamsi forma a Tridentino praescripta non fuerit in iis celebrandis servata, *dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum*, pro validis habenda esse» [2].

In praxi attendenda est mens legislatoris.

II. Aliqui theologi, ut *Sasse* [3], aliquantulum rigidi sunt cum haereticis praesertim natis, cum eorum matrimonia, neglectis legibus Ecclesiae irritantibus inita, declarant invalida, quamvis quoad clandestinitatem excipiant aliquas regiones et loca. Alii vero, ut *Wirceburgenses* putant «in Germania aliisque provinciis septentrionalibus *de facto* non ligari heterodoxos impedimentis matrimonii dirimentibus, jure tantum ecclesiastico statutis» [4].

Haec mitis sententia magis mihi probatur, ubi agitur de haereticis et schismaticis in secta haeretica et schismatica natis ac baptizatis.

III. Quoad legem clandestinitatis Ecclesia in *Codice Juris* canonici haec statuit:

---

[1] *Syllabus*, prop. 68-69; **Denz-Bannw.**, 1768-1769.
[2] Declarat. *matrimonia, quae in locis*, 4 Nov. 1741; **Denz-Bannw.**, 1454.
[3] *De sacramento matrimonii*, sect. 3, c. 2.
[4] *De sacramento matrimonii*, n. 424.

«§ 1. Ad statutam superius formam servandam tenentur:

»1.° Omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi, licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint, quoties inter se matrimonium ineunt.

»2.° Idem, de quibus supra, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus matrimonium contrahant.

»3.° Orientales, si cum latinis contrahant hac forma adscriptis.»

«§ 2. Firmo autem praescripto § 1, n. 1 (praecedenti), acatholici, sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahant, nullibi tenentur ad catholicam matrimonii formam servandam; item ab acatholicis nati, etsi in Ecclesia catholica baptizati, qui in infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica contraxerint» [1].

ARTICULUS III

QUID POSSINT PRINCIPES SAECULARES CIRCA MATRIMONIA

734. Aliqui, etiam catholici, nimis concedere videntur circa matrimonia potestati civili.

1) *Petrus de Soto* et *Catharinus*, qui, antequam in concilio tridentino ageretur de matrimonio, mortui sunt, dixerunt potestatem statuendi impedimenta dirimentia matrimonium ex aequo pertinere ad auctoritatem civilem et ad Ecclesiam [2].

2) Alii defenderunt principes saeculares «per se loquendo et attenta praecisa potestate regia, posse statuere impedimenta matrimonii» [3], statuendo nempe leges, quae contractum invalident, et consequenter irritum faciant sacramentum, «attento tamen praesenti rerum statu non posse». Ita *Sanchez*, *Salmanticenses*, *Tournelli*, *Billuart*, et alii [4].

7.5. THESIS. **Principes saeculares, quantumvis catholici, non habent potestatem statuendi impedimenta dirimentia matrimonium christianorum.**

Arg. 1) Concilium tridentinum definit: *Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos*, a. s. [5].

Quamvis aliqui scriptores captiose rem intelligentes dixerint ex his concilii verbis non recte deduci *omnes* causas matrimoniales ad *solos* judices ecclesiasticos pertinere, sed posse, hac definitione non obstante, simul aliquas causas ad judices laicos spectare, nihilominus *Pius VI* die 16 Septembris 1788 ad episcopum motulensem declaravit verba canonis generalia esse et omnes causas comprehendere, nullique exceptioni relinquere locum.

---

[1] *Can.* 1099.

[2] **Petrus de Soto,** *De matrimonio*, lect. 4; **Catharinus,** *Opusc. de clandest. conjug.*

[3] **Billuart,** *De matrimonio*, diss. 6, a. 2.

[4] **Sanchez,** *De matrimonio*, lib. 7, disp. 3, n. 2 sqq.; **Salmanticenses,** *De matrimonio*, c. 11, dub. 2; **Tournely,** *De sacramento matrimonii*, q. 7, a. 2; **Billuart,** *De matrimonio*, diss. 6, a. 2.

[5] *Sess.* 24, can. 12; **Denz-Bannw.,** 982.

2) Matrimonium christianorum est verum sacramentum et res sacra. Regimen autem et administratio sacramentorum atque rerum sacrarum ad solam Ecclesiam, non ad principes saeculares, pertinet. Ergo.

3) Praeterea, si Status civilis et Ecclesia possent ex aequo statuere impedimenta dirimentia matrimonium christianorum, non parvi conflictus orirentur in societate et pax publica periclitaretur.

736. Corollarium. Gravissimi quidam scriptores, ut *Perrone*, *De Angelis* et *Rosset* [1], negantes, ut par est, potestati civili jus condendi impedimenta dirimentia matrimonium christianorum, voluerunt tamen principes saeculares pollere auctoritate statuendi impedimenta impedientia matrimonium christianum.

Multo tamen probabilius est Statum civilem non posse statuere impedimenta impedientia matrimonium sacramentum, ex eo quod principes saeculares carent competentia ad ferendas leges in re sacramentaria. Unde *Leo XIII* merito ait: «De sacramento autem statuere et praecipere ita ex voluntate Christi sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis ejus vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam» [2]. Res quippe sacramentaria est omnino extra competentiam Magistratuum saecularium.

Cl. *Wernz* [3] optime probat leges civiles, quae alicubi militibus, non mercede conductis sed per legem coactis, prohibent nuptias celebrare, esse invalidas, quia horum militum *sponsalia* de matrimonio contrahendo in foro Ecclesiae sunt valida, et, si leges civiles prohibentes militibus matrimonia obligarent, sponsalia, utpote promissiones de re prohibita, invalida essent.

Solum potest auctoritas civilis ea statuere circa matrimonia christianorum, quae respiciunt effectus mere civiles, ut sunt negotia de dote, de successione haereditaria, etc.

737. Scholion. *De principum saecularium potestate in matrimonia infidelium.*

Cl. *Perrone* haec habet circa rem: «Longe verisimilius censeo principes infideles, etiam in subditos suos infideles nullum prorsus jus habere, nullaque frui auctoritate, ex qua fiat, ut valide aut invalide conjugium contrahant» [4]. Hanc doctrinam praeclari auctores *Liberatore*, *Taparelli*, *Zigliara*, *Lehmkuhl*, et alii defenderunt [5], et cl. *Pesch* rem in utramque partem versatus est [6].

Communius tamen et melius antiqui nuperique scriptores tenent principes saeculares posse impedimenta juri divino conformia, quae suorum subditorum infidelium matrimonia impediant vel etiam diri-

---

[1] **Perrone,** *De matrimonio christiano*, lib. 2, c. 1, a. 1; **De Angelis,** lib. 4; tit. 1, n. 15; **Rosset,** *De matrimonio*, I, n. 788.

[2] Encyclica *Arcanum*, 10 Febr. 1880; *Acta S. Sedis*, 12, p. 392.

[3] *Jus Decretalium*, t. 4, tit. 1, n. 72.

[4] *De matrimonio christiano*, lib. 2, c. 3, a. 1, «Quibus admissis».

[5] **Liberatore,** *Instit. Eth.*, p. 2, c. 1, a. 4; **Taparelli,** *Saggio teoretico*, n. 1113 sqq.; **Zigliara,** *Summa philosophica, Jus naturae*, lib. 2, c. 1, a. 3, n. VII; **Lehmkuhl,** Ed. Sasse, *De sacramento matrimonii*, th. 13, in nota; et *Theol. mor.*, vol. 2, n. 951, in nota (ed. 12).

[6] *De sacramento matrimonii*, n. 886 sqq.

mant, statuere. Ita ex antiquis *Sanchez, Gotti, Lessius, Schmalzgrueber,* et alii [1]; et ex recentioribus *Marc, D'Annibale, Gasparri, Wernz,* et alii [2].

Ad bonam quippe societatis administrationem oportet, ut inter infideles exsistat competens auctoritas, quae connubia regat, et legibus positivis honestis conditiones ad matrimonia celebranda apponat. Haec autem auctoritas nonnisi in principibus saecularibus residere potest, quia ad Ecclesiam non pertinet *de his, qui foris sunt, judicare* [3].

Haec potestas ea ratione competit principibus saecularibus juxta *Schmalzgrueber* [4], quia matrimonium infidelium est contractus mere civilis, non sacramentum; juxta *Gasparri* [5], jure hypothetico, originario et ordinario, ne, deficiente auctoritate religiosa independenti, societas civilis careat mediis necessariis ad suum finem consequendum; juxta *Billot* [6], quia, cum infideles vera religione carentes sint in statu imperfecto, et nulli legitimae auctoritati religiosae sint obnoxii, facultas regulandi contractum matrimonialem et judicandi de causis matrimonialibus infidelium *per accidens et ratione necessitatis* devolvitur ad eum, qui solus ibi legitime praeest, ut bonum sociale utcumque ibi conservetur.

Hi modi dicendi parum inter se differunt, sed explicatio Emm. Cardinalis *Billot* magis satisfacit.

---

[1] **Sanchez,** *De matrimonio,* lib. 7, disp. 3; **Gotti,** *Theol. schol.,* tr. 13, q. 7, n. 27; **Lessius,** *De Matrimonio,* VII, dub. 3; **Schmalzgrueber,** *De Sponsalibus,* n. 367.

[2] **Marc,** *Theol. moralis,* vol. 2, n. 1997; **D'Annibale,** p. 3, n. 425; **Gasparri,** *De matrimonio* (ed. 3), vol. 1, n. 290; **Wernz,** lib. 4, tit. 1, n. 75.

[3] *I Cor.,* 5, 12.

[4] Lib. 4, tit. 1, n. 367.

[5] *De matrimonio,* vol. 1, n. 305 (ed. 3).

[6] *De matrimonio,* th. 47 ad 5.

TRACTATUS DE NOVISSIMIS

SEU

DE ESCHATOLOGIA

740. Novissima vocantur in theologia ea, quae in extremis temporibus accident homini ac universo mundo.

Hic tractatus a voce graeca εσχατον—ultimum—vocari solet *Eschatologia*, et graece εσχατα dicuntur novissima.

Quaedam sunt novissima hominum singulorum, nempe *mors* et *judicium particulare;* alia novissima sunt receptacula, in quae homines juxta cujusque merita vel demerita post judicium particulare se recipient, nempe *infernus*, *purgatorium* et *paradisus;* alia sunt novissima mundi, scilicet *conflagratio mundi*, *resurrectio mortuorum* et *judicium universale.*

De his omnibus singillatim per ordinem disserendum est.

QUAESTIO XLIV

DE MORTE HOMINIS

ARTICULUS I

QUID SIT MORS HOMINIS

741. I. **Variae acceptiones vocabuli mortis.**

1) Mortis nomine aliquando venit *privatio gratiae,* quae revera est mors animae illata per peccatum, quia peccatum tollit ab anima vitae spiritualis principium et facultatem se movendi ad Deum per motum supernaturalem. Unde peccatum grave dicitur *mortale.*

2) Magistri vitae spiritualis sumunt interdum *pro vitiorum ac passionum mortificatione,* qua *mortui sumus peccato* [1]. Et sic agunt de vetere (vitioso) homine occidendo, ut novus homo spiritu vivat in Christo.

3) *Mors* proprie est separatio animae et corporis.

II. Omnia viventia per separationem animae et corporis moriuntur, cessantque ab actibus vitalibus exercendis. Vegetalia quidem et animalia certe moriuntur per mortem animae, quando, dissoluto cor-

[1] *Rom.*, 6, 2.

pore, anima ab eo dependens perit per corruptionem accidentalem [1], sed homo, qui corpore et anima immortali constat, moritur per simplicem separationem, qua corpus destruitur et anima spiritualis novam vitam incipit.

Quomodo hoc contingat explicandum est.

740. III. **Errores.** 1) *Materialistae* et *multi hodierni increduli*, qui, deliciis hujus vitae contenti, nollent alteram vitam habere, docent animam humanam simul cum corpore mori, nihilque post mortem remanere.

2) *Pantheistae* dicunt hominem post mortem in animam mundi sive Deum absorberi.

3) *Spiritistae*, antiquam metempsycosim renovantes, dicunt animas humanas post separationem a corpore vel *reincarnari* in diversis succesive viventibus, quousque omnino perficiantur, et ultimo refundantur in *Nirwana*, vel migrare in sidera ac volitare indefinite per aera [2].

IV. **Vera doctrina.** Catholici omnes docent animam humanam in morte separari a corpore, et incipere vitam perpetuo duraturam.

741. Thesis I. **Mors hominis consistit in separatione animae rationalis a corpore.**

Nota Non desunt philosophi, qui adserant mortem hominis proxime causari per violentam quamdam corporis humani excussionem, sed alii fere communiter explicant mortem per simplicem corporis animaeque separationem. Revera, si prae oculis habeatur animam rationalem dare esse et vivere homini, facile deducitur causam proximam mortis esse ejusdem separationem a corpore. Si vel uno momento anima tollatur a corpore, perit statim homo.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Auctor libri Ecclesiastes, describens mortem hominis, ait: *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum* [3].

Apostolus vero mortem vocat *dissolutionem* [4], *resolutionem* [5], ac expoliationem [6], et S. Petrus *depositionem tabernaculi* [7].

Hoc ipsum innuit S. Jacobus, quando ait: *Corpus sine spiritu mortuum est* [8].

2) *Ex SS. Patribus. S. Irenaeus:* «Mori enim est vitalem amittere habilitatem, et sine spiramine in posterum, et inanimalem et immemorabilem fieri, et deperire in illa, ex quibus et initium substantiae habuit» [9].

Tertullianus: «Mortuum... non est, nisi quod amisit animam, de cujus facultate vivebat; corpus est, quod amittit animam, et amittendo fit mortuum» [10].

---

1 Cfr. **Marcellus a Puero Jesu,** *Psychologia*, n. 115.
2 Cfr. **Urraburu,** *Psychologia*, t. 3, n. 199, p. 582.
3 *Eccl.*, 12, 7.
4 *Phil.*, 1, 23.
5 *II Tim.*, 1, 6.
6 *II Cor.*, 5, 4.
7 *II Petri*, 1, 14.
8 *Jac.*, 2, 26.
9 *Adv. haer.*, lib. 5, c. 7, n. 1; MG **7,** 1140.
10 *Adv. Marcionem*, lib. 5, c. 9; ML **2,** 523.

3) *Ex ratione.* Anima rationalis est principium, quod esse et vivere dat homini. Ergo ejus separatio a corpore est mors hominis.

742. THESIS II. **Mors est naturalis homini secundum se considerato, per accidens tamen est in homine effectus peccati originalis.**

Pars 1.ª

Homo est compositum quoddam, constans anima et corpore. Corpus autem in hoc composito habet tendentias oppositas animae, quae producunt pugnam et ultimo separationem. Apposite ad rem *S. Thomas:* «Ex principiis autem naturalibus esse perpetuum habere non potest (homo), cum ex contrariis componatur, quod est causa corruptionis in rebus, cum forma materiam perficiat secundum ejus capacitatem» [1].

Pars 2.ª

Homo, licet naturaliter constet principiis contrariis, quae dissolutionem petunt, fuit tamen a Deo in justitia originali constitutus et privilegio immortalitatis auctus. Hoc privilegium ita a justitia originali primitus dependebat, ut, si quando homo peccaret, statim amitteretur. *In quacumque enim die comederis ex eo* (ex fructu vetito), *morte morieris* [2]. Peccavit homo, edendo de fructu vetito, et immortalitate privatus est. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* [3]. Hinc mors hominis, post justitiam originalem, fuit effectus peccati.

743. THESIS III. **In morte clauditur homini status viae et tempus merendi ac demerendi.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Christus Dominus ait discipulis suis: *Venit nox, quando nemo potest operari* [4]. Per noctem hic commentatores intelligunt mortem [5].

2) *Ex SS. Patribus. S. Cyprianus:* «Quando isthinc excessum fuerit, nullus jam poenitentiae locus est, nullus satisfactionis effectus. Hic vita aut amittitur, aut tenetur» [6].

3) Nulla potest hujus thesis ratio afferri quam divina voluntas, quae ita res ordinavit, ut praesens vita esset hominibus probationis stadium. «Mereri aut demereri, ait *S. Thomas*, pertinet ad statum viae. Unde bona in viatoribus sunt meritoria, mala vero demeritoria. In beatis autem bona non sunt meritoria, sed pertinentia ad beatitudinis praemium. Et similiter mala in damnatis non sunt demeritoria, sed pertinentia ad damnationis poenam» [7].

---

1 *In II Sent.*, dist. 19, a. 2.
2 *Gen.*, 2, 17.
3 *Rom.*, 5, 12.
4 *Joan.*, 9, 4.
5 Cfr. **Knabenbauer,** *In Joannem*, 9, 4; et **Maldonatus,** ibid.
6 *Lib. ad Demetrianum*, n. 25; ML **4,** 582.
7 *II-II*, q. 13, a. 4 ad 2.

THESIS IV. **Anima rationalis post separationem a corpore vivet in perpetuum.** *De fide.*

Nota. *Tnetopsychitae* in Arabia docuerunt olim animam humanam cum corpore mori ac resuscitari [1]; *hypnopsychitae* vero dixerunt animam hominis post separationem a corpore dormire usque ad diem judicii [2].

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Omnes S. Scripturae paginae testantur superviventiam animae rationalis post separationem a corpore.

Auctor libri Sapientiae ait de animabus justis: *Justorum autem animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis... Spes illorum immortalitate plena est* [3]. *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei et inter sanctos sors illorum est* [4]. *Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum* [5]. De animabus vero impiorum: *Videntes turbabuntur timore horribili et mirabuntur in subitatione insperatae salutis* [6].

Christus etiam Dominus, describens finem judicii universalis, ait: *Et ibunt hi* (mali) *in suppliciun aeternum, justi autem in vitam aeternam* [7]. Et iterum: *Qui amat animam suam, perdet eam; et qui odit anima suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam* [8].

Apostolus denique sperabat se habiturum *domum non manufactam aeternam in caelis* [9].

2) *Ex SS. Patribus. S. Athanasius:* «Nec enim anima moritur, sed ejus discessu corpus moritur... Siquidem animae motus nihil aliud est, quam ejus vita» [10].

S. Ambrosius: «Mortuo enim homine, caro corrumpitur, sensus pereunt, vox amittitur, remanet mens immortalis, incorpoream vitam recipiens» [11].

3) Rationes, quae in philosophia ostendunt spiritualitatem et immortalitatem animae rationalis, demonstrant hanc thesim. Eloquentissime, uti solet, ait ad rem *Canus:* «Periculosum ac temerarium est, ne quid amplius addam, affirmare, quod nullum argumentum hactenus inventum demonstrat animae immortalitatem. Quia argumentum, quod sumitur ex operatione propria vel etiam ex potentia, quae substantiam rei necessarie naturaliterque consequitur, vere ostendit, qualisne sit ejus rei natura atque substantia... Ait D. Thomas ex praemissis manifeste ostendi posse animam humanam non corrumpi cum corpore; concludit vero in haec verba, *II contra gentiles*, c. 79: *Patet igitur, quod intellectus*

---

1 Cfr. **Eusebius,** *Hist. eccles.*, lib. 6, c. 37; MG **20,** 598.
2 Cfr. **Tertullianus,** *De anima*, c. 58; ML **1,** 795.
3 *Sap.*, 3, 1 sqq.
4 *Sap.*, 5, 5.
5 *Sap.*, 5, 16.
6 *Sap.*, 5, 2-3.
7 *Matth.*, 25, 46.
8 *Joan.*, 12, 25.
9 *II Cor.*, 5, 1. Vide textus S. Scripturae late expositos apud **Billot,** *Quaestiones de novissimis*, q. 1.
10 *Oratio contra gentes*, c. 33; MG **25,** 66.
11 *De Abraham*, lib. 2, c. 1, n. 3; ML **14,** 479.

humanus est incorruptibilis; ergo et anima humana, quae est intellectiva substantia. Item *I p.*, q. 75, a. 2 et 6: Necesse est dicere animam intellectualem esse incorpoream, subsistentem, incorruptibilem» [1].

Scholion. Disserunt philosophi de conditionibus animae rationalis in statu separationis quoad modum essendi, operandi et se movendi.

Non est hic de his rebus agendi locus. Conferri possunt utiliter *Urraburu* et *Marcellus a Puero Jesu* [2].

ARTICULUS II

UTRUM OMNES HOMINES SINT IN FINE MORITURI

745. Status quaestionis. Dupliciter potest titulus intelligi: 1) An lex generalis data fuerit, ut omnes homines moriantur. 2) An de facto lex exceptionem in aliquibus patiatur.

746. THESIS I. **Omnes homines habent reatum mortis.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus expresse declarat legem mortis in Genesi latam omnes afficere homines: *Statutum est hominibus semel mori* [3]. *Mors in omnes pertransiit, in quo omnes peccaverunt* [4]. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* [5].

2) *Ex ratione.* a) Mors est effectus peccati originalis. Sed omnes contraxerunt vel contrahere debuerunt peccatum originale. Ergo.

b) Omnes homines constant contrariis principiis, quae tendunt ad destructionem. Ergo omnibus imposita est lex mortis.

747. THESIS II. **Omnes et singuli homines sine ulla exceptione probabilius sunt morituri, quamvis probabile sit exceptionem dari pro aliquibus.**

Arg. 1) Lex moriendi est universalis, et exceptio, si daretur, deberet clare constare in Scripturis.

2) Omnes homines resurgent. Ergo prius omnes sunt morituri.

3) Christus et beata Virgo Maria mortui sunt. Convenientius autem ipsis quam aliis videbatur exceptio concedenda.

748. Scholion I. Exceptio non sine probabilitate adlegatur in favorem Henoch et Eliae, necnon in favorem justorum, qui in secundo adventu Christi viventes obviam ibunt Christo.

1) **De Henoch et Elia.** De *Henoch* ait Scriptura: *Ambulavitque cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Deus* [6]. *Translatus est in para-*

---

1 *De locis*, lib. 12, c. 14, concl. 4.

2 **Urraburu,** *Psychologia*, lib. 2, disp. 11; **Marcellus a Puero Jesu,** *Psychologia*, n. 448 sqq.

3 *Hebr.* 9, 27. Cfr. **Antonius a S. Alberto,** *Voces del Pastor en el retiro*, § 7.

4 *Rom.*, 5, 12.

5 *I Cor.*, 15, 22.

6 *Gen.*, 5, 24.

disum [1]. *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus* [2].

De *Elia: Cum pergerent* (Elias et Eliseus)... *ecce currus igneus et equi ignei diviserunt utrumque, et ascendit Elias per turbinem in caelum. Eliseus autem... non vidit eum amplius* [3].

Haec loca S. Scripturae interpretantur a rabbinis de vera morte Henoch et Eliae et de sepulcro eorum ignoto. Et «Calvinus, sequutus Aben Ezra et judaeos, putat Henoch esse mortuum suaviter et placide» [4].

Sed communis fere traditio et commentatores S. Scripturae docent Henoch et Eliam adhuc vivere, et liturgia ecclesiastica adserit Dominum eos liberasse «de commune morte mundi» [5]. Unde Cornelius Alapide putat «fidei esse proximum, quod Henoch, aeque ac Elias, necdum sint mortui» [6].

Relinquimus commentatoribus quaestiones de loco, statu et conditione horum sanctorum, et solum adserimus eos multo probabilius adhuc vivere.

Quamvis aliqui Sancti Patres ex hoc deduxerint Henoch et Eliam nunquam morituros, tamen multo communius docent alii eos in fine mundi ad communem vitam redituros et mortem subituros.

De Elia ait *S. Isidorus:* «Igneo curru in caelum raptus ascendit, venturus juxta Malachiam prophetam in fine mundi, ac praecessurus Christum, nuntiaturus ultimum ejus adventum cum magnis virtutibus prodigiisque signorum; ita ut etiam in terra bellum gerat Antichristus adversus eum, vel qui cum eo venturus est (Henoch), et occidet eos, cadavera quoque eorum in plateis insepulta jacebunt» [7].

Imo *Tertullianus, S. Augustinus,* aliique [8] applicant Henoch et Eliae verba Apocalypsis: *Cum finierint testimonium suum, bestia, quae ascendit de abysso, faciet adversus eos bellum, et vincet illos et occidet eos; et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnae* [9].

2) *De justis, qui tempore judicii vivi reperientur.* De iis notatu digna sunt verba Apostoli: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* [10]. In textu graeco legitur: Ἰδοὺ, μυστήριον ὑμῖν λέγω· πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. *Ecce mysterium vobis dico: Omnes non dormiemus, sed non omnes immutabimur.* Hanc esse genuinam lectionem erudite probat *Cornely* [11].

Iterum Apostolus: *Nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non praeveniemus eos, qui dormierunt. Quoniam... mortui, qui in*

---

[1] *Eccl.*, 44, 16.
[2] *Hebr.*, 11, 5.
[3] *IV Reg.*, 2, 11.
[4] **Cornelius Alapide,** *In Genesim*, 5, 24.
[5] *Ordo commendationis animae.*
[6] *In Genesim*, 5, 24, «Sequitur secundo».
[7] *De ortu et obitu Patrum*, c. 25; ML **83,** 140. Hanc S. Isidori relationem omnino confirmat **Cornelius Alapide,** *In Genesim*, 5, 84 , in nota.
[8] **Tertullianus,** *De anima*, c. 50; ML **2,** 780; **S. Augustinus,** *Serm.* 300, n. 11; ML **38,** 1376.
[9] *Apoc.*, 11, 3.
[10] *I Cor.*, 15, 51.
[11] *In I Cor.*, 15, 51.

Christo sunt, resurgent primi; deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera [1].

a) Aliqui Sancti Patres, plures commentatores ac theologi non pauci, his Apostoli testimoniis innixi, defendunt justos, qui in fine mundi vivent, non esse morituros. «Revera, inquit *S. Augustinus*, quantum ad verba beati Apostoli attinet, videtur adserere quosdam in fine saeculi, adveniente Domino, cum futura sit resurrectio mortuorum, non esse morituros, sed vivos repertos, in illam immortalitatem, quae sanctis etiam caeteris datur, repente mutandos et simul cum illis rapiendos, sicut dicit, in nubibus. Nec aliquid aliud mihi visum est, quoties de his verbis volui cogitare» [2]. In sequentibus tamen S. Dortor interpretationem quaerit in favorem sententiae, quae docet eos esse morituros, et alibi probabilius putat omnes justos, qui in adventu Christi vivent, morituros, et postea resurrecturos [3].

Probabilitatem hujus opinionis diserte admisit *S. Thomas* his verbis: «Si tamen hoc verum sit, quod alii dicunt, quod illi nunquam morientur, sicut Hieronymus narrat diversorum opiniones in quadam epistola ad Minervium, dicendum est, quod illi, etsi non moriantur, est tamen in his reatus mortis, sed poena aufertur a Deo, qui etiam peccatorum actualium poenas condonare potest» [4].

b) Sententia tamen, quae docet omnes justos, tempore adventus Domini viventes, esse morituros, probabilior est.

«Securior est, ait *S. Thomas*, haec et communior opinio, quod omnes morientur, et a morte resurgent» [5].

Catechismus Romanus hanc doctrinam tradit [6], et scholastici communius defendunt [7].

Hoc ita fieri exsistimat *S. Augustinus*, «ut, dum per aera in sublime portantur, in illo spatio et moriantur, et reviviscant» [8]. Et auctor operis *Commentaria in duodecim epistolas beati Pauli* ait: «In ipso enim raptu mors proveniet et quasi per soporem, ut egressa anima in momento reddatur. Cum enim tollentur, morientur, ut pervenientes ad Dominum, praesentia Domini recipiant animas, quia cum Deo mortui esse non possunt» [9].

3) Haec cum ita sint:

a) Apostolus in *I Cor.*, 15, 51, secundum lectionem graecam, quam veriorem esse putamus, cum dicit: *Omnes non dormiemus*, excludit diuturnam permanentiam et longam exspectationem in sepulchro, id est, docet justos non fore diu mortuos [10].

b) In textu vero *I Thess.*, 4, 14, Apostolus non negat mortem eorum, qui illis diebus vivent, sed ordinem prioritatis actuum indica-

1 *I Thess.*, 4, 14 sqq.
2 *Ep.* 193, n. 9; ML **33,** 873.
3 *De civ. Dei*, lib. 20, c. 20, n. 2; ML **41,** 688.
4 *I-II*, q. 81, a. 3 ad 1.
5 *Suppl.*, q. 78, a. 1.
6 *Parte* 1, c. 12, n. 6.
7 Cfr. **Suarez,** *De mysteriis vitae Christi*, disp. 50, sect. 2.
8 *De civ. Dei*, lib. 20, c. 20, n. 2; ML **41,** 688.
9 *In ep. I ad Thess.*, 4, 14; ML **17,** 475.
10 Cfr. **Del Val,** *De novissimis*, n. 1; et **Lepicier,** *De novissimis*, p. 19.

vit, ita tamen ut illi, qui a longo tempore mortui erant, et qui in raptu morientur, simul accedant obviam Christo [1].

Sive justi praeserventur a morte, ut aliqui volunt, sive moriantur in raptu, ut aliis placet, admittenda videtur specialis Dei providentia erga eos, ut non moriantur cum impiis in universali conflagratione. Bene ad hoc *S. Thomas:* «Ignis ille finalis conflagrationis, quantum ad hoc quod judicium praecedet, aget ut instrumentum divinae justitiae, et iterum per virtutem naturalem ignis...; in quantum vero aget ut instrumentum divinae justitiae, diversimode aget in diversos, quantum ad sensum poenae; mali enim per actionem ignis cruciabuntur; boni vero, in quibus nihil purgandum invenietur, omnino nullum dolorem ex igne sentient, sicut nec pueri senserunt in camino ignis...; boni vero in quibus aliquid purgandum reperietur, sentient cruciatum doloris ex illo igne, plus vel minus, pro meritorum diversitate». *Suppl.*, q. 74, a. 8.

749. Scholion II. Mors igitur:

1) *Est homini necessaria,* quia est consequentia peccati, quod contraximus. *In quocumque enim die comederis... morte morieris* [2]. Exinde jam vera est interrogatio David: *Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem?* [3].

2) *Hora mortis est omnibus incerta,* quia, sicut legimus in sacra littera, *nescit homo finem suum* [4]; et *Dies Domini sicut fur in nocte,* ita veniet [5]. Propter hanc incertitudinem hortatur nos Dominus, ut semper simus parati: *Et vos stote parati, quia, qua hora non putatis, Filius hominis veniet* [6].

3) *Singulis hominibus erit una mors.* Non solum experientia nos docet, sed sacra littera confirmat homines semel mori dicens: *Unus introitus est omnibus ad vitam, et similis exitus* [7]; *Statutum est hominibus semel mori* [8]. Porro, in aliis vitae negotiis primus error potest in secunda actione reparari, sed in negotio mortis, si semel erratur, semper erratur. Faxit Deus, ut semper parati inveniamur, et justos nos praeoccupet extrema dies.

QUAESTIO XLV

DE JUDICIO PARTICULARI

ARTICULUS I

UTRUM ANIMAE HUMANAE STATIM POST SEPARATIONEM A CORPORIBUS JUDICENTUR

750. Status quaestionis. Judicium particulare est examen et sententia circa merita vel demerita uniuscujusque, qua Deus aeternam retributionem vel poenam cuilibet debitam cognoscit ac decernit.

1 Cfr. **Billot,** *Quaestiones de novissimis,* q. 7, th. 12 ad 2.
2 *Gen.*, 2, 17.
3 *Psalm.* 88, 49.
4 *Eccl.*, 9, 12.
5 *I Thess.*, 5, 2.
6 *Luc.*, 12, 40. Cfr. **Joseph a S. Alberto,** *Voces del Pastor en el retiro,* § 8.
7 *Sap.*, 7, 6.
8 *Hebr.*, 9, 27.

751. Errores. 1) Antiqui philosophi gentiles, necnon gnostici et manichaei, statuerunt, et nuperi spiritistae renovarunt *metempsychosim* seu transmigrationem animarum ab uno corpore ad aliud, ut novum supposititum vivens constituant, et in eo perficiantur. Consequenter negant animas humanas statim post separationem a corporibus judicari a Deo.

2) Arabici, copti, nestoriani, Tatianus, Vigilantius et alii dixerunt animas humanas post separationem a corpore, nullo praemisso judicio, in quodam somno versari usque ad diem judicii. *Calvinus* hanc theoriam admisisse videtur, cum ait «animas piorum... cum felici laetitia fruitionem promissae gloriae» spectare [1]. Huc accedit modus dicendi Rosmini: «Ipsius (animae defuncti) conditio similis dici potest statui tenebrarum perpetuarum et somni sempiterni» [2].

Lactantius: «Nec tamen quisquam potest animas post mortem protinus judicari. Nam omnes in una communique custodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus judex meritorum faciat examen» [3]. Idem docuisse videntur *millenaristae* seu *chiliastae.*

752. THESIS I. **Animae rationales post separationem a corporibus protinus a Deo judicantur.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Auctor Ecclesiastici ait: *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas... Et in fine hominis denudatio operum illius* [4]. Expressio *facile est* apponitur, non praecise ut possibilitas retributionis declaretur, sed ut factum retributionis adseratur contra eos, qui scandalizabantur, quod Deus in hac vita immemor esset bonorum [5].

Christus Dominus in parabola: *Factum est, ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahae. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno* [6].

2) *Ex SS. Patribus. S. Hilarius:* «Statim poenae (regio) mortuum (epulonem) excepit, ut etiam fratres ejus adhuc in supernis manerent. Nihil illic dilationis aut morae est. Judicii enim dies vel beatitudinis retributio est aeterna, vel poenae» [7].

S. Basilius: «Exsistimo autem strenuos Dei athletas... prope vitae finem constitutos, a saeculi principe examinari, ut, si reperiantur aut vulnera... retinuisse, detineantur, sin autem inveniantur invulnerati... sub Christo requiescant» [8].

S. Hieronymus: «Diem autem Domini, diem intellige judicii sive diem exitus uniuscujusque de corpore. Quod enim in die judicii futurum est omnibus, hoc in singulis die mortis impletur» [9].

3) *Ex documentis Ecclesiae.* Patres concilii vaticani paraverunt schema in quo legitur: «Post viam hujus vitae... cuivis peccato mortali, quo maculata anima mox post obitum coram sancto et justo judice comparuerit, poenam constitutam esse perpetuam, sicut ipse aeternus judex testatur» [10].

1 *Inst.*, lib. 3, c. 25, n. 6.
2 *Prop.* 23; **Denz-Bannw.**, 1913.
3 *Inst.*, lib. 7, c. 21; ML **6,** 802.
4 *Eccli.*, 11, 28-29.
5 Cfr. **Knabenbauer,** *In Ecclcum.*, 11, 28-29.
6 *Luc.*, 16, 22.
7 *Tract. super psalmos*, 2, 48; ML **9,** 290.
8 *In psalmos homiliae*, 7, 2; MG **29,** 232.
9 *In Joelem*, 2, 1; ML **25,** 965.
10 *Collectio lacensis*, vol. 7, col. 517.

4) *Ex Catechismo Romano:* «Cum unusquisque nostrum migraverit e vita... statim ad Dei tribunal sistitur, ibique de omnibus justissima questio habetur, quaecumque aut egerit aut dixerit, aut cogitaverit unquam: atque hoc privatum judicium vocatur» [1].

5) *Ex ratione S. Thomae:* «Quilibet homo et est singularis quaedam persona, et est pars totius generis humani. Unde et duplex ei judicium debetur. Unum singulare, quod de eo fiet post mortem, quando recipiet juxta ea, quae per corpus gessit, quamvis non totaliter, quia non quoad corpus, sed quoad animam. Aliud judicium debet esse de eo, secundum quod est pars totius generis humani... Nec tamen Deus judicabit bis in idipsum, quia non duas poenas pro uno peccato inferet, sed poena, quae ante judicium completum inflicta non fuerat, in ultimo judicio complebitur, postquam impii cruciabuntur quoad corpus et animam simul» [2].

753. Thesis II. **Sors animae futura in hoc judicio juxta merita vel demerita immutabiliter determinabitur.**

1) Traditio universalis hanc veritatem in Ecclesia docet, et in animis fidelium insidet firma persuasio hujus veritatis.

2) Judicium particulare eo fine statuitur a Deo, ut non solum opera defuncti examinentur, sed etiam pro ejus meritis vel demeritis feratur sententia. In sententia autem judicis determinatur praemium vel poena, et si sententia feratur in eum, qui non est in statu merendi vel demerendi, determinatur sors immutabiliter futura. Ergo in judicio particulari determinatur a Deo sors futura animae separatae, quae jam mereri non valet vel demereri.

ARTICULUS II

QUIS SIT JUDEX IN JUDICIO PARTICULARI

754. Error. *Modernistae* et *theosophistae* docent judicem esse revelationem conscientiae, «qua anima, sine externo judice, immutabili lege suscipit locum a se ipsa sibi praeparatum». Ita *Murri* et alii [3].

755. Thesis. **Christus Dominus est judex et fert sententiam in judicio particulari.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* In sacris litteris haec legimus: *Omnes stabimus ante tribunal Christi* [4]. *Pater... omne judicium dedit Filio... et potestatem dedit ei judicium facere* [5]. *Ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum* [6].

2) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Ipse erit judex causae tuae, qui modo testis est vitae tuae» [7].

---

1 *Parte* 1, c. 8, n. 3.
2 *Suppl.*, q. 88, a. 1 ad 1.
3 **Murri,** *La vita religiosa, sol. crist.*, disc. 19.
4 *Rom.*, 14, 10.
5 *Joan.*, 5, 22-27.
6 *Act.*, 10, 42.
7 *Serm.* 9, c. 2; ML **38,** 75.

ARTICULUS III

UTRUM SENTENTIA A CHRISTO IN JUDICIO PARTICULARI DATA ILLICO EXSEQUATUR

756. Errores. 1) Error est «quorumdam graecorum, qui purgatorium negant, et dicunt animas, ante corporum resurrectionem, neque ad caelum ascendere neque in infernum demergi» [1].

2) Magna controversia exarsit saeculo XIV inter religiosos S. Francisci et S. Dominici, an animae justae defunctorum statim post separationem a corporibus, si nihil habeant solvendum, vel ex quo omne debitum solverint, videant divinam essentiam, ut voluerunt dominicani, vel an beatitudo animae justae ac purificatae dilatetur usque ad diem judicii, ut defenderunt franciscani.

Joannes XXII, scripto libro antequam esset Pontifex, et deinde concionibus ac controversiis, «semper tamen recitando et nihil determinando, nec asserendo seu opinando», ut dicit Facultas parisiensis in expositione ad ipsum Pontificem [2], favit ut Doctor privatus opinioni franciscanorum. Sed theologi amplexati sunt doctrinam dominicanorum, et ipse Pontifex in consistorio diei 3 Januarii 1334 expresse declaravit se nunquam habuisse intentionem edendi hac de re definitionem dogmaticam; imo morti proximus et praesentibus Cardinalibus expresse dixit se firmiter credere animas justorum conspicere Deum in caelo facie ad faciem.

Praevaluit omnino sententia facultatis parisiensis et Patrum dominicanorum, et deinde definita est, ut videbimus, a Benedicto XII.

3) Sententia, quae negabat justis visionem beatificam usque ad diem judicii, dicebatur hausta a SS. Patribus. Revera aliqui SS. Patres hoc apparenter innuere videntur. *S. Irenaeus* ait: «Animae abibunt in invisibilem locum, definitum eis a Deo, et ibi usque ad resurrectionem commorabuntur, sustinentes resurrectionem, post recipientes corpora, et perfecte resurgentes... venient ad conspectum Dei» [3]. Similia habent *S. Justinus, Tertullianus,* et alii [4]. Ac tandem expressius *S. Cyrillus Alexandrinus:* «Judicium post resurrectionem futurum S. Scriptura testatur. Resurrectio autem futura non est nisi redeunte rursus ad nos ex caelo Christo in gloria Patris cum sanctis angelis... Cum igitur nondum e caelo descenderit universorum judex, ne resurrectio quidem mortuorum facta est. Quomodo autem non absurdum cogitatu fuerit factam jam esse aliquibus aut bonorum aut malorum operum retributionem?» [5].

Haec tamen SS. Patrum effata in bono sensu explicanda sunt. Omnes SS. Patres docuerunt animas sanctorum, post separationem a corporibus et purgationem effectam, beatitudine essentiali, quae in clara Dei visione consistit, frui, sed in praefatis locis dixerunt eas beatitudinem integram, quam homines in anima et corpore post resurrectionem habebunt, exspectare [6].

757. THESIS. **Sententia data in judicio particulari statim exsecutioni mandatur, et animae judicatae ad sortem perpetuam addicuntur.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* In parabola, quam Christus proposuit, Lazarus et Epulo statim post mortem recepti sunt in sinu Abrahae et

---

1 **S. Thomas,** *Contra gentiles,* lib. 4, c. 91, in fine.

2 Expositio *Vestri devotissimi filii,* 2 Jan. 1333; **Mansi,** 25, 984.

3 *Adv. haer.,* lib. 4, c. 31, n. 2; MG **7,** 1209.

4 **S. Justinus M.,** *Dial.,* n. 5; MG **6,** 487; **Tertullianus,** *Adv. Marcionem,* lib. 4, c. 34; ML **2,** 475.

5 *Adv. antropomorph.,* c. 16; MG **76,** 1103 sq.

6 Cfr. **Katschthaler,** *De regni divini consummatione,* n. 26, in nota; **Pesch,** *De novissimis,* n. 585.

in inferno [1]; Christus in cruce ait latroni: *Hodie mecum eris in paradiso* [2]; et Apostolus sciebat post dissolutionem sui corporis habiturum *domum non manufactam aeternam in caelis*, et cupiebat *peregrinari a corpore* et praesentem *esse ad Dominum* [3]; imo et ajebat: *Mihi enim vivere Christus est et mori lucrum... desiderium habens dissolvi et esse cum Christo* [4]. Ergo Christus et Apostolus docuerunt beatitudinem non dilatum iri justis usque ad diem judicii universalis.

2) *Ex definitione Ecclesiae.* Benedictus XII hanc doctrinam solemniter declaravit dicens: «Definimus, quod secundum communem Dei ordinationem animae sanctorum omnium... mox post mortem suam et purgationem praefatam in illis, qui purgatione hujusmodi indigebant, etiam ante resumptionem suorum corporum et judicium generale... vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali... Definimus insuper, quod secundum Dei ordinationem communem, animae decedentium in actuali peccato mortali mox post mortem suam ad inferna descendunt, ubi poenis infernalibus cruciantur» [5].

Concilium florentinum declaravit illorum animas, qui post susceptum baptismum vel nullum peccatum commiserunt, vel a peccato purgatae sunt, «in caelum mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum... Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas» [6].

3) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «In requie enim sunt animae piorum a corpore separatae, impiorum autem poenas luunt» [7].

S. Gregorius: «Sicut electos beatitudo laetificat, ita credi necesse est, quod a die exitus sui ignis reprobos exurat» [8].

4) *Ex ratione.* Meritum aut demeritum, quibus debetur praemium et poena, non competit corpori nisi per animam. Unde nulla ratio suadet, ut completo tempore merendi vel demerendi, protrahatur retributio praemii vel poenae usque ad resumptionem corporis.

ARTICULUS IV

VARIAE QUAESTIUNCULAE CIRCA JUDICIUM PARTICULARE

758. I. *Locus judicii particularis est probabiliter ipse, in quo anima a corpore separatur.*

Anima igitur non transfertur ad locum determinatum, nec videt Deum aut humanitatem Christi, facie ad faciem, sed ubi separatur a corpore, statim elevatur ac illustratur intellectualiter, ut agnoscat se

---

1 *Luc.*, 16, 22.
2 *Luc.*, 23, 43.
3 *II Cor.*, 5, 1-8.
4 *Philipp.*, 1, 21 sqq.
5 Const. *Benedictus Deus*, 29 Jan. 1336; **Denz-Bannw.**, 530.
6 *Decreto pro graecis;* **Denz-Bannw.**, 693.
7 *De civ. Dei*, lib. 13, c. 8; ML **41**, 382.
8 *Dial.*, lib. 4, c. 28; ML **77**, 365.

sistere ante conspectum Dei ab eoque examinari, atque juxta merita vel demerita judicari atque sententiam proferri.

II. *Causae discussio seu examen in judicio particulari fit metaphorice.*

Deus enim, cui aperta sunt omnia, non indiget accusatione actoris, defensione advocati, testium examine, librorum aperitione, etc., ut veritatem investiget statumque animae cognoscat. Haec omnia dicuntur in judicio particulari adhiberi, ut ex his, quae in mundi tribunalibus fiunt, facilius intelligatur natura judicii particularis. Caeterun omnia intellectualiter in instanti fiunt. Ex parte Dei adest *omniscientia*, et ex parte animae *illustratio*. «Quaedam igitur vis, ait ad rem S. *Augustinus*, est intelligenda divina, qua fiet, ut cuique opera sua, vel bona vel mala, cuncta in memoriam revocentur, et mentis intuitu mira claritate cernantur, ut accuset vel excuset scientia conscientiam, atque ita simul et omnes et singuli judicentur. Quae nimirum vis divina libri nomen accepit» [1].

759. Scholion I. Receptacula animarum post mortem optime describit *Angelicus* dicens: «Anima autem... exuta a corpore est in statu recipiendi finale praemium, vel est in statu, quo impeditur ab illo. Si autem est in statu recipiendi finalem retributionem, hoc est dupliciter: vel quantum ad bonum, et sic est *paradisus;* vel quantum ad malum, et sic ratione actualis culpae est *infernus*, ratione autem originalis est *limbus puerorum*. Si vero est in statu, quo impeditur a finali retributione consequenda, vel hoc est propter defectum personae, et sic est *purgatorium*, in quo detinentur animae, ne statim praemium consequantur, propter peccata, quae commiserunt; vel propter defectum naturae, et sic est *limbus patrum*, in quo detinebantur patres a consecutione gloriae propter reatum humanae naturae, qui nondum poterat expiari» [2].

760. Scholion II. *De egressu animarum e diversis receptaculis.* Spiritistae hodierni, ut incautos decipiant, absurda fingunt circa communicationes et apparitiones animarum, sed nullatenus sunt audiendi.

Quaestio est inter theologos, an animae separatae aliquando egrediantur ex receptaculis, ad quae deputantur post judicium particulare.

Nequeunt exire de inferno vel de paradiso simpliciter, ita ut non sint amplius reversurae, quia illuc sunt definitive deputatae.

Ad tempus autem possunt aliquando exire, et non semel egrediuntur, non quidem secundum ordinem legis naturae, quia animae separatae secundum cursum naturalem penitus segregatae sunt a conversatione hominum, sed secundum dispositionem divinae providentiae, quae ob rationes speciales eis permittit inde exire et conspectui viventium apparere.

Hoc autem non eodem modo omnibus permittitur. *Damnatis* enim, non quoties volunt, sed aliquando ad eruditionem hominum et terrorem permittitur. *In purgatorio detentis* etiam interdum ad suffragia expetenda. *Sanctis* vero quoties volunt. «Sicut enim sancti viventes in

---

[1] *De civ. Dei*, lib. 20, c. 14; ML **41**, 680.
[2] *Suppl.*, q. 69, a. 7.

carne per dona gratiae gratis datae accipiunt, ut sanitates et signa perficiant, quae nonnisi divina virtute mirabiliter fiunt, quae quidem signa ab aliis hoc dono carentibus perfici non possunt, ita etiam non est inconveniens, ut ex virtute gloriae aliqua potentia animabus sanctorum detur, per quam possint mirabiliter apparere viventibus, cum volunt; quod alii non possunt nisi interdum permissi» [1].

QUAESTIO XLVI

DE INFERNO

ARTICULUS I

UTRUM EXSISTAT INFERNUS

761. Nomen. Infernus, hebraice שְׁאוֹל, scheol, et graece Ἅιδης, idem est ac *inferus* seu *subterraneus*, et aliquando significat quemlibet locum, in quo animae separatae extra paradisum detinentur. Hinc catechismus doctrinae christianae loquitur de quatuor infernis, qui sunt *limbus patrum, limbus infantium, purgatorium* et *infernus damnatorum.*

Proprie significat locum, in quo damnati puniuntur.

Aliquando vocatur gehenna, a valle *Hinnom* (Ge Hinnom), prope Jerusalem, in qua judaei filios interdum idolo Moloch immolabant, et quam Jossias rex polluit, cremando in ea cadavera ac immunditias. Ex hoc facta est locus horroris, et metaphorice designat infernum damnatorum [2].

762. Error. Exsistentiam inferni negaverunt plerumque gentiles, ex judaeis sadducaei, aliqui gnostici, plures rationalistae, ac tandem omnes materialistae atque increduli hodierni, necnon spiritistae.

763. THESIS. **Exsistit infernus, in quo omnes in peccato mortali decedentes gravissime puniuntur.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Sacer scriptor ait de Dathan et Abiron. *Descenderunt vivi in infernum* [3].

Christus Dominus: *Timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* [4]. *Bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur* [5].

2) *Ex concilio florentino.* Expresse docet concilium «illorum animas, qui in actuali mortali peccato decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas» [6].

---

1 **S. Thomas,** *Suppl.*, 69, a. 3.
2 Cfr. **Jungmann,** *De novissimis*, p. 25 sq.
3 *Num.*, 16, 33.
4 *Matth.*, 10, 28.
5 *Marc.*, 9. 42 sq.
6 *Decreto pro armenis;* **Denz-Bannw.,** 693.

3) *Ex documentis Ecclesiae. Fides Damasi:* «Habemus spem nos consecuturos ab ipso (Deo) aut vitam aeternam, praemium boni meriti, aut poenam pro peccatis aeterni supplicii» [1]. *Symbolum athanasianum:* «Qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternum, qui vero mala, in ignem aeternum» [2].

4) *Ex SS. Patribus. S. Ignatius M.:* «Talis, inquinatus factus (corruptor familiarum), in ignem inextinguibilem ibit, similiter et qui audit ipsum» [3].

S. Joannes Chrysostomus non solum adserit, sed acute probat infernum exsistere his verbis: «Justus est Deus, omnes fatemur et judaei et graeci, et haeretici et christiani. Ast hinc multi, qui peccarunt, abierunt impune; multi, qui cum virtute vixerant, tum demum abierunt, cum sexcentas subiissent calamitates. Ergo, si justus Deus, ubinam his quidem praemia, illis vero supplicia tribuet, si non est gehenna, si non est resurrectio?» [4].

5) *Ex ratione.* Ratio petitur ex verbis allatis S. Joannis Chrysostomi. Deus justus et sanctus nequit permittere, ut peccatores majora ferant praemia quam justi, sed unicuique debet reddere praemium vel poenam juxta opera sua. Sed justi plerumque in hac vita incommoda patiuntur, dum peccatores deliciis affluunt. Ergo oportet, ut in altera vita sit locus, in quo puniantur peccatores. Id ipsum energice exponit Apostolus dicens: *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus... Ut quid et nos periclitamur omni hora?... Quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus et bibamus, cras enim moriemur* [5].

ARTICULUS II

DE AETERNITATE POENARUM INFERNI

764. Doctrina de aeternitate poenarum inferni nimis rigida visa est quibusdam.

Hinc poenas inferni esse aeternas negarunt:

1) *Origenes,* qui putavit reprobos posse post mortem agere poenitentiam de peccatis non remissis, atque ita Deo reconciliari [6].

2) «*Misericordes,* qui, ut ait *S. Augustinus,* nolunt credere poenam sempiternam futuram, sed post certi temporis metas, pro cujusque peccati quantitate longioris sive brevioris, eos inde exsistimant liberandos» [7]. Hodie non desunt homines, qui mirericordibus se subscribunt, et dicentes Deum esse misericordem et peccatoribus propitiatum iri, magis in dies immerguntur vitiis.

3) *Plures hodierni protestantes* et *calvinistae* docent reprobos aliquando veniam obtenturos.

4) *Rationalistae* tandem, parum conformes cum dogmate catholico,

[1] **Denz-Bannw.,** 16.
[2] **Denz-Bannw.,** 40.
[3] *Ephes.,* 16; MG **5,** 658.
[4] *In ep. ad Philipp.,* hom. 6, n. 6; MG **62,** 228.
[5] *I Cor.,* 15, 19 sqq.
[6] Περι αρχων, lib. 1, c. 6, n. 3; MG **11,** 169.
[7] *De civ. Dei,* lib. 21, c. 17, n. 1; ML **41,** 731.

contendunt aeternitatem poenarum sapientiae ac misericordiae Dei repugnare.

5) *Hirscher* ex catholicis docet eos, qui in caritate decedunt, salvari; qui in mala cupiditate decedunt, damnari; et qui decedunt in peccato gratia quidem privante sed inter caritatem et cupidinem ancipite, posse post mortem resipiscere et salvari [1]. Et *Dr. H. Schell* putavit omnes damnatos aliquando liberatum iri, nisi libere et obstinate salvationem respuerint [2].

765. THESIS. **Poenae damnatorum in inferno erunt aeternae.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* In judicio universali dicturus est Jesus reprobis: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum... Et ibunt hi in supplicium aeternum* [3]. Et S. Joannes ait: *Cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum* [4].

2) In concilio quodam sub Menna Patriarcha, a. 543, celebrato, et a Vigilio Papa confirmato, legitur: «Si quis dicit aut sentit ad tempus esse daemonum et impiorum hominum supplicium, ejusque finem aliquando futurum, sive restitutionem sive redintegrationem fore daemonum aut impiorum hominum, a. s.» [5].

Concilium lateranense IV docet omnes homines in fine mundi resurrecturos, «ut recipiant secundum opera sua, sive bona fuerint sive mala; illi cum diabolo perpetuam poenam et isti cum Christo gloriam sempiternam» [6].

3) *Ex SS. Patribus. S. Cyprianus:* «Cremabit addictos ardens semper gehenna et vivacibus flammis vorax poena; nec erit, unde habere tormenta vel requiem possint aliquando vel finem... Erit tunc sine fructu poenitentiae dolor poenae, inanis ploratio et inefficax deprecatio» [7].

S. Augustinus: «Dicere autem in uno eodemque sensu: vita aeterna sine fructu erit; supplicium aeternum finem habebit, multum absurdum est» [8].

4) Ratio demonstrat doctrinam de aeternitate poenarum esse conformem justitiae ac misericordiae Dei.

a) Peccato enim mortali, quod est malum infinitum, et infert Deo injuriam infinitam, debetur objective poena aeterna, quia, cum nequeat dari poena intensive infinita, aequum est, ut inferatur poena duratione aeterna. Peccator autem nolens mutare malam voluntatem, et contemens media sanctificationis ac tempus misericordiae, conjungit hoc malum infinitum cum impoenitentia finali, imo et se ratificat in malo, acceptando poenam peccato debitam. In his adjunctis justitia postulat, ut peccator poena aeterna puniatur.

b) Item, misericordia Dei regulatur sapientia. Sapientia autem Dei non potest permittere, ut ordo divinae providentiae frustretur.

c) Peccatores in morte confirmantur in odio Dei. Odientibus autem Deum non datur venia.

---

1 *Moral.*, t. 1, p. 434.
2 *Dogmatik*, III, 735 sqq.
3 *Matth.*, 25, 41-46.
4 *Apoc.*, 20, 10.
5 *Can.* 9; **Mansi,** 9, 533; **Denz-Bannw.,** 211.
6 *Concil. lat. IV*, c. 1; **Denz-Bannw.,** 429.
7 *Ad Demetrianum*, c. 24-25; ML **4,** 561; **Journel,** 560.
8 *De civ. Dei*, lib. 21, c. 23; ML **41,** 736.

766. Corollarium. *In inferno non erit locus poenitentiae salutaris.* Haec doctrina colligitur ex illis verbis Evangelii: *In his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare* [1]. Dilucide rem explicat *S. Thomas* dicens: «Poenitere de peccato contingit dupliciter: uno modo *per se*, alio modo *per accidens*. Per se quidem de peccato poenitet, qui peccatum, in quantum est peccatum, abominatur; *per accidens* vero, qui illud odit ratione alicujus adjuncti, utpote poenae, vel alicujus hujusmodi. Mali igitur non poenitebunt, per se loquendo, de peccatis, quia voluntas malitiae peccati in eis remanet; poenitebunt autem per accidens, in quantum affligentur de poena, quam pro peccato sustinent... Sine aliqua aversione voluntatis continget, quod damnati de peccatis poeniteant, quia non hoc refugient in peccatis, quod prius appetiverunt, sed aliquid aliud, scilicet poenam» [2].

767. Scholion. *De mitigatione poenae damnatorum.* 1) Aliqui olim dixerunt, et hodie multi rationalistae ac peccatores repetunt, poenas inferni progressive ita diminui, ut aliquando tandem finiantur. Sed haec opinio aperte pugnat cum doctrina de aeternitate poenarum inferni.

2) Saeculis IV et V aerae christianae nonnulli defendebant nocte resurrectionis Domini aliisque diebus poenas damnatorum mitigari. *Prudentius* adserit (festa) in illa nocte sub Styge dari [3]; et *S. Augustinus*, rejecto errore eorum, qui negant poenas inferni fore aeternas, tolerat eis, ut «poenas damnatorum certis temporum intervallis exsistiment, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari» [4].

Haec ipsa opinio introducta fuit aliquantulum in liturgia sacra, si genuina sunt documenta reperta. In bibliotheca nationali parisiensi [5] inventum est sacramentarium manuscriptum Gellonii saeculi VIII, quod continet missam, ut videtur gallicam: *Pro cujus anima dubitatur*, et in cujus oratione prima legitur: *Humiliter trementerque deprecamur pro anima famuli tui illius, quem Dominus vocavit a praesente saeculo, et, si forsitan nobis gravitate criminum non meretur gloria, per haec sacrae oblationis libamina vel tolerabiliora fiant ipsa tormenta* [6]. Haec, si authentica sunt, continent opinionem cujusdam particularis, non doctrinam Ecclesiae universalis.

De hac opinione ait *Angelicus:* «Est... praedicta opinio praesumptuosa, utpote sanctorum dictis contraria, et vana, nulla auctoritate fulta; et est irrationabilis, tum quia damnati in inferno sunt extra vinculum caritatis, secundum quam opera vivorum continuantur defunctis; tum quia totaliter ad vitae terminum pervenerunt, recipientes ultimam pro meritis retributionem, sicut et sancti, qui sunt in patria» [7].

3) Alii dicunt damnatos in inferno mitigationem accidentalem ex-

---

1 *Luc.*, 16, 26.
2 *Suppl.*, q. 98, a. 2 et ad 3.
3 *Hymno* 5, v. 125 sqq.; ML **59,** 827.
4 *Enchiridion*, c. 112; ML **40,** 285.
5 Lat. 12048, fol. 249, 250.
6 Cfr. **A. Cabassut,** *Revue d'Histoire ecclésiastique*, Janv. 1927, p. 67
7 *Suppl.*, q. 71, a. 5.

periri, quatenus poena temporalis pro peccatis venialibus et mortalibus quoad culpam remissis debita aliquando tandem extinguitur. Ita *Scotus*, *Tanquerey* et alii [1].

Haec opinio dici nequit erronea, sed est theologice minus probabilis.

Poena siquidem temporalis peccatis venialibus debita nunquam remittitur, quin ipsum peccatum veniale quoad culpam remittatur. Culpa autem peccati venialis damnatorum, utpote peccato mortali conjuncta, non remittitur in inferno. Et sic poena temporalis venialibus debita per accidens fit aeterna in damnatis.

Poena etiam temporalis, peccatis mortalibus quoad culpam remissis debita, irremissibilis est in inferno. Poena siquidem nunquam remittitur, nisi debitor fiat amicus et gratus creditori. Damnati autem nunquam fiunt Deo grati.

ARTICULUS III

DE NATURA POENARUM INFERNI

768. Duplici poena, poena scilicet damni et sensus, puniuntur reprobi in inferno, juxta illud, quod Salvator dicturus est damnatis: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum* [2]. *Poena damni* est privatio visionis Dei, seu carentia Dei, quae debetur peccato, in quantum est aversio a Deo. *Poena sensus* est positiva afflictio seu dolor a Deo inflicta per agens extrinsecum, ignem, vermem, tenebras exteriores, etc., et debetur peccato mortali, in quantum est conversio inordinata ad bona creata. Poena damni causatur a Deo, «non quidem agendo aliquid, sed potius non agendo. Ex eo enim, quod Deus gratiam non influit, consequitur in isto gratiae privatio» [3].

De utraque breviter agendum est.

769. THESIS I. **Omnes reprobi puniuntur poena damni in inferno.**

Nota. Omnes, qui exsistentiam admittunt inferni, facile concedunt damnatos privari visione Dei in inferno. Unde breviter probanda est thesis.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Christus dicturus est reprobis in judicio: *Discedite a me, maledicti* [4]. Item: Paterfamilias dicet iis, qui foris sunt: *Nescio vos... discedite a me, omnes operarii iniquitatis... vos autem expelli foras* [5].

2) *Ex SS. Patribus.* De poena damni loquens ait *S. Augustinus:* «Perire a regno Dei, exulare a civitate Dei, alienari a vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei..., tam grandis est poena, ut ei nulla possint tormenta, quae novimus, comparari» [6].

---

1 **Scotus,** *In IV Sent.*, disp. 21, q. 1, n. 6; **Tanquerey,** *De novissimis*, n. 935.
2 *Matth.*, 25, 41.
3 *In II Sent.*, dist. 37, q. 3, a. 1.
4 *Matth.*, 25, 41.
5 *Luc.*, 13, 27-28.
6 *Enchiridion*, c. 112; ML **40,** 285.

3) *Ex ratione.* Reprobi per poenam damni a) *privabuntur summo bono et omnium fine ultimo,* cujus praesentia facit caelites beatos; b) *excludentur a regno Dei,* amoenissimo paradiso, in quo audiuntur dulcissimi concentus, et conspiciuntur praeclarissima spectacula sole pulchriora; c) *amittent caelestem patriam,* quae cunctos cives facit felices; d) *avertentur ab angelorum et sanctorum societate,* qui perpetua festa celebrant in conspectu agni; e) *post resurrectionem carebunt gloria corporum,* qua fulgebunt filii Dei [1].

770. THESIS II. **Omnes reprobi cruciantur poena sensus in inferno.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Omnes sacrae paginae testantur damnatos torqueri poena sensus in inferno. Dives Epulon vocabat infernum *locum tormentorum* [2]; reprobi missi sunt *in stagnum ignis ardentis sulphure* [3]; daemones Deus *rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos* [4]; et *vinculis aeternis sub caligine reservavit* [5].

2) *Ex SS. Patribus. Origines:* «Mens ipsa vel conscientia per divinam virtutem omnia in memoriam recipiens, quorum in semetipsa signa quaedam et formas, cum peccaret, expresserat... vel etiam impie commiserat, historiam quamdam scelerum ante oculos suos videbit expositam; tunc et ipsa conscientia propriis stimulis agi atur atque compungitur, et sui ipsa efficitur accusatrix et testis... Ex quo intelligitur, quod circa ipsam animae substantiam tormenta quaedam ex ipsis peccatorum noxiis affectibus generantur» [6].

3) *Ex ratione.* Sicut in peccato mortali invenitur duplex malitia, aversio scilicet a Deo bono incommutabili, et conversio inordinata ad creaturas bonum commutabile, ita oportet, ut duplici poena peccator puniatur. Pro aversione a Deo punitur poena damni, quae consistit in separatione a Deo; pro inordinata autem conversione ad creaturas cruciatur poena sensus, dolore scilicet, qui extrinsecus causatur in anima. Apposite ad rem auctor *Imitationis Christi:* «In quibus homo peccavit, in illis gravius punitur... Nullum vitium erit, quod suum proprium cruciatum non habebit» [7].

Quinque praecipue sunt juxta Lessium, quae poenam sensus causant in inferno: a) *locus obscurissimus ac profundissimus,* a caelo longissime distans, omni horrore, calamitate et moestitia plenus; b) *daemonum et aliorum damnatorum perpetua societas,* quae delicatissimis praesertim hujus mundi incolis erit moeror intolerabilis; c) *ignis sulphureus,* qui, providentia divina sic disponente, dolore intensissimo affliget animas; d) *objecta affligentia omnes sensus,* ita ut luxuriosi foetido sulphure, gulosi ingenti siti et fame, atque summa avari puniantur egestate;

---

1 Cfr. **Lessius,** *De perfect. div.,* lib. 13, c. 29, n. 203.
2 *Luc.,* 16, 28.
3 *Apoc.,* 19, 20; 20, 9-15.
4 *II Petri,* 2, 4.
5 *Jud.,* 6.
6 *De principiis,* lib. 2, c. 10, n. 4; MG **11,** 237.
7 *Lib.* 1, c. 24.

e) *vermis assidue rodens*, qui in mentem revocat tot beneficia recepta in vita totque occasiones derelictas adipiscendi vitam aeternam, producit continuos remorsus, atque in desperationem conjicit animam [1].

ARTICULUS IV

UTRUM IN INFERNO SIT VERUS IGNIS

771. Non defuerunt theologi, qui dubitarent de mente quorumdam SS. Patrum circa corporeitatem ignis inferni. *Origenes*, *S. Gregorius Nyssenus*, *S. Ambrosius* et alii [2] dicuntur ignem inferni metaphorice explicuisse. Unde *S. Hieronymus* ait: «Vermis autem, qui non morietur, et ignis, qui non extinguetur, *a plerisque conscientia accipitur peccatorum*, quae torqueat in suppliciis constitutos» [3]. Et de ipso S. Augustino inquit *Alensis:* «Circa hanc quaestionem videtur Augustinus dubitare, utrum ille scilicet ignis purgatorius sit materialis an spiritualis, et de igne infernali similiter, in quo ille dives ardebat» [4].

2) Deinde *Calvinus* docuit infernum nihil aliud esse, nisi conscientiae errorem [5], et quae in Scripturis de igne inferni leguntur, «esse metaphoricam locutionem» [6].

3) Ex catholicis *Ambrosius Catharinus* ait: «Quod non sit ignis ille corporeus multa mihi videntur facere et urgere» [7].

4) Communiter tamen SS. Patres ac theologi docent ignem inferni, licet diversum a nostro igne, esse verum ac corporeum [8].

772. THESIS. **Ignis inferni est vere corporeus.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* S. Scriptura in locis etiam, in quibus magna proprietas verborum requirebatur, loquitur de igne. In sententia finali judicii universalis Jesus Christus dicturus est reprobis: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum* [9]. Qui faciunt iniquitatem, mittendi sunt *in caminum ignis* [10]; et qui non est scriptus in libro vitae, missus est in stagnum ignis [11]. Haec loca rationabiliter exponi nequeunt in sensu metaphorico.

2) *Ex SS. Patribus.* Sancti Patres litteraliter interpretantur Scripturam. *S. Hilarius:* «Ignis aeterni in ipsis sit aeterna materies» [12]. *S. Basilius:* «Ignis quidem asperitas ac torquendi proprietas iis, qui adustione

---

[1] **Lessius,** *De perfect. div.*, lib. 13, c. 29, n. 206 sqq.

[2] **Origenes,** *De principiis*, lib. 2, c. 10, n. 4; MG **11,** 236; **S. Gregorius Nyss.,** *Orat. Catech.*, c. 40; MG **45,** 103 sq.; **S. Ambrosius,** *In Luc.*, lib. 7, n. 205; ML **15,** 1844.

[3] *In Is.*, 66, 24; ML **24,** 702.

[4] *Summa*, p. IV, q. 15, m. 3, a. 4.

[5] *Inst.*, lib. 3, c. 25.

[6] **Calvinus,** *In Matth.*, c. 3.

[7] Opusc. *De bonorum praemio et supplicio malorum aeterno.*

[8] Patres, qui in contrarium citantur, fortasse voluerunt significare ignem inferni esse diversum ab igne mundi, quod certum est.

[9] *Matth.*, 25, 41.

[10] *Matth.*, 13, 42.

[11] *Apoc.*, 20, 15.

[12] *In Matth.*, c. 5, n. 12; ML **9,** 949.

digni sunt, servetur» [1]. *S. Gregorius:* «Gehennae ignem corporeum esse non ambigo» [2].

3) *Theologi omnes*, uno vel altero excepto, defendunt ignem inferni verum esse ac corporeum. Unde *S. Thomas:* «Quae vero (testimonia Scripturae) animabus damnatorum praenuntiant poenas corporeas, utpote quod ab igne inferni cruciabuntur, sunt secundum litteram intelligenda» [3].

4) *Rationem congruentiae* satis claram exponit *Lessius* his verbis: «Si ignis naturaliter per suum calorem potest affligere spiritum hominis mediante corpore, cur idem ignis ut instrumentum Dei non poterit affligere eumdem spiritum sine ullo corpore medio? Corpus enim solum se habet, ut medium, per quod immediate calor spiritui applicetur, et ejus praesentia vi sentiendi percipiatur. Deus autem non eget aliquo medio, sed facile omnem medii effectum supplere potest» [4].

773. Scholion. *De natura ignis inferni.* Omnes concedunt ignem inferni aliquo modo differre a nostro igne, quia a solo Deo accenditur, materiam accensam non destruit, immediate agit in animam, et nunquam extinguitur.

In quo consistat ejus natura, et an specie vel sola proprietate distinguatur a nostro igne, quaestiones sunt ab eruditis disputatae.

Aliqui dixerunt praefatum ignem esse *spiritualem*, sed non sunt audiendi.

Juxta Lactantium «est purus, ac liquidus, et in aquae modum fluidus» [5].

Aliqui volunt ignem inferni specie differre a nostro igne [6]; sed *S. Thomas* docet illum quantum ad naturam ignis esse idem specie cum nostro igne, quamvis quantum ad corpora, in quibus invenitur, possit specie differre a nostro igne materialiter considerato.

Non incongrue puto dicendum cum S. Augustino: «Qui ignis, cujusmodi et in qua mundi vel rerum parte futurus sit, hominum scire arbitror neminem, nisi forte cui Spiritus ostendit» [7].

ARTICULUS V

QUOMODO IGNIS MATERIALIS TORQUEAT ANIMAM RATIONALEM

774. Placita theologorum. 1) Aliqui contendunt daemones et animas in inferno cruciari, vel quatenus intentionaliter per speciem apprehendunt ignem ut sibi nocivum, ut volunt *Albertus M.*, *S. Bonaventura* et alii [8]; vel quatenus ab igne, operante virtute divina, detinentur formaliter contra suam voluntatem in uno loco definitive, et simul immutantur objective

---

1 *Hom. in psalmum* 28, n. 6; MG **29,** 297.
2 *Dial.*, lib. 4, c. 29; ML **77,** 368.
3 *Comp. theol.*, c. 179.
4 *De perf. div.*, lib. 13, c. 30.
5 *Div. Inst.*, lib. 7, c. 21; ML **20,** 801.
6 Ita **Hurter,** *De novissimis*, n. 653.
7 *De civ. Dei*, lib. 20, c. 16; ML **41,** 682.
8 **Albertus M.,** *In IV Sent.*, dist. 44, q. 2, a. 34; **S. Bonaventura,** *In IV Sent.*, dist. 44, p. 2, a. 3, q. 2.

ac detinentur «in consideratione ignis intensa et perpetua», ut defendit *Scotus* [1].

2) Alii dicunt ignem inferni, in quantum est instrumentum Dei, producere in daemone vel anima qualitatem quamdam spiritualem *dolorifera*m, qua spiritus crucientur. Ita *Suarez, Silvester Maurus, Casajoana,* et alii [2].

3) Juxta S. Thomam et thomistas generatim, ignis inferni, quatenus est instrumentum Dei, alligat sibi et detinet invite quasi in carcere daemones et animas. «Anima enim, ait *Angelicus,* et quaelibet incorporalis substantia, quantum est de sui natura, non est obligata alicui loco, sed transcendit totum ordinem corporalium. Quod ergo alligetur alicui et determinetur ad aliquem locum per quamdam necessitatem, est contra ejus naturam, et contrarium appetitui naturali; et hoc dico, nisi in quantum conjungitur corpori, cujus est forma naturalis, in quo aliquam perfectionem consequitur. Quod autem aliqua spiritualis substantia alicui corpori obligetur, non est ex virtute alicujus superioris substantiae alligantis spiritualem substantiam tali corpori... et per hunc modum animae et daemones alligantur virtute divina in sui poenam corporeo igni... Et sic verum est, quod ignis ille, in quantum virtute divina detinet animam alligatam, agit in animam, ut instrumentum divinae justitiae; et in quantum anima apprehendit illum ignem ut sibi nocivum, interiori tristitia affligitur; quae quidem maxima est, cum considerat se infimis rebus subdi, quae nata fuit Deo per fruitionem uniri» [3].

Haec alligatio non solum est extrinseca detinens substantiam spiritualem loco, sed etiam intrinseca impediens potentias ejusdem in ordine ad suas operationes. Ignis igitur infernalis, in quantum est instrumentum Dei, alligat sibi detinetque spiritum quasi in carcere rebus infimis subditum, atque retardat eum «ab executione propriae voluntatis, ne scilicet possit operari, ubi vult, et secundum quod vult» [4].

Sententia S. Thomae est communior et magis mihi probatur. Velim tamen adjungere id, quod dicebat S. Augustinus, *miris,* scilicet, *tamen veris modis* spiritus ab igne corporeo in inferno torqueri [5].

ARTICULUS VI

UTRUM OMNES DAMNATORUM POENAE SINT IN INFERNO AEQUALES

775. THESIS I. **Omnes poenae, quas damnati patiuntur in inferno, sunt certe gravissimae.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* De damnatis ait Isaias: *Et claudentur in carcere* [6]. Et Sapiens: *Videntes turbabuntur timore horribili* [7].

Dominus Jesus dicturus est reprobis in judicio: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum* [8]. Maledictos vocat eos Dominus, quia exulantur a facie Dei, et mittuntur in ignem aeternum.

---

[1] *In IV Sent.*, dist. 44, q. 2, n. 7, «Dico autem», sqq.

[2] **Suarez,** *De angelis,* lib. 8, c. 14, n. 41 sq.; **Silvester Maurus,** *Opus theol.,* t. 1, q. 192, n. 30; **Casajoana,** *De novissimis,* c. 1, a. 2, schol.

[3] *De anima,* a. 21. Eadem repetit *Contra gentiles,* lib. 4, c. 90; *De veritate,* q. 26, a. 1; et *Suppl.*, q. 70, a. 3.

[4] **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 70, a. 3. Cfr. **Joannes a S. Thoma,** *In I p.*, disp. 24, a. 3, qui de hoc profundissime agit.

[5] *De civ. Dei,* lib. 21, c. 10; ML **41,** 724.

[6] *Is.*, 24, 22.

[7] *Sap.*, 5, 2.

[8] *Matth.*, 25, 41.

Dives Epulon postulat a Deo, ut Lazarus *intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret* linguam suam [1].

2) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Sicut nullum gaudium rerum temporalium ex aliqua parte simile potest inveniri gaudio vitae aeternae, quam sancti accepturi sunt, ita nullus cruciatus poenarum temporalium potest sempiternis iniquorum cruciatibus comparari» [2].

3) *Ex ratione.* Gravitas poenae damni colligitur: a) *Ex valore boni perditi*, quod est Deus summe bonus ac infinite perfectus; b) *ex amissa societate angelorum et sanctorum*, quae post visionem beatificam beatitudinem accidentalem constituit; c) ex privatione amoenissimi loci, in quo caelites laudes Dei perpetuo canunt; d) *ex amissione omnium bonorum*, quae ad felicitatem hominis concurrunt.

Gravitas autem poenae sensus dimetiri potest ex omnibus malis, quae damnatos torquent; hujusmodi sunt: ignis sempiternus, societas desperatorum, locus obscurissimus ac foetidus, vermis perpetuo rodens. Haec omnia gravissimas poenas in anima producere nemo negabit.

776. THESIS II. **Non omnes damnati aequaliter puniuntur, sed unus altero gravius pro gravitate delictorum.**

Nota. Fuit «error quorumdam dicentium in futuro omnia praemia et poenas esse aequalia» [3].

Arg 1) *Ex S. Scriptura.* Auctor libri Sapientiae ait: *Potentes potenter tormenta patientur... Fortioribus autem fortior instat crutiatio* [4].

Apostolus: *Reddet unicuique secundum opera ejus* [5]. Et S. Joannes audivit vocem: *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum* [6].

2) *Ex concilio florentino.* «Definimus, ait concilium..., illorum animas, qui in mortali actuali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas» [7].

3) *Ex SS. Patribus. Origenes:* «Si peccator sum, numquid eadem mihi erit poena, si semel peccavi, quae et si secundo et tertio, et si frequentius peccem? Non ita erit, sed pro modo, et numero, et mensura peccati, etiam poenae quantitas metienda est... Mensura autem haec erit, quam sibi in hac vita unusquisque vel amplius peccando quaesierit» [8].

S. Augustinus: «Nec dubitandum est quidem ipsas poenas, quibus cruciabuntur, qui regnum Dei non possidebunt, pro diversitate criminum esse diversas, et alias aliis acriores, ut in ipso igne aeterno pro disparibus ponderibus peccatorum sint disparia tormenta poenarum» [9].

---

1 *Luc.*, 16, 24.
2 *De catechiz. rudib.*, c. 24, n. 45; ML **40,** 342.
3 **S. Thomas,** *Contra gentiles*, lib. 3, c. 142.
4 *Sap.*, 6, 7-9.
5 *Rom.*, 2, 6.
6 *Apoc.*, 18, 7.
7 *Decreto pro graecis;* **Denz-Bannw.,** 693.
8 *In Num.*, hom. 8; MG **12,** 623.
9 *Contra Donat.*, lib. 4, c. 19; ML **43,** 171.

4) *Ex ratione.* Ratio justitiae postulat, ut graviora peccata gravius puniantur. Ergo peccatores inaequaliter punientur pro gravitate culparum [1].

777. Scholion I. *Inaequalitas in poena damni et sensus.* In utraque poena admittenda est inaequalitas.

1) *Poena damni*, quatenus est mera carentia visionis Dei, non habet diversitatem graduum; quia privationes totales non recipiunt magis et minus; est tamen major vel minor, in quantum procedit a majori vel minori aversione uniuscujusque a Deo per diversos gradus peccatorum. Damnati in inferno eo magis aversi erunt a Deo, quo gravius peccaverint, et eo magis capient poenam de amissione summi boni, quo magis ab eo elongati fuerint [2].

2) *Poena* etiam *sensus* erit major vel minor in damnatis juxta gravitatem peccatorum, quatenus, qui magis peccaverint, intensius punientur.

778. Scholion II. *De loco inferni.* Certissime tenedum est infernum esse in loco quodam determinato, sed, ubi sit, nescimus. Unde *S. Augustinus:* «In qua mundi vel rerum parte futurus sit, hominum scire arbitror neminem, nisi forte cui Spiritus ostendit» [3]. Generatim conjiciunt auctores eum esse sub terra, sed melius est dicere cum S. Joanne Chrysostomo: «Ne ergo quaeramus, ubinam sit, sed quomodo illam (gehennam) fugiamus» [4].

QUAESTIO XLVII

DE PURGATORIO

ARTICULUS I

UTRUM EXSISTAT PURGATORIUM

779. Purgatorium, sic dictum quia in eo purgantur animae, est *locus, in quo animae justorum cum aliquo poenae temporalis debito ex hac vita migrantes, patiendo purificantur.*

Accurate recolenda sunt, quae superius [5] circa remissionem culpae et poenae peccati diximus. Culpa et poena aeterna remittuntur per sacramenta Ecclesiae vel etiam per actum doloris; et poena temporalis vel in ipsis sacramentis ac contritione, si dolor sit intensus, vel per dolorem et poenitentiam satisfactoriam, aut etiam per indulgentias, in quibus merita satisfactionesque Christi et sanctorum applicantur animae ad remissionem poenae temporalis.

Qui ex hoc mundo decedunt in peccato mortali, sepelientur in infer-

[1] Cfr. **S. Thomas,** *Contra gentiles*, lib. 3, c. 143.

[2] Cfr. **Salmanticenses,** *De vitiis et peccatis*, disp. 18, n. 18; **Pesch,** *De novissimis*, n. 645; et **Katschthaler,** *De regni div. consummat.*, n. 80.

[3] *De civ. Dei*, lib. 20, c. 16; ML **41,** 682.

[4] *In Rom.*, hom. 31, n. 5; MG **60,** 674.

[5] *De indulgentiis*, n. 585.

no; qui in peccatis venialibus non remissis, liberantur a culpa veniali per actum doloris, quem probabilius emittent statim post separationem a corpore; qui cum debito poenae temporalis pro peccatis mortalibus vel venialibus quoad culpam remissis, indigent purgatione. Ubi purgabuntur? En quaestio.

780. Errores. 1) *Nestoriani* saeculo IV, *albigenses, petrobrusiani* et *waldenses* saeculo XII, et hussitae saeculo XV, exsistentiam purgatorii negaverunt.

2) Deinde infensissimi hujus doctrinae hostes fuerunt novatores saeculi XVI.

Lutherus, licet sibi inconstans in hac parte fuerit, anno 1537 scribebat: «Purgatorium et quidquid ei solemnitatis, cultus et quaestus adhaeret, mera diaboli larva est» [1].

Calvinus vehementius adhuc in hoc dogma invehitur dicens: «Cum ex multis blasphemiis constructum sit purgatorium... Clamandum ergo non modo vocis, sed gutturis et laterum contentione, purgatorium exsitiale esse commentum, quod Christi crucem evacuat» [2]. Veteres protestantes Luthero et Calvino subscripserunt.

Hodierni protestantes, licet locum expiationis generatim admittant, nomen purgatorii rejiciunt.

781. THESIS. **Exsistit purgatorium, in quo animae justorum purgantur.** *De fide.*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Celebris est locus libri II Machabaeorum, in quo dicitur, quod Judas, *facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans (nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis), et quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* [3].

Judae Machabaeo auctorique sacro persuasum fuit: a) *Purgatorium exsistere*, in eoque detineri eos, qui pie, id est in gratia Dei, mortui sunt, sed habent aliquid Deo solvendum; et b) *animas defunctorum in eo detentas suffragiis fidelium posse juvari*, quia salubre esse cogitabant pro peccatis exorare, ut a peccatis solverentur.

Christus Dominus ait: *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro* [4]. In his verbis supponebat Christus aliqua peccata saltem quoad aliquid remitti post mortem. Hunc locum exponens recte ait *S. Augustinus:* «Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non his remittatur neque in hoc saeculo neque in futuro, nisi essent (aliqui), quibus, etsi non in isto, tamen remittetur in futuro» [5].

2) *Ex concilio tridentino.* Docuerunt Patres «purgatorium esse,

---

[1] *Art. smalcaldici*, p. 2, c. 2, § 9.
[2] *Inst.*, lib. 3, c. 5, n. 6.
[3] *II Machab.*, 12, 43-46.
[4] *Matth.*, 12, 32.
[5] *De civ. Dei*, lib. 21, c. 24, n. 2; ML **41**, 738.

animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari» [1].

3) *Ex SS. Patribus.* *S. Cyprianus:* «Aliud (est) pro peccatis longo dolore cruciatuum emundari et purgari diu igne, aliud peccata omnia passione (martyrii) purgasse» [2].

S. Gregorius Nyssenus: «Post exitum e corpore cognoscens virtutis discrimen a peccato, non... poterit participare divinitatem, nisi ignis purgatorius maculam animo immixtam purgaverit» [3].

4) *Plura monumenta archaeologica*, in quibus animae in purgatione ignis exhibentur; *inscriptiones sepulcrales*, in quibus refrigerium pro animabus defunctorum postulatur; *liturgiae omnium ecclesiarum*, in quibus regulae et ordo de suffragiis faciendis traduntur, probant exsistentiam purgatorii.

5) *Ex ratione.* Plures animae justae, etsi a peccatis mortalibus liberae sint, cum debito poenae temporalis de hoc mundo exeunt. Sed nihil inquinatum nec debitis onustum intrabit in regnum caelorum. Ergo oportet dari locum, in quo hujusmodi animae mundentur [4].

ARTICULUS II

QUID PATIANTUR ANIMAE IN PURGATORIO

782. THESIS I. **Animae in purgatorio patiuntur poenam damni seu dilationis gloriae et poenam sensus.**

Pars 1.ª Patiuntur poenam damni seu dilationis gloriae.

Arg. Omnes animae justae, quibus aliquid est Deo solvendum, vix separantur a corporibus, cognoscunt se ad perpetuam Dei visionem destinari, sed in via, quousque totum debitum solvant, detineri. De hac autem detentione, quae simul est privatio Dei et dilatio gloriae, vehementer tristantur. Ergo patiuntur poenam damni.

Optime tamen animadvertunt *Salmanticenses* hanc esse poenam damni secundum quid, quia poena damni simpliciter causatur per aversionem perpetuam, quae est in damnatis [5].

Hanc dilationem gloriae ultro acceptant animae purgatorii, quia perfecte cognoscunt eam deberi negligentiis, quas ipsae commiserunt, et a Deo sapientissime ordinari.

---

[1] *Sess.* 25, Decret. de purgatorio; **Denz-Bannw.,** 983. Cfr. **Benedictus XII,** Const. *Benedictus Deus;* **Denz-Bannw.,** 530; Concilium florentinum, *Decreto pro graecis;* **Denz-Bannw.,** 693.

[2] *Ep.* 10 *ad Antonianum,* n. 20; ML **3,** 811.

[3] *Orat. de mortuis;* MG **56,** 525; **Journel,** 1061.

[4] Cfr. **Liberius a Jesu,** *Controversiae,* t. 1, fol. 131 sqq.

[5] **Salmanticenses,** *De vitiis et peccatis,* disp. 18, n. 6. Cfr. **Liberius a Jesu,** *Controversiae,* t. 1, fol. 217 sqq.

Pars 2.ª Patiuntur poenam sensus.

Debitum temporale debetur animae ob inordinatam conversionem ad creaturas. Aequum autem est, ut inordinata conversio ad creaturas puniatur poena sensus. Unde animae in purgatorio purificantur poena sensus.

783. THESIS II. **Poenae purgatorii acerbissimae sunt.**

Arg. Animae purgatorii ardenter amant Deum, summum bonum, et vehementer desiderant eum possidere, et nihilominus ab eo possidendo retardantur, imo et subjiciuntur poenae sensus, quae praecipue causatur ab igne. Absentia autem ab objecto perfectissimo ac vehementer amato est poena damni gravissima, sicut poena ignis est acerbissima. Ergo poenae purgatorii sunt acerbissimae.

784. Scholion I. *Quoad gradus acerbitatis poenarum*, quas animae patiuntur in purgatorio, non una est theologorum sententia.

1) *Poena damni purgatorii* est certe acerbior qualibet poena hujus vitae, quia, ut bene arguit *S. Thomas*, «quanto... aliquid magis desideratur, tanto ejus absentia est molestior. Et quia affectus, quo desideratur summum bonum post hanc vitam, in animabus sanctis est intensissimus, quia non retardatur affectus mole corporis, et etiam quia terminus fruendi summo bono jam advenisset, nisi aliquid impediret, ideo de rei tardatione maxime dolent» [1].

2) *Quantum ad poenam sensus*, aliqui auctores benignius, alii severius loquuntur.

Aliqui dicunt dari in purgatorio poenam sensus, quae sit acerbior omni poena hujus mundi, sed non quamlibet poenam sensus purgatorii excedere in gravitate omnes poenas hujus vitae. Ad rem *S. Bonaventura:* «Poena purgatorii gravior est omni temporali poena... Sane tamen hoc intelligendum, ut generaliter poena illa sit major ista... non quia minima sit major maxima in hoc genere, sed quia maxima in illo genere major sit maxima in hoc genere» [2]. S. Bonaventuram sequuntur *Bellarminus*, *Suarez* et alii [3].

Alii volunt quamlibet etiam minimam purgatorii poenam esse acerbiorem poena maxima hujus mundi. Ita defendit *S. Thomas* dicens: «Similiter etiam, cum dolor non sit laesio, sed laesionis sensus, tanto aliquis magis dolet de aliquo laesivo, quanto magis est sensitivum; unde laesiones, quae fiunt in locis maxime sensibilibus, sunt maximum dolorem causantes. Et quia totus sensus corporis est ab anima, ideo, si in ipsam animam aliquod laesivum agat, de necessitate oportet quod maxime affligatur. Quod autem anima ab igne corporali patiatur, hoc ad praesens supponimus... Et ideo oportet, quod poena purgatorii quantum ad poenam damni et sensus excedat omnem poenam istius vitae» [4].

---

[1] *In IV Sent.*, dist. 21, q. 1, a. 1, sol. 3. Cfr. **Suarez,** *De poenitentia*, disp. 46, sect. 3, n. 1.

[2] *In IV Sent.*, dist. 20, p. 1, a. un., q. 2.

[3] **Bellarminus,** *De purgatorio*, lib. 2, c. 14; **Suarez,** *De poenitentia*, disp. 46, sect. 3, n. 7.

[4] *In IV Sent.*, dist. 21, q. 1, a. 1, sol. 3.

Haec sententia S. Thomae, quam sequuntur plures theologi, videtur fundari in doctrina S. Augustini dicentis: «Gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita» [1].

785. Scholion II. Poenae purgatorii, quantumvis graves, fiunt tolerabiles, quia animae sunt *confirmatae in gratia*, et *securae de sua salute aeterna*.

1) *Confirmatae sunt in gratia et nequeunt amplius peccare*, quia gratiam finalem conjunxerunt cum morte, et sunt extra statum merendi vel demerendi [2]. Unde merito damnata est propositio 39 Lutheri sic expressa: «Animae in purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quaerunt requiem, et horrent poenas» [3].

2) *Sunt securae de sua salute aeterna*, quia certe cognoverunt sententiam judicis in judicio particulari. Jure damnata est a Leone X propositio 38 Lutheri, quae dicebat: «Animae in purgatorio non sunt securae de earum salute» [4].

786. Scholion III. *Causa praecipua poenae sensus in purgatorio est ignis corporeus.*

Graeci schismatici negant ignem esse in purgatorio, et pauci ex catholicis dubitant, an ibi sit verus ignis corporeus.

Sed S. Scriptura affirmare videtur: *S. Cyprianus*, *S. Augustinus*, *S. Gregorius*, *S. Isidorus hispalensis*, aliique Patres diserte loquuntur de igne purgatorii [5]; et scholastici omnes defendunt animas in purgatorio vero et corporeo igne torqueri [6].

Hunc ignem esse praecipuam causam doloris sensus in purgatorio docet constans fidelium traditio et communis theologorum sententia. Ita intelligenda videntur verba Apostoli: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* [7].

787. Corollaria. 1) *Poenae in purgatorio sunt inaequales.* Deus enim exigit majorem poenam iis, qui majori debito onusti e vita migrarunt. Haec inaequalitas attenditur penes *acerbitatem*, quatenus aliqui intensiores poenas eadem duratione ferunt, et penes *durationem*, quatenus aliqui magis, alii minus in purgatorio detinentur.

2) *Nemo scit quantum illae poenae durabunt.* Hoc unum nobis constat illas esse temporales, et ultra diem judicii non protractum iri. In die judicii reprobi in supplicium aeternum et justi ibunt in vitam aeternam [8].

3) Qui in die judicii justi reperientur, purgabuntur juxta S. Thomam a poena temporali, si quam debent, per ignem conflagrationis universi [9].

---

[1] *In psalm.* 37, n. 3; ML **36,** 397.

[2] Cfr. **S. Bonaventura,** *In IV Sent.*, dist. 26, dub. 6.

[3] *Prop.* 39; **Denz-Bannw.,** 779.

[4] *Prop.* 38; **Denz-Bannw.,** 778.

[5] **S. Cyprianus,** *Ep.* 10, n. 20; ML **3,** 811; **S. Augustinus,** *In ps.* 37, enarrat. 3; ML **36,** 397; **S. Gregorius M.,** *Dial.*, lib. 4, n. 39; ML **77,** 397; **S. Isidorus hisp.,** *De ord. creat.*, c. 14, n. 12; ML **83,** 950.

[6] Cfr. **Bellarminus,** *De purgatorio*, lib. 2, c. 11; et **Liberius a Jesu,** *Controversiae*, t. 1, fol. 208 sqq.

[7] *I Cor.*, 3, 15.

[8] *Matth.*, 25, 46. Cfr. **S. Augustinus,** *De civ. Dei*, lib. 21, c. 16; ML **41,** 731.

[9] *In IV Sent.*, dist. 47, q. 2, a. 3, sol. 2 ad 5.

4) «*De loco purgatorii*, ait Angelicus, non invenitur aliquid expresse determinatum in Scriptura, nec rationes possunt ad hoc efficaces induci. Tamen probabiliter, et secundum quod consonat magis sanctorum dictis et revelationi factae multis, locus purgatorii est duplex: *Unus* secundum legem communem; et sic locus purgatorii est locus inferior, inferno conjunctus, ita quod idem sit ignis, qui damnatos cruciat in inferno, et qui justos in purgatorio purgat, quamvis damnati, secundum quod sunt inferiores merito, et loco inferiores ordinandi sunt. *Alius* est locus purgatorii secundum dispensationem; et sic quandoque in diversis locis aliqui puniti leguntur, vel ad vivorum instructionem, vel ad mortuorum subventionem, ut viventibus eorum poena innotescens, per suffragia Ecclesiae mitigaretur» [1].

ARTICULUS III

A QUIBUS MACULIS MUNDENTUR ANIMAE IN PURGATORIO

788. Status quaestionis. Anima, quae separatur a corpore sine ulla culpa mortali vel veniali, et sine debito poenae temporalis, mox in caelum recipitur. E contra, quae in peccato mortali exit e corpore, illico damnatur.

Sed aliquae animae migrant e vita sine ulla culpa mortali vel veniali, cum debito tamen poenae temporalis pro peccatis quoad culpam remissis relictae; aliae cum peccatis venialibus quoad culpam non remissis et cum debito poenae temporalis his venialibus aliisque peccatis jam remissis debitae, et recipiuntur in purgatorium poenis acerbissimis purgandae.

Quaeritur hic, quomodo peccata venialia et poenae temporales in purgatorio extinguantur.

789. I. **Remissio culpae venialis.** Quoad remissionem peccatorum venialium diversi diversimode opinati sunt:

1) Gravissimus *Alensis* exsistimat peccata venialia, quae homo justus habet in articulo mortis, remitti quoad culpam in ipsa vita per gratiam finalem. «Deletur ergo, ait, veniale illud, de quo quaeritur in praesenti... a gratia finali... Cum ad hoc devenitur, quod anima solvitur a carne cum finali gratia, fit anima spiritualis et libera ab illa servitute... Exsistimo tamen, quod si maneret in actuali voluntate peccati (venialis) in morte, quod illa placentia jam progressa esset in contemptum, et jam esset peccatum mortale, et quod (anima) damnaretur» [2].

Duo hic docet *Alensis:* a) Peccata venialia, quibus homo afficitur in vita, per gratiam finalem sine actu caritatis vel poenitentiae morientis remitti in articulo mortis, et hoc caret fundamento, quia gratia finalis non est nisi ipsa gratia praecedens continuata, quae certe non acquirit virtutem remittendi peccata, qua prius carebat; b) affectum hominis ad peccatum veniale in articulo mortis progredi in contem-

---

[1] *In IV Sent.*, dist. 21, q. 1, a. 1, sol. 2. Cfr. **Mazzella,** *De Deo creante*, n. 1349.
[2] *IV p.*, q. 12, m. 4, a. 8.

ptum gravem et evadere peccatum mortale, et hoc contradicit rationi theologicae, juxta quam affectus ad veniale peccatum nullatenus potest importare gravem contemptum. Venialia enim nunquam obstant gratiae [1].

2) Alii censent culpam peccati venialis remitti in purgatorio pedetentim, id est, «per actum caritatis et patientiae continuatum illo tempore, quo veniale punitur». Ita *Sotus* [2]. In hac sententia tantum durat culpa venialis in purgatorio, quantum ejus poena.

3) *S. Thomas* et cum eo plures theologi docent iis, qui peccato veniali affecti moriuntur, culpam venialem remitti per actum caritatis statim post mortem seu in primo instanti, quo sunt in purgatorio. Voluntaria enim acceptatio poenarum purgatorii est virtualis retractatio peccati venialis [3].

Haec videtur verior sententia.

«Quandoque contingit, ait *Angelicus*, quod aliqui in ipsis actibus peccatorum venialium, vel in proposito venialiter peccandi, occupantur somno vel aliqua passione auferente usum rationis, et praeveniuntur morte, antequam possint habere usum rationis. Quibus manifestum est, quod in hac vita peccata venialia non dimittuntur, et tamen propterea non impediuntur perpetuo a vita aeterna, ad quam nullo modo perveniunt, nisi omnino immunes ab omni culpa effecti. Et ideo oportet dicere, quod venialia remittuntur eis post hanc vitam etiam quantum ad culpam, eo modo quo remittuntur in hac vita; scilicet per actum caritatis in Deum, repugnantem venialibus in hac vita commissis. Quia tamen post hanc vitam non est status merendi, ille dilectionis motus in eis tollit quidem impedimentum venialis culpae, non tamen meretur absolutionem vel diminutionem poenae, sicut in hac vita» [4].

790. II. **Remissio poenae temporalis.** Poena temporalis, peccatis tam mortalibus quam venialibus remissis debita, duplici modo extinguitur in purgatorio: 1) *suffragiis fidelium*, ut dicemus infra; 2) *solutione debiti* paulatim per viam satispassionis, quando anima suffert poenas purgatorii. Nam «quicumque est debitor alicujus, per hoc a debito absolvitur, quod debitum solvit. Et quia reatus nihil est aliud quam debitum poenae, per hoc quod aliquis poenam sustinet, quam debebat, a reatu absolvitur; et secundum hoc poena purgatorii a reatu purgat» [5].

ARTICULUS IV

UTRUM ANIMAE PURGATORII SUFFRAGIIS VIVORUM JUVARI POSSINT

791. Status quaestionis. Suffragium pro defunctis est auxilium, quod animabus purgatorii conferimus, ut eorum reatus citius extinguatur.

---

[1] Cfr. **S. Thomas,** *In IV Sent.*, dist. 21, q. 1, a. 2, sol. 1.

[2] *In IV Sent.*, dist. 15, q. 2 a. 2, «Hoc tamen».

[3] Cfr. **Liberius a Jesu,** *Controversiae*. t. 1, sol. 190.

[4] *De malo*, q. 7, a. 11. Cfr. **Salmanticenses,** *De poenitentia*, q. 87, a. 4, n. 6 sq. comment.

[5] *In IV Sent.*, dist. 21, q. 1, a. 3, sol. 2.

792. Errores. 1) Aerius olim, sacerdos armenus et haeresis arianae acerrimus propugnator, dicitur negasse exsistentiam purgatorii, sed verius videtur negasse tantummodo suffragia pro defunctis [1].

2) *Calvinus* ajebat: «Ante mille et trecentos annos usu receptum fuit, ut precationes fierent pro defunctis. Omnes in errorem abrepti sunt. Dico in eo aliquid humani passos esse, ideoque ad imitationem trahendum non esse, quod fecerunt» [2].

793. THESIS. **Animae purgatorii suffragiis vivorum juvantur.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Auctor libri II Machabaeorum expresse adserit sacrificia oblata esse pro mortuis, et addit: *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* [3].

2) *Ex concilio tridentino.* Sancta synodus docet «purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio, juvari» [4].

3) *Ex SS. Patribus. Tertullianus:* «Oblationes pro defunctis annua die facimus» [5].

S. Cyrillus hierosolymitanus: «Deinde (oramus) et pro defunctis sanctis patribus..., maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur» [6].

S. Augustinus: «Habet ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt, cum martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur, pro caeteris autem commemoratis defunctis oratur» [7].

4) *Ex documentis Ecclesiae.* In Constitutionibus apostolicis legitur: Oremus «pro fratribus nostris, qui in Christo requieverunt, ut hominum amans Deus, qui animam defuncti suscepit, ei remittat omne peccatum... et collocet eum in regione piorum» [8].

5) *Id liquido demonstrant inscriptiones coemeteriorum*, in quibus leguntur orationes pro defunctis, et exhortationes, ut suffragia fiant pro ipsis [9].

794. Scholion I. *Quibus suffragiis juventur animae purgatorii:*

1) Animae defunctorum juvantur imprimis indulgentiis, in quibus Christi sanctorumque merita ac satisfactiones applicantur defunctis, et ita solvitur Deo debitum temporale, quod defuncti habent coram Deo, ut diximus supra.

2) Deinde efficaciter prodest defunctis sanctum sacrificium missae, quod vere esse propitiatorium et prodesse defunctis, probavimus superius.

3) Orationes, eleemosynae, poenitentiae, aliaque bona opera prosunt defunctis, et abbreviant eorum poenas.

---

1 Cfr. **Katschthaler,** *De regni divini consummatione*, n. 84.
2 *Inst.*, lib. 3, c. 5, n. 10.
3 *II Machab.*, 12, 46.
4 *Sess.* 25, Decret. de purgatorio; **Denz-Bannw.,** 983.
5 *De corona militis*, c. 3; ML **2,** 99.
6 *Catech.*, 23, 9; MG **33,** 1116.
7 *Serm.* 159, n. 1; ML **38,** 868.
8 *Const. apostolicae*, lib. 8, c. 41; MG **1,** 1143.
9 Cfr. **Marucchi,** *Manuale di archeologia cristiana*, p. 3, c. 1 sqq.: et p. 4, c. 2 sqq.

795. Scholion II. *Haec suffragia diversimode prosunt defunctis:*

1) Missae sacrificium, utpote infiniti valoris, habet vim propitiatoriam et impetratoriam ex opere operato, ut poenae temporales animarum purgatorii extinguantur vel diminuantur.

2) Opera poenalia, ad quae reducuntur indulgentiae [1], juvant animas per viam satisfactionis vicariae, et solvunt Deo, quantum animae purgatorii satispati debent. Disputatur, an hujusmodi satisfactio vicaria prosit defunctis ex justitia, an ex pura Dei liberalitate. *Suarez* et *Liberius a Jesu* [2] merito defendunt opera poenalia, quae vim satisfactoriam habent, prodesse defunctis ex justitia, supposita promissione Dei acceptandi satisfactiones vivorum.

3) Orationes vivorum prosunt defunctis *per modum impetrationis*, movendo Deum, ut Christi sanctorumque merita ac satisfactiones applicet defunctis [3].

796. Scholion III. *De offerentibus suffragia:*

1) Beati, qui sunt in caelo, et praesertim beata Virgo Maria, impetrant a Deo liberationem animarum purgatorii. Ecclesia saepe rogat Deum, ut «intercedentibus omnibus sanctis» velit animas a purgatorio liberare.

2) Omnes, etiam peccatores, possunt suffragia offerre per modum impetrationis, et rogare Deum, ut cum defunctis misericorditer agat.

3) Justi, qui sunt in hac vita, possunt facere suffragia per modum satisfactionis vicariae, et juvare defunctos operibus, quae eis prosint tum opere operato tum opere operantis.

4) An peccatores possint juvare mortuos operibus satisfactoriis, distinguendum est: possunt eos juvare operibus satisfactoriis, quae habeant vim ex opere operato vel quasi ex opere operato, ut sunt sacrificium missae, indulgentiae, etc.; non vero operibus, quae solum vim habeant ex opere operantis, nisi agant ut minister publicus nomine Ecclesiae, vel ut instrumentum alterius principaliter agentis.

797. Scholion IV. *Quibus prosint suffragia:*

1) Suffragia per modum impetrationis possunt prodesse omnibus, qui sunt in purgatorio, baptizatis et non baptizatis. Orationes enim pro omnibus fiunt.

2) Omnia suffragia prosunt fidelibus defunctis baptizatis.

3) Disputatur, an missae sacrificium prodesse queat defunctis non baptizatis.

---

[1] Indulgentiae dicuntur ad opera poenalia reduci, quia in indulgentiis applicantur satisfactiones seu opera laboriosa Christi et sanctorum, quae sunt in thesauro Ecclesiae. Cfr. **Bellarminus,** *De purgatorio*, lib. 2, c. 16.

[2] **Suarez,** *De poenitentia*, disp. 48, sect. 6, n. 4; **Liberius a Jesu,** *Controversiae*, tr. 2, p. 4, controv. 7, n. 8 sqq.

[3] Cfr. **Lugo,** *De poenitentia*, disp. 24, n. 20.

QUAESTIO XLVIII

DE PARADISO

ARTICULUS I

UTRUM EXSISTAT PARADISUS SEU CAELUM

798. I. Paradisus primo dictus est amoenissimus ille locus, in quo creavit et posuit Deus primum hominem. Fuit revera *locus deliciarum*, in quo homo vitam duxisset felicem, si statum innocentiae servare voluisset.

Ex hoc conceptu deliciarum translatum est nomen ad significandum locum et statum beatitudinis, in quo sancti deliciis sempiternis coram Deo affluent.

Alio nomine vocatur *caelum*, quod licet in Scripturis non semel aerem, nubes, ac firmamentum indicet, saepius tamen paradisum seu locum beatitudinis sempiternae significat, adeo ut *caelum* seu *paradisus* in usu ecclesiastico sit locus, in quo beati Deum intuitive vident, et deliciis fruentur sempiternis.

Quaestio est, utrum caelum exsistat, et quomodo in eo beati erunt felices.

799. II. **Errores.** 1) *Gentiles*, qui doctrinas revelationis primitivae amiserant, et revelationem mosaicam penitus ignorabant, fingebant *campos elysios*, in quibus homines voluptate sensuali credebant fore felices.

2) *Mahumedani* pariter totam felicitatem hominis reponebant in voluptatibus carnalibus [1].

3) *Almaricus*, ineunte saeculo XIII, negabat caelum esse locum determinatum, sed unumquemque esse felicem per Dei in se ipso cognitionem [2].

4) *Materialistae, spiritistae, rationalistae, aliique increduli*, diversis ducti rationibus, negant caelum exsistere hominemque in eo esse beatum.

800. THESIS. **Exsistit caelum seu paradisus, in quo animae justorum defunctorum plene purgatae vident intuitive Deum, ut est in se.**

Pars 1.ª Exsistit caelum.

Arg. 1) Omnes S. Scripturae paginae testantur esse caelum, in quo habitant Deus, angeli et sancti. Christus nos orare docuit: *Pater noster, qui es caelis* [3]. Angeli dicuntur semper videre in caelis *faciem Patris* [4]. Et nos *aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in caelis* [5]. Unde caelum est praeclarissimum Dei opus et splendidus locus, in quo ipse cum angelis et sanctis habitat in perpetuas aeternitates.

---

1 **Koran,** *Sura* 18, n. 32; *Sura* 37, n. 49 sqq.; *Sura* 38, n. 53; et *Sura* 78, n. 32.
2 Cfr. **Gotti,** *Theolog. schol.*, tr. 16, q. 6, dub. 1.
3 *Matth.*, 6, 9.
4 *Matth.*, 18, 10.
5 *II Cor.*, 5, 1.

2) Tota traditio christiana semper tenuit caelum esse habitaculum Dei, sedem immensae majestatis, et receptaculum sanctorum.

3) *S. Thomas:* «Quamvis... animabus post mortem non adsignentur aliqua corpora, quorum sint formae vel determinati motores, determinantur tamen eis quaedam corporalia loca per congruentiam quamdam secundum gradum dignitatis earum, in quibus sint quasi in loco, eo modo, quo incorporalia esse possunt in loco, secundum quod magis vel minus accedunt ad primam substantiam, cui locus superior per congruentiam deputatur, scilicet Deum, cujus sedem caelum Scriptura esse denuntiat ps. 102, 19; *Is.*, 66, 1. Et ideo animas, quae sunt in participatione perfecta deitatis, in caelo esse ponimus» [1].

Pars 2.ª Animae justorum defunctorum plene purgatae statim in caelo vident Deum intuitive, ut est in se.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Christus in cruce ait ad latronem: *Hodie mecum eris in paradiso* [2].

Apostolus: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem* [3].

S. Joannes: *Scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* [4].

2) *Ex documentis Ecclesiae.* Benedictus XII ait: «Definimus, quod animae... in quibus nihil purgabile fuit... mox post mortem suam... fuerunt, sunt et erunt in caelo caelorum regno et paradiso... et vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali» [5].

3) *Ex concilio florentino:* «Definimus... illas (animas)... quae... sunt purgatae, in caelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius» [6].

4) *Ex SS. Patribus.* S. Irenaeus: «Hoc concedit (Deus) iis, qui se diligunt, id est, videre Deum» [7].

Nota. De visione Dei plura diximus in tractatu *De Deo uno*, q. 12, n. 163 sqq., et qui velit ampliorem de his rebus notionem habere, potest illa accurate conferre.

ARTICULUS II

UTRUM DEUS IN CAELO SIT BEATITUDO ANIMAE

801. Status quaestionis. 1) Beatitudo juxta Boetium est: *Status omnium bonorum aggregatione perfectus* [8]; et juxta S. Thomam: *Bonum perfectum, quod totaliter satiat appetitum* [9].

---

1 *Suppl.*, q. 69, a. 1.
2 *Luc.*, 23, 43.
3 *I Cor.*, 13, 12.
4 *I Joan.*, 3, 2.
5 Const. *Benedictus Deus*, 29 Jan. 1336; **Denz-Bannw.**, 530.
6 *Decretum pro graecis;* **Denz-Bannw.**, 693.
7 *Adv. haer.*, lib. 4, c. 20, n. 5; MG **7,** 1035.
8 *De consolat. philosoph.*, lib. 3, pros. 2; ML **63,** 724.
9 *I-II*, q. 2, a. 8.

2) Beatitudo hominis dicitur *naturalis*, si consideretur ejus ordo naturalis, et consistit in aliquali Dei possessione mediis naturalibus acquisita; vel *supernaturalis*, si attendatur ejus ordo supernaturalis, et consistit in plena Dei possessione auxiliis gratiae obtenta. Loquimur de hominis beatitudine supernaturali.

3) Potest esse *objectiva* vel *formalis*. Beatitudo *objectiva* est ipsum summum bonum, alios efficiens beatos, nempe Deus; et *formalis* dicitur beatitudinis objectivae consecutio seu Dei summe boni possessio.

4) Una est *essentialis*, quae consistit in ipsa Dei visione intuitiva, alia *accidentalis*, quae importat gaudia beatitudini essentiali superaddita.

De beatitudine objectiva in praesenti et de formali in sequenti disserendum est.

802. Errores. 1) *Voltairius* impie dixit non dari summum bonum, quod ita plene hominem delectet, ut aliis delectabilius frui nequeat [1].

2) *Epicurus* felicitatem hominis posuit in voluptate, ut videtur, corporis; et ob id solum praecepit virtutem colere, ut plenius voluptate afficeretur [2].

3) *Stoici* exsistimabant summum bonum atque felicitatem hominis consistere in virtute, sicut summum malum dicebant esse vitium.

4) Antiqui philosophi juxta S. Augustinum «invenire conati sunt quid efficiat hominem beatum [3], et ita divisi sunt, ut de hoc «Marcus Varro... ad ducentas octoginta sectas, non quae jam essent, sed quae esse possent, adhibens quasdam differentias, facillime perveniret» [4]. Unde *Heraclitus, Democritus, Pyrrho, Anaxagoras, Pythagoras, Aristoteles*, et alii totidem bona excogitarunt, in quibus felicitatem hominis perfectam reponerent. Alii beatitudinem in divitiis, alii in honoribus, alii in gloria et fama, alii in potestate, alii in voluptate, alii reposuerunt in virtute.

Sed omnes decepti sunt.

803. THESIS. **Beatitudo hominis objectiva in solo Deo consistit.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Auctor Ecclesiastes omnia relaturus, quae possent homini placere, ait: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas* [5].

S. Joannes: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum* [6]. Usu autem loquendi Scripturae vita aeterna est beatitudo.

2) *Ex documentis Ecclesiae.* Benedictus XII ait: «Auctoritate apostolica definimus, quod... animae sanctorum omnium... vident divinam essentiam visione intuitiva et faciali... quodque sic videntes... sunt *vere beatae et habent vitam aeternam*» [7].

3) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Ut vita carnis anima est, ita beata vita hominis Deus est» [8]. Rursum: «Fecisti nos (Domine) ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te» [9].

---

1 *Dict. philosoph.*, art. «Bien» (souverain). «Le souverain bien et souverain mal sont des chimeres».

2 Cfr. **S. Thomas,** *Contra gentiles*, lib. 3, c. 27.

3 *De civ. Dei*, lib. 19, c. 1; ML **41,** 621.

4 **S. Augustinus,** *De civ. Dei*, lib. 19, c. 1; ML **41,** 621.

5 *Eccles.*, 1, 2.

6 *Joan.*, 17, 3.

7 Constit. *Benedictus Deus*, 29 Jan. 1336; **Denz-Bannw.,** 530.

8 *De civ. Dei*, lib. 19, c. 26; ML **41,** 656.

9 *Confess.*, lib. 1, c. 1, n. 1; ML **32,** 661.

4) *Ex ratione S. Thomae.* «Beatitudo est bonum perfectum, quod totaliter quietat appetitum... Atqui objectum voluntatis, quae est appetitus humanus, est universale bonum, quod non invenitur in aliquo creato, sed solum in Deo; quia omnis creatura habet bonitatem participatam» [1]. Ergo beatitudo objectiva hominis in solo Deo consistit.

ARTICULUS III

AN BEATITUDO FORMALIS HOMINIS CONSISTAT IN ALIQUA OPERATIONE

804. Status quaestionis. Beatitudo formalis hominis consistit in adsecutione et possessione beatitudinis objectivae seu Dei, Deum autem adsequimur per unionem perfectam cum ipso. Hinc quaeritur, quae sit animae humanae cum Deo unio perfecta.

805. Placita theologorum. 1) *Henricus Gandavensis* [2], quamvis excusetur a Vazquez [3], docuisse videtur beatitudinem formalem hominis consistere in illapsu Dei in animam beati, seu in operatione speciali, qua Deus intime operatur in anima, eamque conservat.

2) *S. Bonaventura* docet beatitudinem formalem importare habitum simul et actum, seu «habitum ut actum sive in actu» [4], principaliter tamen dicere habitum et deiformitatem.

3) Multo communius docent theologi beatitudinem formalem animae consistere in actuali operatione. Ita *S. Thomas*, omnes thomistae, et ex extraneis fere omnes [5].

806. THESIS. **Beatitudo formalis hominis consistit in actuali operatione.**

Arg. 1) *S. Scriptura*, quoties adserit nos futuros esse in caelo beatos, dat rationem, quia videbimus Deum, sicuti est [6].

2) *Aristoteles*, licet gentilis, loquendo de beatitudine naturali, quaerit, «anne summum bonum in possessione, an in usu positum esse putemus; itemque in habitudine, an in energia sive actione». Et respondit illud consistere in actione. «Accidere enim potest, ut habitus bonus, qui insit, nihil boni efficiat; verbi gratia in illo qui dormit, aut qui alio aliquo modo otiosus ac feriatus est. De energia vero idem dici non potest» [7].

3) *Ratio naturalis* id suadet. Beatitudo enim formalis animae consistit in consecutione summi boni, scilicet Dei. Sed Deum consequimur operatione actuali animae, non illapsu Dei, qui non est aliud, nisi actio Dei, neque habitu, qui nihil agit neque est ultima hominis perfectio. Ergo.

---

1 *I-II*, q. 2, a. 8.
2 *Quodlib.* 13, q. 12.
3 *In I-II*, disp. 8, c. 1.
4 *In IV Sent.*, dist. 49, q. 1 ad ult.
5 **S. Thomas,** *I-II*, q. 3, a. 2; et *In IV Sent.*, dist. 49, q. 1, a. 2, sol. 2.
6 *I Joan.*, 3, 2; *Joan.*, 17, 3.
7 *Ethica*, lib. 1, c. 8 (**Didot,** II, 8).

Corollarium. Ex hoc sequitur sententiam Magistri Bonae Spei, qui dicebat beatitudinem formalem hominis consistere in intellectione Dei increata, carere fundamento. Beatitudo enim hominis consistit in operatione actuali ipsius beati, non in actione Dei [1].

ARTICULUS IV

IN QUA OPERATIONE ANIMAE CONSISTAT BEATITUDO FORMALIS

807. Status quaestionis. Id, quo homo consequitur possessionem Dei, est essentia beatitudinis formalis. Quaestio est, qua actione homo perveniat ad possidendum Deum.

Placita theologorum. 1) *Aureolus* et alii beatitudinem formalem hominis posuerunt in gaudio [2]: *Scotus* et scotistae generatim in actu voluntatis, in actu scilicet perfectae caritatis erga Deum [3]; *S. Bonaventura, Valentia, Suarez, Lessius*, et alii in actibus intellectus et voluntatis [4]; *S. Thomas*, omnes thomistae, et ex extraneis *Vazquez* et alii multo communius in sola actione intellectus, quae est visio Dei [5].

808. THESIS. **Beatitudo formalis hominis essentialiter consistit in solo actu intellectus, qui dicitur visio Dei.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Juxta sacram litteram beati erimus per visionem Dei. *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te, verum Deum* [6]. *Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis* [7]. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* [8].

2) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Tota merces nostra visio est [9]. Et rursum: «Visio illa Dei, qua contemplabimur incommutabilem atque humanis oculis invisibilem Dei substantiam... sola est summum bonum nostrum, cujus adipiscendi causa praecipimur agere, quidquid recte agimus» [10].

S. Cyrillus Alexandrinus: «Dei autem contemplatione praecellentius fieri nihil potest, quando supremae beatitatis res ea nos facit participes» [11].

3) *Ex ratione.* Beatitudo formalis hominis essentialiter consistit in adeptione summi boni, quod est Deus. Sed clara et intuitiva visione,

---

[1] Cfr. **Liberius a Jesu,** *Controversiae*, tr. 3, part. 2, controv. 6, n. 117.

[2] **Aureolus,** *In III Sent.*, dist. 15, q. 1, a. 3.

[3] **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 49, a. 4 et 5. Cfr. **Hiquaeus,** *In IV Sent.*, dist. 49, a. 4, «Comment. in Scotum».

[4] **S. Bonaventura,** *In IV Sent.*, dist. 49, p. 1, q. 5; **Valentia,** *In I-II*, disp. 1, q. 3, p. 4; **Suarez,** *In I-II*, disp. 7, sect. 1; **Lessius,** *De summo bono*, lib. 2, c. 5, n. 24.

[5] **S. Thomas,** *I-II*, q. 3, a. 4; **Vazquez,** *In I-II*, disp. 11, c. 3 et 7. Ex thomistis conferendi sunt **Capreolus,** *In IV Sent.*, dist. 49, q. 2; **Salmanticenses,** *De beatitudine*, disp. 1, n. 55; **Billuart,** *De ultimo fine*, diss. 2, a. 2.

[6] *Joan.*, 17, 3.

[7] *Joan.*, 14, 8.

[8] *Matth.*, 5, 8.

[9] *In ps.* 90, serm. 2, n. 13; ML **37,** 1170.

[10] *De Trinitate*, lib. 1, c. 13, n. 31; ML **42,** 844.

[11] *Contra Julianum*, lib. 3; MG **76,** 627.

non actu voluntatis, consequimur Deum. Ergo. Visio intellectiva ex sua natura attrahit ad se et adsequitur objectum, dum actus voluntatis, si est desiderium, non consequitur bonum, et si est amor caritatis, supponit bonum adsecutum [1]. Ad rem *S. Thomas:* «Beatitudo est consecutio finis ultimi. Consecutio autem finis non consistit in ipso actu voluntatis» [2]. Unde recte dicit *Medina:* «Beata vita non est amare quod habes, sed habere quod amas» [3].

809. Corollaria. 1) *Contra Aureolum* dicendum est gaudium beatorum supponere beatitudinem adeptam. Prius enim est adipisci objectum, quam de illo gaudere.

2) *Contra opinionem Scoti* est ratio philosophica, juxta quam prius res intelligitur, quam amatur. Unde «ad voluntatem pertinet delectatio beatitudinem consequens» [4].

3) *Contra sententiam S. Bonaventurae et aliorum* stat firma ratio, qua dicitur actum amoris supponere adsecutionem objecti per intellectum, quia amor supponit cognitionem. «Una, ait *S. Thomas*, et continua et sempiterna operatione in illo beatitudinis statu mens hominis Deo conjungitur» [5].

Scholion. Hanc formalem hominis beatitudinem necessario sequitur in anima intensissimus amor et inenarrable gaudium, ut mox videbimus.

ARTICULUS V

DE PROPRIETATIBUS BEATITUDINIS

810. Status quaestionis. Proprietates beatitudinis sunt ea, quae necessario fluunt ex essentia beatitudinis. Alii plures alii pauciores enumerant, sed generatim ponuntur tres, *amor* scilicet, *impeccabilitas*, et *perpetuitas*

De his breviter in hoc articulo disserendum est.

811. THESIS I. **Omnes beati necessario necessitate etiam exercitii amant Deum.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus ait: *Caritas nunquam excidit, sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur* [6].

2) *Ex auctoritate S. Augustini:* «Beatus autem, quantum exsistimo, neque ille dici potest, qui non amat, quod habet..., etiamsi optimum sit» [7].

3) *Ex ratione.* Anima in visione beatifica intuitive videt ac possidet Deum optimum, maximum, summum bonum. Sed voluntas necessario amat summum bonum sibi praesens, visum ac possessum. Ergo.

---

1 Cfr. **Salmanticenses,** *De beatitudine*, disp. 1, n. 58.
2 *I-II*, q. 3, a. 4.
3 *In I-II*, q. 3, a. 4, opinio 4, «Deinde haec sententia».
4 **S. Thomas,** *I-II*, q. 3, a. 4.
5 *I-II*, q. 3, a. 2 ad 4.
6 *I Cor.*, 13, 8 sqq.
7 *De mor. eccl.*, lib. 1, c. 2, n. 4; ML **32,** 1312.

Hic amor beatificus est necessarius etiam quoad exercitium, adeo ut nequeat voluntas suspendere actum amoris, tum quia intellectus videns intuitive Deum, summum bonum, immunis ab errore, non habet indifferentiam judicii circa perfectionem et bonitatem objecti, et nequit proponere voluntati Deum esse deserendum, et aliud bonum esse amandum; tum quia voluntas in praesentia Dei summe boni totaliter impletur et adaequatur, adeo ut nequeat aliud bonum appetere aut desiderare.

Merito animadvertunt theologi beatos amare in caelo Deum tum amore *amicitiae*, in quantum Deus est in se summe bonus, tum amore *concupiscentiae*, in quantum Deus est etiam ipsis bonus.

812. Corollarium. Ex hoc amore Dei vehementissimo sponte surgit in anima *ineffabile gaudium*. Unde S. Scriptura diserte dicit beatos, quando incipiunt videre Deum, intrare in gaudium Domini [1], et ita laetari in caelo, ut nemo tollat gaudium ab eis [2]. Et *S. Hieronymus* ait: Deum videre «vera laetitia est, cujus visio perfectum est gaudium» [3]. Sancti in caelo placidissime quiescunt in possessione summi boni, et laetantur sine ulteriori desiderio.

813. THESIS II. **Beati in caelo sunt omnino impeccabiles.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* S. Petrus diserte hoc docuit dicens: *Regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in haereditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcescibilem, conservatam in caelis in vobis* [4].

2) *Ex SS. Patribus. Aphraates:* «Neque impii (post mortem et resurrectionem) resipiscent regnumque ingredientur, neque justi peccabunt amplius, ut ad cruciatum abeant» [5].

S. Augustinus: «Completo judicio, suos fines habebunt civitates duae, una scilicet Christi, altera diaboli, una bonorum, altera malorum, utraque tamen et angelorum et hominum. Istis voluntas, illis facultas non poterit ulla esse peccandi» [6].

3) *Ex ratione.* Beati in caelo ita rapiuntur ad amandum Deum, summe bonum, ut nequeant suspendere actum amoris. Qui autem necessario amat Deum, nequit peccare. Ergo beati in caelo sunt omnino impeccabiles.

814. Scholion. Questio est inter theologos, an haec beatorum impeccabilitas proveniat ab intrinseca natura beatitudinis, an vero ab extrinseca voluntate Dei.

Scotus et scotistae docent hoc ab extrinseco provenire, a voluntate scilicet Dei praeveniente «illam voluntatem (beati), ut semper continuet actum fruendi, et ita nunquam possit potentiam suam remotam non fruendi vel peccandi reducere ad actum» [7].

---

1 *Matth.*, 25, 21.
2 *Joan.*, 16, 22.
3 *In Is.*, 66, 14; ML **24,** 688.
4 *I Petri*, 1, 3-4.
5 *Demonstrationes*, 20, 12; *Patrol. Syr.*, 1, 911 (accurante Grafin); **Journel,** 693.
6 *Enchirid.*, c. 111; ML **40,** 284.
7 **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 49, q. 6, n. 11. Ex scotistis conferri potest **Hiquaeus,** *In IV Sent.*, dist. 49, q. 6, Comment.

S. Thomas, thomistae caeterique theologi, extra scholam Scoti, defendunt hanc beatorum impeccabilitatem provenire ex intrinseca visionis et amoris Dei conditione [1].

Sententia S. Thomae magis mihi probatur.

In voluntate siquidem nequit esse peccatum, quando in intellectu non est error, ignorantia aut inconsideratio respectu objecti dilectionis. Sed in intellectu beati non est error, ignorantia aut inconsideratio respectu Dei summi boni. Ergo voluntas beati ex conditione visionis beatificae est impeccabilis.

Item voluntas beati per actum amoris Dei ita satiatur, ut nequeat aliud desiderare. Ergo beati ex conditione amoris beatifici sunt omnino impeccabiles.

815. THESIS III. **Beatitudo animae est perpetua et inamisibilis.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Legimus in libro Sapientiae: *Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum* [2]. Christus Dominus: *Ego vitam aeternam do eis* [3]. Et iterum: *Ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam* [4].

2) *Ex documentis Ecclesiae.* Benedictus XII ait: «Eadem visio et fruitio sine ulla intercisione seu evacuatione praedictae visionis et fruitionis continuata exsistit et continuabitur usque ad finale judicium et ex tunc usque in sempiternum» [5].

In symbolo quotidie dicimus: «Credo... in vitam aeternam» [6].

3) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Illa vita, quae beatissima esse non potuit, nisi de sua fuerit aeternitate certissima» [7].

4) *Ex ratione.* Beatitudo explet omne desiderium hominis, et animam reddit felicem. Sed, nisi esset aeterna, non expleret omne desiderium hominis, nec animam redderet omnino felicem. Ergo beatitudo animae est aeterna. Beati certe non parum affligerentur, si periculum haberent amittendi beatitudinem. Hinc *S. Augustinus:* «Nullo modo igitur esse poterit vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna» [8].

816. Scholion. Movetur hic inter theologos quaestio, an perpetuitas beatitudinis proveniat ex sola voluntate Dei, an ex natura ipsius beatitudinis.

Scotus et *scotistae* communiter docent hominis beatitudinem esse perpetuam et inamisibilem ab extrinseco, a libero scilicet concursu Dei eam perpetuo conservantis [9].

---

[1] **S. Thomas,** *I-II,* q. 4, a. 4. Cfr. **Suarez,** *De beatitudine,* disp. 10, sect. 1; **Gabriel a S. Vincentio,** *De beatitudine,* disp. 3, dub. 8; **Billuart,** *De ultimo fine,* diss. 2, a. 4, § 2.

[2] *Sap.,* 5, 16.

[3] *Joan.,* 10, 28.

[4] *Matth.,* 25, 46.

[5] Const. *Benedictus Deus,* 29 Jan. 1336; **Denz-Bannw.,** 530.

[6] *Symbolo apostolorum;* **Denz-Bannw.,** 6.

[7] *De civ. Dei,* lib. 10, c. 30; ML **41,** 310.

[8] *De Trinitate,* lib. 13, c. 8; ML **42,** 1023.

[9] **Scotus,** *In IV Sent.,* dist. 49, q. 6, n. 10 sqq.

S. Thomas cum communiori sententia defendit perpetuitatem beatitudinis petendam esse ab ipsa natura beatitudinis [1].

Ratio S. Thomae perspicua est, tum quia beatitudo, quatenus est visio Dei et exigit ejus amorem, necessario et perpetuo unit voluntatem cum Deo; tum quia beatitudo, quatenus explet omne desiderium et satiat omnem appetitum, excludit omnem timorem amittendi felicitatem.

ARTICULUS VI

DE BEATITUDINE ACCIDENTALI, SEU DE DOTIBUS ANIMAE AC CORPORIS, NECNON DE AUREOLIS

§ 1

De dotibus animae

817. I. **Variae significationes.** Dos in genere est quoddam donum vel bona qualitas, qua aliquis prae aliis distinguitur; et sic qui bono ingenio, pulchritudine, robore pollent, dicuntur bonis dotibus ornari.

Dos proprie significat bona, quae marito pro uxore dantur ad ferenda matrimonii onera. Ex hoc translatum est ad denotanda ornamenta, quibus anima in mystico ac perfecto matrimonio cum Christo decoratur in caelo. In patria enim celebrantur nuptiae Agni cum anima juxta illud S. Joannis: *Gaudeamus et exultemus, et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiae Agni, et uxor ejus praeparavit se* [2].

818. II. **Definitio.** Dos in praesenti est: *Ornatus animae et corporis vitae sufficiens in aeterna beatitudine jugiter perseverans* [3]. Est *ornatus*, ut anima sponsa placeat Deo; *vitae sufficiens*, quia anima in caelo sustentatur beatitudine; *jugiter perseverans*, quia datur pro tota vita.

819. III. **Numerus.** Tres communiter ponuntur animae dotes, *visio, comprehensio* et *fruitio*. Rationem hujus numeri adsignat *S. Thomas*, quia in matrimonio mystico, quod est imperfectum in via, ornatur anima pignoribus seu arrhis fidei, spei et caritatis, et in matrimonio mystico consummato in patria ornatur tribus dotibus, quae illis correspondent. «Et sic dotes tres respondent tribus virtutibus theologicis: scilicet *visio* fidei, spei vero *comprehensio*... caritati vero *fruitio*» [4].

Visio hic non accipitur pro actu visionis, qui est beatitudo, sed «pro habitu, a quo talis operatio elicitur, id est, pro ipsa gloriae claritate, qua anima divinitus illustratur ad Deum videndum; et sic est dos, et principium beatitudinis» [5].

Comprehensio, quatenus est dos animae, non est inclusio compre-

---

[1] *I-II*, q. 5, a. 4. Cfr. **Billuart,** *De ultimo fine*, diss. 2, a. 4, § 3.
[2] *Apoc.*, 19, 7.
[3] **S. Thomas,** *In IV Sent.*, dist. 49, q. 4, a. 1.
[4] **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 95, a. 5.
[5] **S. Thomas,** *In IV Sent.*, dist. 49, q. 4, a. 2 ad 3.

hensi in comprehendente, qualis dicitur cognitio comprehensiva objecti, sed est retentio boni habiti. Beati ex hoc dicuntur comprehensores.

Fruitio, ut dos, est habitus caritatis consummatae, quo elicitur actus fruitionis.

His ergo dotibus ornatur anima in matrimonio mystico, quod consummatur in gloria.

§ 2

De dotibus corporis glorificati.

820. I. **Notio.** Sicut ornatus, quibus animae decorantur ad unionem cum Christo in matrimonio mystico, vocantur dotes animae, ita perfectiones seu qualitates supernaturales, quae ab anima beata derivantur in corpus sibi unitum pleneque subjectum, vocantur *dotes corporis*.

821. II. **Numerus.** Quatuor generatim numerantur dotes corporis, *impassibilitas* scilicet, *subtilitas*, *agilitas* et *claritas*. Hic numerus fundatur in verbis Apostoli: *Seminatur corpus in corruptione, surget in incorruptione* (impassibilitas); *seminatur in ignobilitate, surget in gloria* (claritas); *seminatur in infirmitate, surget in virtute* (agilitas); *seminatur corpus animale, surget corpus spirituale* (subtilitas) [1].

Ratio hujus numeri est, quia anima est forma et motor corporis. Quatenus est forma, confert corpori esse substantiale, formas accidentales et conservationem, et quatenus est motor, dat ei motum. «Corpus ergo gloriosum, in quantum perfecte animae subditur quantum ad esse substantiale, quod ab ea habet, sic est *dos subtilitatis*... In quantum vero perfecte subditur ei secundum accidentales formas, quae sunt in corpore ab anima, sic est *dos claritatis*. In quantum vero corpus gloriosum perfecte ab anima conservatur, sic est *dos impassibilitatis*... Sed, in quantum corpus perfecte subditur animae ut motori, sic est *dos agilitatis*» [2].

Corpus igitur gloriosum recipit ab anima beata *impassibilitatem*, qua praeservatur a corruptione; *subtilitatem*, qua possit penetrare corpora aliena; *agilitatem*, qua possit summa celeritate moveri; et *claritatem*, qua efficitur luminosum et diaphanum.

§ 3

De beatorum aureolis.

822. I. **Nomen.** Quae hactenus dicta sunt de beatuditine essentiali ac dotibus, sunt omnibus beatis communia, sed aequum est, ut qui prae caeteris sanctis in uno vel altero ordine egregie pugnaverunt, singularibus praerogativis decorentur.

---

[1] *I Cor.*, 15, 42 sqq.

[2] **S. Thomas,** *In IV Sent.*, dist. 49, q. 4, a. 5, sol. 3.

Gloria essentialis beatorum saepe dicitur *aurea* vel *corona*, quia est praemium victoriae concessum omnibus; et praemium accidentale aliquibus pro speciali victoria concessum dicitur aureola, sicut singulares praerogativae quibusdam militibus collatae dicuntur *aureolae*, quasi parvae coronae.

Non tamen omne praemium accidentale praemio essentiali superadditum potest dici aureola, sed quod datur pro aliqua insigni victoria.

823. II. **Definitio.** *Aureola* definitur: *Privilegiatum praemium privilegiatae victoriae correspondens* [1].

Ut haec definitio recte intelligatur, explicandi sunt termini *praemium privilegiatum* et *victoria privilegiata*.

Praemium privilegiatum, quidquid aliqui dixerint in contrarium, est *gaudium accidentale* in anima beata receptum et inde redundans in corpus.

Privilegiata victoria illa est, quae obtinetur ab anima in hoc mundo in certamine contra tres hostes, scilicet contra carnem, mundum et diabolum.

Praemium privilegiatum, quod debetur victoriae contra carnem, dicitur *virginitas;* quod debetur victoriae contra mundum, nuncupatur *martyrium;* quod autem debetur victoriae contra diabolum, est *doctoratus*.

«*Aureola*, inquit S. Thomas, est quoddam privilegiatum praemium privilegiatae victoriae respondens. Et ideo secundum privilegiatas victorias in tribus pugnis, quae cuilibet homini imminent, tres aureolae sumuntur. In pugna enim, quae est contra carnem, ille potissime victoriam obtinet, qui a delectationibus venereis, quae sunt praecipua in hoc genere, omnino abstinet, et ideo virginibus *aureola* debetur. In pugna vero, qua contra mundum pugnatur, illa est praecipue victoria, cum a mundo persecutionem usque ad mortem sustinemus; unde et *martyribus*, qui in ista pugna victoriam obtinent, secunda aureola debetur. In pugna vero, qua contra diabolum pugnamus, illa est praecipua victoria, cum aliquis hostem non solum a se sed a cordibus aliorum removet, quod fit per praedicationem et doctrinam; et ideo *doctoribus* et *praedicatoribus* tertia aureola debetur» [2].

QUAESTIO XLIX

DE FINE MUNDI

ARTICULUS I

AN ET QUAE SIGNA PRAECEDENT CONSUMMATIONEM MUNDI

824. I. **Ordo eventuum.** Antequam exponamus ea, quae contingent in fine mundi, operae pretium est referre ordinem, quo illa fient.

[1] *In IV Sent.*, dist. 49, q. 5, a. 5.
[2] *In IV Sent.*, dist. 49, q. 5, a. 5.

Praecedent primo signa descripta in libris sacris, quae finem mundi annuntiabunt. Deinde eveniet conflagratio universalis, in qua status praesens hujus orbis destruetur, viventes peribunt, ac justi omni debito purgabuntur. Sequetur generalis *resurrectio mortuorum*, et, omnibus adspicientibus, descendent Christus in majestate, cui electi obviam rapientur in aera, et reprobi a longe maledicent. Tunc fiet judicium universale, prout describetur inferius. Ac denique, abeuntibus reprobis in infernum et justis in caelum, relinquentur caeli novi et terra nova.

Haec per ordinem explicanda sunt.

825. II. **Quae erunt signa.** Quaedam erunt signa remota, quae directe non indicabunt finem mundi et adventum Christi, sed negative tantum, quatenus finis mundi non eveniet, nisi prius haec signa contingant, ut sunt praedicatio Evangelii in universo mundo, apostasia generalis, adventus Antichristi, apparitio Eliae et Henoch, et conversio judaeorum; quaedam vero sunt proxima, quae certe indicabunt maximos eventus esse futuros, ut innovationes in sole, luna et stellis, atque in terris praesura gentium.

Pauca de singulis.

826. III. **Signa remota.** 1) *Praedicatio Evangelii in universo mundo.* Christus Dominus hoc praedixit dicens: *Praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet consummatio* [1]. Circa haec ultima verba ait *S. Augustinus:* «Tunc veniet, quid est, nisi ante non veniet? Quanto post ergo veniat, incertum nobis est; ante tamen non esse venturum dubitare utique non debemus» [2].

2) *Apostasia universalis.* Jesus Christus insinuavit in secundo suo adventu non fore fidem in terra [3]; et Apostolus praenuntiavit postremis diebus venturam esse apostasiam seu defectionem a fide [4].

Ante illos dies, quando pseudoprophetae pullulabunt in terra, plures certe deficient a fide, sed non ita omnes, ut Ecclesia dicatur extingui. Illis etiam temporibus non pauci catholici veram fidem retinebunt et certabunt contra impios et hostes Ecclesiae.

Per apostasiam aliqui intelligunt defectionem, «qua nationes et populi, quatenus sunt societates et corpora politica, christianismo renuntient, simulque quamplurimi homines in omnibus regionibus fidem abjiciant» [5], remanentibus utique permultis christianis.

Alii volunt integras nationes et regna ante illa tempora defecturas esse a fide, adeo ut principia, leges, scholae, familiae, et generatim vita publica ac socialis christianismo adversentur, quamquam plures in eis conserventur ad religionem christianam addicti.

3) *Adventus Antichristi.* Post haec *revelabitur ille iniquus* (homo peccati, filius perditionis). *quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris*

---

[1] *Matth.*, 24, 14.

[2] *Ep.* 197, n. 4; ML **33,** 900. Haec praedicatio non erit annuntiatio sterilis verbi Dei, neque omnes et singuli homines convertentur ad Christum, sed ea erit praedicatio, quam omnes vel fere omnes possint audire.

[3] *Luc.*, 18, 8.

[4] *II Thess.*, 2, 3.

[5] **Jungmann,** *De novissimis*, p. 198.

sui, et destruet illustratione adventus sui eum. Cujus est adventus secundum operationem satanae in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt [1].

Plura dicuntur de Antichristo, sed non omnia certa sunt.

Antichristus, quem nominat S. Joannes [2], vi vocis est contra Christum. Lato sensu designat quemlibet Christi adversarium; et stricte significat hominem seductorem ac mendacem, qui ultimis temporibus venturus est ut Christi adversarius.

De eo scimus: quod a) venturus est postremis temporibus; b) futurus est homo singularis, non diabolus, ut aliqui dixerunt, neque societas seu institutio, ut aliis placuit; c) praedicatione, praestigiis ac mendaciis multos seducet; d) occidetur a Christo.

Caetera sunt obscura atque dubia [3].

4) *Apparitio Eliae et Henoch.* De Elia ait Malachias: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis.* De Henoch legitur in libro Ecclesiastici: *Henoch placuit Deo, et translatus est in paradisum, ut det gentibus poenitentiam* [4].

His duobus testibus generatim applicantur a theologis, quae dicuntur in libro Apocalypsis S. Joannis, 11, 3 sqq.

5) *Conversio judaeorum.* Judaeos aliquando conversum iri satis declarant verba Oseae: *Et post haec revertentur filii Israel* [5]. Haec tamen conversio non erit adeo universalis, ut nemo ex judaeis remaneat in impietate, sed fiet sufficiens, ut populus israeliticus et christianus dici possint unus populus.

827. IV. **Signa proxima** consummationis saeculi erunt *prodigia, quae apparebunt in caelo et in terra.* Christus Dominus diserte illa describit dicens: *Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de caelo, et virtutes caelorum commovebuntur* [6]. Et alibi: *Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris praessura gentium prae confusione sonitus maris, et fluctuum..., nam virtutes caelorum movebuntur* [7].

Haec signa non adeo stricte intelligenda sunt, ut post obscurationem solis omnia jaceant in tenebris, et stellae e suis discedant viis, sed obscuratio solis erit relativa, Deo sic disponente, et stellae dabunt exhalationes, cometis similes, ut hominem terreant, et ad fidem excitent.

Caeterum haec signa nondum certe probabunt judicium esse proximum.

ARTICULUS II

AN ET QUOMODO VENTURUS SIT FINIS MUNDI

828. I. *Hic mundus non ita finietur, ut abeat in nihilum.*

Aliqui scriptores dixerunt hunc mundum ultimis diebus ita destructum iri, ut annihiletur.

[1] *II Thess.*, 2, 8 sqq.
[2] *I Joan.*, 2, 18; et *II Joan.*, 7.
[3] Circa Antichristum utiliter conferri possunt Malvenda, *De Antichristo;* **Lessius,** *De Antichristo;* **Beraza,** *De Novissimis*, n. 1400 sqq. et alii.
[4] *Eccli.*, 44, 16.
[5] *Os.*, 3, 5. [6] *Matth.*, 24, 29 sq. [7] *Luc.*, 21, 25 sq.

Sed concilium cpolitanum II damnavit hunc errorem dicens: *Si quis dixerit, quod futurum judicium significat omnimodam corporum abolitionem; et quod finis conjictae fabulae est natura expers materiae, et quod in futuro nihil eorum erit, quae constant materia, sed nuda et sola mens*, a. s. [1]. Apposite ad rem *S. Augustinus:* «Mutatione namque rerum, non omni modo interitu, transibit hic mundus... Figura ergo praeterit, non natura» [2].

Theologi igitur, cum loquuntur de fine mundi, agunt de cessatione status praesentis mundi.

829. II. *Mundus quoad statum periturus constat terra et caelo aereo, quod terram circumdat; non caelo sidereo.*

S. Petrus expresse docet mundum, qui in consummatione peribit, constare caelo et terra, quae aquis diluvii inundata sunt [3]. In diluvio autem aquae ad terram et caelum aereum, non sidereum, pervenerunt. Ergo. Locum S. Petri hoc sensu interpretati sunt *S. Augustinus* et *S. Thomas* [4].

830. III. *Mundus probabilius finietur conflagratione.*

1) Mundum actualem aliquando transformatum iri videtur esse certa sententia. Hoc enim non solum S. Scriptura docet et confirmat traditio, verum etiam scientiae naturales demonstrant. Sicut probavimus in tractatu *De Deo creatore*, n. 653, omnia in mundo per entropiae legem tendunt ad aequilibrium, et per energiarum dissipationem tandem frigescent, adeo ut vita in terra desinat esse, et sequatur transformatio.

2) Triplici modo mundi transformatio fieri potest: a) *Per naturalem refrigerationem terrae corporumque caelestium* juxta leges entropiae; b) *per conflagrationem ignis ex visceribus terrae erumpentis;* c) *per conflagrationem ignis a Deo specialiter praeparati.* Quolibet ex his modis potest venire finis mundi.

3) *Non est exspectandus finis mundi per extinctionem energiarum.* Plures hodie defendunt finem mundi exspectari oportere per extinctionem energiarum sive per telluris astrorumque refrigerationem, sed verius credimus refrigerationem naturalem non esse exspectandam, sed mundum ignis elemento destructum iri, quia ubique nuntiatum est ignis violentia mundum esse consumendum.

Inter veteres philosophos erat olim communis persuasio omnia esse per ignem finienda. Juxta Heraclitum, si fides est Mullachio, «quum e flammae ardore (mundus) generatus sit, certo tempore eum comburi necesse est» [5]. Juxta Ovidium ab antiquis dictum est «adfore tempus, quo mare, quo tellus correptaque regia caeli ardeat, et mundi moles operosa laboret» [6]. Id ipsum juxta S. Augustinum docuere sybillae [7].

---

[1] *Can.* 11; **Mansi,** 9, 399.
[2] *De civ. Dei*, lib. 20, c. 14; ML **41,** 679.
[3] *II Petri*, 3, 5-10.
[4] **S. Augustinus,** *De civ. Dei*, lib. 20, c. 18; ML **41,** 684; **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 74, a. 4 ad 2.
[5] **Mullachius,** *Fragmenta philosophorum graecorum*, «De Heraclito».
[6] *Metamorphoseon* 1, v. 256 sqq.
[7] *De civ. Dei*, lib. 18, c. 23; ML **41,** 579.

Ac tandem S. Petrus adserit mundum per calorem esse comburendum [1].

4) *Mundus actualis non consumetur per conflagrationem ignis naturalis e centro telluris erumpentis.*

Plures philosophi et astronomi hodierni, qui admittunt mundum consumendum esse conflagratione, confugiunt ad causas pure naturales, et dicunt extremis temporibus ignem subterraneum per crateres erupturum esse et totam terrae superficiem invasurum.

Hoc sine speciali Dei interventu fieri non posse facile demonstratur. Legibus enim physicis repugnat, ut ignis subterraneus e sinu terrae egressus totam terrae superficiem naturaliter percurrat.

5) *Extremis diebus ignis speciali Dei interventione praeparatus conflagrabit orbem terrarum.*

S. Petrus diserte ait: *Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo caeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem, et quae in ipsa sunt opera, exurentur* [2].

Poterit certe Deus quemcumque ignem ad hoc adhibere, et si ponatur specialis interventus Dei, non est inconveniens in admittenda mundi conflagratione per ignem erumpentem ex visceribus terrae.

Explicatio tamen S. Thomae magis mihi probatur. «Ista autem conflagratio, ait *Angelicus*, nihil aliud est, quam congregatio omnium causarum inferiorum et superiorum, quae ex natura sua habent virtutem igniendi; quae quidem congregatio non naturali cursu rerum, sed *virtute divina* fiet; et ex omnibus istis causis congregatis generabitur ignis, qui faciem hujus mundi exuret» [3].

831. Scholion I. Aliqui auctores, ut *S. Augustinus*, *S. Bonaventura*, *Suarez*, et alii [4] docent ante hanc conflagrationem celebrandum esse judicium, sed *S. Thomas* contendit conflagrationem futuram esse ante mortuorum resurrectionem et judicium, quia ignis purgabit corpora justorum, et non poterit ea purgare post resurrectionem, cum jam erunt impassibilia et gloriosa. «Cum ergo, ait ille, conflagratio mundi sit dispositio ad renovationem praedictam... manifeste potest colligi, quod ista conflagratio, quoad purgationem mundi, judicium praecedet; sed quoad aliquem actum, qui scilicet est involvere malos, judicium sequetur» [5].

832. Scholion II. *Innovatio caeli et terrae* describitur in sacris litteris. Isaias ait: *Ecce enim ego creo caelos novos et terram novam* [6]. S. Joannes in Apocalypsi vidit *caelum novum et terram novam* [7]. Et S. Petrus, exposita ignis actione, addit: *Novos vero caelos, et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia habitat* [8].

---

[1] *II Petri*, 3, 10.
[2] *II Petri*, 3, 10.
[3] *In IV Sent.*, dist. 47, q. 2, a. 1. Juxta S. Bonaventuram erit «ibi concursus ignis elementaris et terrestris, ignis purgatorii et etiam infernalis». *Breviloquium*, part. 7, c. 4.
[4] **S. Augustinus,** *De civ. Dei*, lib. 20, c. 30; ML **41,** 708; **S. Bonaventura,** *In IV Sent.*, dist. 47, a. 2, q. 4; **Suarez,** *In III p.*, disp. 57, sect. 1.
[5] *Suppl.*, q. 74, a. 7.
[6] *Is.*, 65, 17.
[7] *Apoc.*, 21, 1.
[8] *II Petri*, 3, 13.

Circa hanc innovationem caeli et terrae, multae conjecturae factae sunt ab antiquis theologis et commentaristis, sed plerumque gratuitae.

Unum certe nobis constat, scilicet, statum praesentem universi, terrae et caeli aerei, mutatum iri in melius.

De statu futuro hujus terrae omnia sunt incerta. *S. Thomas* et cum eo plurimi auctores [1] putant regnum organicum, quod animalibus et plantis viventibus constat, non esse in hac mundi innovatione restaurandum.

QUAESTIO L

DE RESURRECTIONE MORTUORUM

ARTICULUS I

UTRUM FUTURA SIT RESURRECTIO MORTUORUM

833. Status quaestionis. Resurrectio est: *corporis et animae hominis mortui ad eamdem personam constituendam unio.* Si *active* attendas, est actio Dei; si *passive*, est animae corporisque conjunctio, seu hominis ad vitam restitutio.

834. Errores. 1) Gentiles in Areopago, *cum audissent* (a Paulo) *resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt: audiemus te de hoc iterum* [2].

2) *Accesserunt ad eum* (Christum) *sadducaei, qui dicunt non esse resurrectionem* [3].

3) Quidam ex corinthiis juxta Apostolum dicebant, *quoniam resurrectio mortuorum non est* [4]; et Himenaeus ac Philetus *a veritate exciderunt dicentes resurrectionem esse factam* [5].

4) Exinde jam plures haeretici, ut *seleuciani* et *herminiani, gnostici, manichaei,* ac *priscillianistae,* negaverunt veritatem resurrectionis mortuorum.

5) Eos medio aevo et deinceps sequuti sunt *albigenses, sociniani* et alii haeretici.

6) Plures *protestantes liberales,* et generatim hodierni *rationalistae, panteistae* et *materialistae* negant factum resurrectionis Jesu Christi, et inficiantur doctrinam de resurrectione universali mortuorum.

835. THESIS. **Omnes homines in fine mundi resurgent.** *De fide.*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura. Scio enim,* inquit Job, *quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum; et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum* [6]. Rationalistae inutiliter conantur probare Jobum hic solum manifestare spem recu-

---

[1] **S. Thomas,** *Suppl.,* q. 91; a. 5. Cfr. **Suarez,** *In III p.,* disp. 58, sect. 3, n. 5.
[2] *Act.,* 17, 32.
[3] *Matth.,* 22, 23.
[4] *I Cor.,* 15, 12.
[5] *II Tim.,* 2, 18.
[6] *Job,* 19, 25-26.

perandi salutem. Sancti Patres adserunt hic agi de vera resurrectione [1]. *Joannes a Jesu Maria* hunc locum exponens merito ait: «Testimonium hoc de resurrectione corporum adeo illustre, apertum, efficax et Patrum laudibus celebratum est, ut mirum plane sit ab expositore ullo in alium sensum potuisse detorqueri» [2].

S. Scriptura laudibus extollit Judam Machabeum, quod *bene et religiose de resurrectione cogitans... eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret* [3].

Christus Dominus ait saducaeis: *De mortuis autem quod resurgant, non legistis in libro Moysi, super rubrum, quomodo dixerit illi Deus, inquiens: Ego sum Deus Abraham?... Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Vos ergo multum erratis* [4]. Et de manducante corpus et sanguinem eucharisticum inquit: *Ego resuscitabo eum in novissimo die* [5].

S. Paulus: *Si autem Christus praedicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* [6]. *Si omnino mortui non resurgunt... ut quid et nos periclitamur omni hora?* [7].

2) *Ex documentis Ecclesiae.* In symbolo apostolorum profitemur *carnis resurrectionem* [8]. in symbolo nicaeno-cpolitano exspectamus *resurrectionem mortuorum* [9]; juxta Benedictum XII «in die judicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt» [10]; et juxta symbolum athanasianum «omnes homines resurgere habent cum corporibus suis» [11].

3) *Ex SS. Patribus.* Juxta *Didaché* tertium signum apparebit «resurrectio mortuorum» [12].

S. Polycarpus: «Qui... dixerit nec resurrectionem nec judicium esse, hic primogenitus est satanae» [13].

Tertullianus: «Resurget igitur caro, et quidem omnis, et quidem ipsa, et quidem integra» [14].

4) *Ex ratione.* Variis rationibus probat *S. Thomas* resurrectionem esse futuram.

a) Anima est forma corporis, adeo ut sit contra naturam animam esse sine corpore. «Nihil autem, quod est contra naturam, potest esse perpetuum» [15]. Hinc juxta S. Augustinum: «Plato dixit sine corporibus animas in aeternum esse non posse» [16].

---

1 Cfr. **S. Hieronymus,** *Ep.* 53, n. 8; ML **22,** 545. **Rev. P. Vincent Rose** dilucide ostendit Jobum loqui de resurrectione mortuorum; *Revue Biblique,* 1886, p. 48 sqq.
2 *Paraphrasis in librum Job,* 19, 25.
3 *II Machab.,* 12, 43-44.
4 *Marc.,* 12, 26 sq.
5 *Joan.,* 6, 55.
6 *I Cor.,* 15, 12.
7 *I Cor.,* 15, 29-30.
8 **Denz-Bannw.,** 6.
9 **Denz-Bannw.,** 86.
10 Const. *Benedictus Deus,* 29 Jan. 1336; **Denz-Bannw.,** 530.
11 **Denz-Bannw.,** 40.
12 *Didaché,* c. 16; **Journel,** 10.
13 *Ad Philpp.,* 7, 1; MG **5,** 1012.
14 *De carnis resurrectione,* c. 63; ML **2,** 933.
15 *Contra gentiles,* lib. 4, c. 79.
16 *De civ. Dei,* lib. 22, c. 27; ML **41,** 795.

b) Homo compositus ex anima et corpore operatus est in mundo. «Et quia operanti debetur operis merces, oportet, quod ipse homo, compositus ex anima et corpore, operis sui mercedem accipiat» [1].

Corollarium. Haec doctrina intelligenda est, non de aliquibus tantum hominibus, sed de omnibus hominibus mortuis. Credimus, inquit *S. Irenaeus*, «resuscitandam (esse) *omnem carnem* humani generis» [2]. Et *S. Augustinus:* «Resurrecturam tamen carnem omnium quicumque nati sunt hominum atque nascentur, et mortui sunt atque morientur, nullo modo dubitare debet christianus» [3].

ARTICULUS II

UTRUM OMNES HOMINES RESURRECTURI SINT CUM IISDEM CORPORIBUS, QUAE IN MUNDO HABUERUNT

836. Status quaestionis. Ad veritatem resurrectionis omnino requiritur, ut idem homo reviviscat qui ante mortem erat. Homo autem constat ex corpore et anima tanquam materia et forma, et idem homo in resurrectione reviviscit, si idem corpus et eadem anima, quae in morte separata sunt, denuo uniantur tanquam materia et forma.

Quoad animam non est difficultas. Cum sit immortalis, et immutata post mortem remaneat, eadem in resurrectione unitur corpori.

Quoad corpus est difficilior explicatio.

837. THESIS. **Omnes homines resurgent cum iisdem numero corporibus, quae ante mortem habuerunt.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* S. Paulus diserte ait: *Qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificavit et mortalia corpora vestra* [4]. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc immortalitatem* [5].

2) *Ex conciliis.* Concilium lateranense IV: «Omnes enim cum propiis resurgent corporibus, quae nunc gestant» [6].

Concilium toletanum XI: «Nec in aerea vel qualibet alia carne, ut quidam delirant, resurrecturos nos credimus, sed in ista, qua vivimus, consistimus et movemur» [7].

3) *Ex symbolo fidei Leonis IX*, in quo haec leguntur: «Credo etiam veram resurrectionem ejusdem carnis, quam nunc gesto» [8].

4) *Ex SS. Patribus. Tertullianus:* «Resurrectionis vocabulum non aliam rem vindicat, quam quae cecidit. Surgere enim potest dici, et quod

---

1 **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 75, a. 1 ad 3.
2 *Adv. haer.*, lib. 1, c. 10, n. 1; MG **7,** 550.
3 *Enchiridion*, 84; ML **40,** 272.
4 *Rom.*, 8, 11.
5 *I Cor.*, 15, 53.
6 *Concil. lat. IV*, c. 1; **Denz-Bannw.,** 429.
7 *Symbolum fidei*, a. 675; **Denz-Bannw.,** 287.
8 *Symbolum fidei;* **Denz-Bannw.,** 347.

omnino non cecidit, quod semper retro jacuit. *Resurgere autem non est nisi ejus, quod cecidit.* Iterum enim surgendo, quia cecidit, resurgere dicitur. *Re* enim syllaba iterationi semper adhibetur» [1].

S. Augustinus: «Ista caro resurget, ista ipsa, quae sepelitur, quae moritur, ista, quae videtur, quae palpatur» [2].

5) *Ex ratione.* Ratio, quam *Tertullianus* insinuavit, optime expenditur ab Angelico his verbis: «Idem numero corpus resurget... Non enim resurrectio dici potest, nisi anima ad idem corpus redeat, quia resurrectio est iterata surrectio. Ejusdem autem est surgere et cadere. Unde resurrectio magis respicit corpus, quod post mortem cadit, quam animam, quae post mortem vivit. Et ita, si non est idem corpus, quod anima resumit, nec dicetur resurrectio, sed magis novi corporis adsumptio» [3].

ARTICULUS III

UNDE REPETENDA SIT IDENTITAS NUMERICA CORPORUM, QUAE PER MORTEM CECIDERUNT, ET QUAE IN RESURRECTIONE ADSUMUNTUR

838. Status quaestionis. Res, ut fatetur *Card. Billot* [4], obscura est, et difficultatibus plena. Quomodo corpus hominis, quod per generationum seriem aliquando in alium hominem, aliquando in vegetalia et animalia transit, potest idem numero animae rationali uniri?

839. Placita theologorum. 1) *Durandus* olim et recenter *Card. Billot* [5] docuerunt identitatem numericam hominis petendam esse ab unitate numerica animae, adeo ut homo resucitatus, qui habeat eamdem animam ac ante mortem, idem sit numero homo, quamcumque habeat materiam corpoream.

2) *Multo communius* defendunt theologi ad resurrectionis veritatem oportere, ut eadem numero materia, quam ante mortem habuit homo, in resurrectione adsumat.

840. THESIS. **Ad veritatem resurrectionis requiritur, ut pars saltem materiae singularis, quam habebat homo ante mortem, denuo adsumatur.**

Arg. 1) *Catechismus romanus* hoc deducit ex necessitate sanctionis. «Corpora, ait, excitanda esse docuimus, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum. Hominem igitur ex ipso corpore, cujus opera vel Deo, vel daemoni servivit, resurgere oportet, ut cum eodem corpore triumphi coronas et praemia consequatur, aut poenas et supplicia miserrime perferat» [6].

---

[1] *Adv. Marcionem*, lib. 5, n. 9; ML **2,** 523.

[2] *Serm.* 264, n. 6; ML **38,** 1217. Videri possunt **S. Gregorius M.,** *Moral.*, lib. 14, nn. 72-74; ML 75, 1077; et **S. Hieronymus,** *Contra Joannem Hierosolymitanum*, n. 30; ML **23,** 398.

[3] *Suppl.*, q. 79, a. 1.

[4] *Quaestiones de novissimis*, th. 13, § 2.

[5] **Durandus,** *In IV Sent.*, dist. 44, q. 1; **Billot,** *Quaestiones de novissimis*, th. 13, § 2-3.

[6] *Parte* 1, c. 12, n. 8.

2) Resurrectio, secundum doctrinam Tertulliani et S. Thomae supra expositam, est iterata surrectio ejus, quod cecidit. Homo autem in morte cecidit praesertim quoad corpus, et resurrectio magis respicit corpus quam animam. Ergo oportet, ut in resurrectione idem corpus, quod anima deseruerat, adsumatur.

Objicies. 1) Anthropophagi aluntur saepe carne humana, adeo ut eadem materia pertineat successive ad duos homines. Ambo autem nequeunt resurgere cum uno corpore.

2) Corpora mortuorum in elementa chimica resolvuntur; et ex his per varias generationes aluntur vegetalia et animalia. Vegetalibus autem et animalibus vescuntur homines, et sic post seriem generationum una caro pertinuit ad plures homines. Ergo nequit unusquisque cum sua propria carne resurgere.

Resp. 1) Anthropophagi non nutriuntur ex solis carnibus humanis, sed alia etiam alimenta sumunt, ex quibus formant partem corporis ad resurrectionem.

Praeterea, in casu anthropophagiae non tota materia victimae transit in corpus manducantis, sed remanet pars ejus satis magna ad resurrectionem.

2) Ad secundum casum eadem est responsio. Corpora mortuorum resolvuntur in plura elementa chimica, quorum aliqua non transeunt in vegetalia et animalia, neque totam substantiam vegetalium et animalium manducant homines. Hinc ex primaevis hominum corporibus relinquitur semper materia apta ad resurrectionem.

Optime rem expendit *S. Thomas* dicens: «Quod enim non impedit unitatem secundum numerum in homine, dum continue vivit, manifestum est, quod non potest impedire unitatem resurgentis. In corpore autem hominis, quamdiu vivit, non semper sunt eaedem partes secundum materiam, sed solum secundum speciem; secundum vero materiam partes fluunt et refluunt. Nec propter hoc impeditur, quin homo sit unus numero a principio vitae usque in finem... nam forma et species singularium partium ejus continue manet per totam vitam, sed materia partium resolvitur per actionem caloris naturalis et de novo adgeneratur per alimentum. Non est autem alius numero homo secundum diversas partes et aetates, quamvis non quidquid materialiter est in homine secundum unum statum, sit in eo secundum alium. Sic igitur non requiritur ad hoc, quod resurgat homo idem numero, quod quidquid fuit materialiter in eo secundum totum tempus vitae suae, resumatur, sed tantum ex eo, quantum sufficit ad complementum debitae quantitatis, et praecipue illud resumendum videtur, quod perfectius fuit sub forma et specie humanitatis consistens. Si quid vero defuit ad complementum debitae quantitatis, vel quia aliquis praeventus est morte, antequam natura ipsum ad perfectam quantitatem deduceret, vel quia forte aliquis mutilatus est membro, aliunde hoc divina supplebit potentia. Nec tamen hoc impediet resurgentis corporis unitatem, quia etiam opere naturae super id, quod puer habet, aliquid additur aliunde, ut ad perfectam perveniat quantitatem; nec talis additio facit alium numero; idem enim numero est homo et puer et adultus».

«Ex quo etiam patet, quod nec resurrectionis fidem impedire potest etiam si aliqui carnibus humanis vescantur... Non enim est necessarium, ut ostensum est, quod quidquid fuit in homine, materialiter resurgat in eo; et iterum, si aliquid deest, suppleri potest per potentiam Dei. Caro igitur comesta resurget in eo, in quo primo fuit anima rationalis perfecta; in secundo vero, si non solis carnibus humanis est pastus sed et aliis cibis, resurgere poterit tantum de alio, quod ei materialiter advenit, quod erat necessarium ad debitam quantitatem corporis restaurandam. Si vero solis humanis carnibus sit pastus, resurget in eo, quod a generantibus traxit, et quod defuerit supplebitur omnipotentia creatoris. Quod et si parentes ex solis humanis carnibus pasti fuerint, ut sic et eorum semen, quod est superfluum alimenti, ex carnibus alienis generatum sit, resurget quidem semen

in eo, qui natus est ex semine, loco cujus ei, cujus carnes comestae sunt, supplebitur aliunde. Hoc enim in resurrectione servabitur, quod, si aliquid materialiter fuit in pluribus hominibus, resurget in eo, ad cujus perfectionem magis pertinebat; unde, si fuit in uno ut radicale semen ex quo est generatus, in alio vero sicut superveniens nutrimentum, resurget in eo, qui est generatus ex hoc sicut ex semine. Si vero in uno fuit ut pertinens ad perfectionem individui, in alio autem ut deputatum ad perfectionem speciei, resurget in eo, ad quem pertinebat secundum perfectionem individui; unde semen resurget in genito et non in generante, et costa Adae resurget in Eva non in Adam, in quo fuit sicut in naturae principio. Si autem secundum eumdem perfectionis modum fuit in utroque, resurget in eo, in quo primitus fuit» [1].

Corollaria. 1) *Causa efficiens principalis* resurrectionis erit solus Deus, qui omnipotenti sua virtute vivificat mortuos; *causa instrumentalis* vox Christi, quam audient, qui in monumentis sunt; *causa exemplaris* resurrectio Christi. *Causa ministerialis* poterunt esse angeli, quatenus poterunt colligere cineres et vocare mortuos.

2) «Homo resurget absque omni defectu humanae naturae... Ideo in utrisque (pueris et senibus) reducetur humana natura per resurrectionem ad statum ultimae perfectionis, qui est in juvenili aetate, ad quam terminatur motus augmenti, et a qua incipit motus decrementi» [2].

3) «Diversitas (sexuum) competit perfectioni speciei... et ideo, sicut resurgunt homines in diversis staturis, ita in diversis sexibus» [3].

4) Post resurrectionem cessabunt actiones generationis et nutritionis. «Et quia comedere, bibere et dormire, et generare, ad animalem vitam pertinent, cum sint ad primam perfectionem naturae ordinata, ideo in resurrectione talia non erunt» [4].

5) Corpora beatorum habebunt quatuor dotes praeternaturales, quae sunt *impassibilitas*, *subtilitas*, *agilitas* et *claritas*, ut explicuimus superius.

ARTICULUS IV

QUID DICENDUM DE MILLENARISMO SEU CHILIASMO

841. Status quaestionis. 1) Millenaristae seu chiliastae, exspectationi judaeorum circa regnum temporale Messiae innixi, dixerunt Christum Dominum venturum esse gloriose in mundum mille circiter annos ante diem judicii, omnesque mortuos justos vocaturum ad vitam, ut cum ipsis et cum justis tunc viventibus regnet in terra per mille annos.

Durante hoc tempore justi regnantes cum Christo in terra deliciis affluent, sive *sensualibus*, ut voluerunt chiliastae crassi, Cerinthus, marcionitae, apollinaristae, et alii; sive *spiritualibus* et *corporalibus honestis*, ut defenderunt chiliastae mitigati, Papias, S. Irenaeus, S. Justinus, Tertullianus, et exinde plures saeculis posterioribus.

---

[1] *Contra gentiles*, lib. 4, c. 81. Cfr. **Capreolus,** *In IV Sent.*, dist. 44, q. 1, a. 3.
[2] **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 81, a. 1.
[3] **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 81, a. 3. Cfr. **S. Augustinus,** *De civ. Dei*, lib. 22, c. 17; ML **41,** 778.
[4] **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 81, a. 4.

2) Cum haec theoria a SS. Patribus et theologis communius rejiceretur, aliqui dixerunt regnum Christi per mille annos cum omnibus justis futurum esse in terris post judicium universale.

3) Fuit denique alia theoria de *doctrina renovationis*, ut ajunt, *eschatologica*, juxta quam aliqui justi viventes postremis temporibus servabuntur illaesi in communi conflagratione, et post judicium manebunt cum Christo in terris quasi in paradiso. Inibunt matrimonia, suscipient filios sine originali culpa, et deliciis affluent, quousque singuli, post peractam vitam per aliquod tempus in hoc regno, transferantur in caelum [1].

842. THESIS. **Millenarismus seu chiliasmus tum crassus tum mitigatus rejiciendus est.**

Prob. 1.° in genere.

Arg. Omnes justi et reprobi simul resurgent juxta illud S. Joannis: *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii* [2].

Prob. 2.° in particulari.

a) **Chiliasmus crassus est rejiciendus.**

Haec theoria clare damnatur in sacris litteris, quia homines *in resurrectione... neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in caelo* [3]; et regnum Dei non est *esca et potus, sed justitia et pax, et gaudium in Spiritu Sancto* [4].

b) **Chiliasmus mitigatus est pariter rejiciendus.**

Hoc constat ex S. Scriptura et documentis ecclesiasticis. Christus enim non venit ad regnandum sed ad judicandum homines. *Venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis; et tunc reddet unicuique secundum opera ejus* [5]. *Christus sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis; inde venturus est judicare vivos et mortuos* [6]. *Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis; et reddituri sunt de factis propriis rationem* [7]. Ad haec apposite *S. Augustinus:* «Cum ergo ipsa sit causa veniendi, quid aliud acturus est, nox advenerit, nisi propter quod veniet» [8].

Post judicium autem *ibunt hi (reprobi) in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam* [9].

---

[1] Haec theoria in variis libris et diariis, praesertim in ephemeride *Jésus-Roi* Pictavii, a quibusdam scriptoribus sustentata, damnata fuit a S. Congregatione S. Officii, 2 Martii 1910; *Acta Ap. Sedis*, vol. 2, p. 635.

[2] *Joan.*, 5, 28-29.

[3] *Matth.*, 22, 30.

[4] *Rom.*, 14, 17.

[5] *Matth.*, 16, 27.

[6] *Symbolus apostolorum;* **Denz-Bannw.,** 6.

[7] *Symbolus athanasianus;* **Denz-Bannw.,** 40.

[8] *Ad octo quaestiones Dulcitii*, q. 3, n. 2; ML **40,** 159.

[9] *Matth.*, 25, 46.

Hi textus certe probant Christum in terris per mille annos non regnaturum ante judicium, quia post adventum statim fiet judicium; nec post judicium, quia illico ascendet in caelum.

Sancti Patres multo communius et theologi fere communiter impugnarunt chiliasmum etiam mitigatum. *S. Hieronymus* vocat eum «mille annorum fabulam» [1].

Objicies. S. Joannes ait in Apocalypsi: *Vidi angelum descendentem de caelo... Et apprehendit draconem... qui est diabolus... et ligavit eum per annos mille... ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni... Et vidi... animas decollatorum propter testimonium Jesu... et qui non adoraverunt bestiam... et vixerunt, et regnaverunt cum Christo mille annis. Caeteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Haec est resurrectio prima* [2].

Resp. 1.° Circa hunc locum ait *S. Augustinus:* «De duabus resurrectionibus Joannes evangelista in libro, qui dicitur Apocalipsis, eo modo locutus est, ut earum prima a quibusdam nostris male intellecta, insuper etiam in quasdam ridiculas fabulas verteretur» [3].

Resp. 2.° Textus evangelicus indiget accurata interpretatione:

1) *Angelus descendens de caelo* est multo probabilius Christus Redemptor in suo primo adventu.

2) *Ligavit daemonem,* id est, relegavit eum in abisum, ne inde egrederetur citra voluntatem Dei, et restrinxit ejus potestatem, ne seduceret homines.

3) *Per mille annos,* id est, per tempus indefinitum, ut saepe innuit S. Scriptura.

4) *Animae decollatorum propter testimonium Jesu,* quae sustinuerunt persecutiones, et tenuerunt doctrinam sanam, *regnaverunt cum Christo mille annis,* id est, vixerunt per tempus indefinitum in Ecclesia Christi.

5) *Caeteri mortuorum,* scilicet peccatores, *non vixerunt* vitam spiritualem, quam confert gratia.

6) *Haec est resurrectio prima,* quae juxta S. Augustinum est *sanctificatio animae* [4], et juxta alios adeptio gloriae post mortem.

QUAESTIO LI

DE JUDICIO UNIVERSALI

ARTICULUS I

UTRUM FUTURUM SIT JUDICIUM UNIVERSALE

843. Status quaestionis. Omnes animae statim post mortem judicantur, et post sententiam judicis accipiunt praemium vel poenam, vel saltem in purgatorio solvunt debita peccatorum, aliquando praemium in caelo accepturae.

Quaeritur, an aliud judicium generale celebrandum sit.

---

[1] *Ep.* 120, c. 2; ML **22,** 986. Card. Franzelin doctrinam SS. Patrum et theologorum dilucide exponit, *De traditione,* th. 16,

[2] *Apoc.,* 20, 1 sqq.

[3] *De civ. Dei,* lib. 20, c. 7, n. 1; ML **41,** 666.

[4] *De civ. Dei,* lib. 20, c. 6, n. 2; ML **41,** 666.

844. Errores. 1) *Sadducaei* ex judaeis, qui carnis resurrectionem inficiabantur, negabant futurum esse judicium universale.

2) Deinde *gnostici, manichaei,* aliique haeretici primis Ecclesiae saeculis. *albigenses,* saeculo XII; et *protestantes liberales, rationalistae, materialistae* aliique increduli in nostra aetate negarunt et negant judicium universale [1].

845. THESIS. **In fine mundi celebrabitur judicium universale.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Christus Dominus ait in Scripturis: *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera ejus* [2]. *Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suae. Et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab haedis* [3].

Apostolus: *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum* [4]. *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi* [5].

2) *Ex symbolis Ecclesiae.* «Inde venturus est judicare vivos et mortuos» [6]. «Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem» [7].

3) *Ex S. Augustino:* «Nullus igitur, ait S. Doctor, vel negat vel dubitat per Jesum Christum tale quale istis sacris litteris praenuntiatur futurum esse novissimum judicium, nisi qui eisdem litteris, nescio qua incredibili animositate seu caecitate, non credit» [8].

4) *Ex ratione.* «Quilibet homo, ait *S. Thomas,* et est singularis quaedam persona, et est pars totius generis humani; unde duplex ei judicium debetur; unum singulare, quod de eo fiet post mortem..., aliud judicium debet esse de eo, secundum quod est pars totius generis humani... quando fiet universale judicium totius humani generis per universalem separationem a malis, etiam quilibet per consequens judicabitur» [9].

Convenientiam hujus judicii probant sequentia:

a) In judicio particulari anima tantum judicatur, et oportet totum hominem ex anima et corpore constitutum post resurrectionem judicari.

b) Homo, dum viveret, suos concives vel aedificavit integritate vitae, vel scandalizavit dissolutione morum. Oportet autem, ut sententia judicis, qua vel ejus merita praemiata sunt, vel ejus scandala punita, innotescat omnibus. Sententia judicii particularis soli animae communicatur. Ergo convenit, ut judicium fiat universale, et sententia detur coram omnibus.

---

1 Cfr. **Katschthaler,** *De regni divini consummatione,* n. 414 sqq.
2 *Matth.,* 16, 27.
3 *Matth.,* 25, 31 sq.
4 *II Cor.,* 5, 10.
5 *Rom.,* 14, 10.
6 *Symbolus apost.;* **Denz-Bannw.,** 6.
7 *Symbolus athanasianus;* **Denz-Bannw.,** 40.
8 *De civ. Dei,* lib. 20, c. 30, n. 5; ML **41,** 708.
9 *Suppl.,* q. 88, a. 1 ad 1.

c) Opera hominis remanent saepe post mortem et producunt effectus. «Ex deceptione Arii et aliorum seductorum pullulat infidelitas usque ad finem mundi; et usque tunc proficiet fides ex praedicatione apostolorum» [1]. Ut autem plene sciant damnati causam suae condemnationis et beati causam suae gloriae, operae pretium est, ut in fine mundi omnes actiones hominum et earum consequentiae publicentur.

ARTICULUS II

QUAENAM SINT SCITU NECESSARIA IN THEOLOGIA CIRCA JUDICIUM UNIVERSALE

846. I. *Judex erit ipse Christus virtute quidem divina sed in forma humana.* Hoc S. Scriptura aperte declarat dicens: *Et tunc parebit signum Filii hominis in caelo, et tunc plangent omnes tribus terrae, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa et majestate* [2].

Judiciaria potestas competit homini Christo propter divinam personam, propter capitis dignitatem, et propter plenitudinem gratiae habitualis, imo et propter meritum, ut ipse sit judex hominum, qui injuste ab eis judicatus est [3]. «Judicabit quidem in humana natura, sed ex divinitatis virtute» [4].

Omnes apostoli aliique probabiliter sancti, qui relinquentes omnia perfectionem vitae sequuti sunt [5], *una cum Christo erunt judices adsessores.* Christus enim ait apostolis: *Sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel* [6].

Actus, quo sancti judicabunt, non videtur futurus esse solus adsensus vel approbatio sententiae, ut aliqui voluerunt, neque occupatio loci honorabilis, ut aliis placuit, sed sententiam Christi per divinam illustrationem cognitam deferent ad judicandos, «ut sciant, quid juste pro meritis eis debeatur, ut sic ipsa revelatio justitiae dicatur judicium» [7].

Angeli non erunt judices adsessores, quia carent humana natura [8].

II. *Omnes homines comparebunt in judicio et adulti judicabuntur.* Constat ex S. Scriptura. *Nam dedit mare mortuos, qui in eo erant, et mors et infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant, et judicatum est de singulis secundum opera eorum* [9].

«Etiam *pueri* ante perfectam aetatem decedentes in judicio comparebunt, non autem ut judicentur, sed ut videant gloriam judicis» [10].

De angelis ait Apostolus: *Nescitis, quoniam angelos judicabimus?* [11].

---

1 **S. Thomas,** *III p.*, q. 59, a. 5.
2 *Matth.*, 24, 30.
3 Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 59, a. 3.
4 **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 90, a. 1, et ad 2.
5 **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 89, a. 2.
6 *Matth.*, 19, 28.
7 **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 89, a. 1. Cfr. **Soto,** *In IV Sent.*, dist. 47, q. 1, a. 2
8 Cfr. **Soto,** *In IV Sent.*, dist. 47, q. 1, a. 2.
9 *Apoc.*, 20, 13.
10 **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 89, a. 5 ad 3.
11 *I Cor.*, 6, 3.

His verbis innuit Apostolus angelos indirecte tantum esse judicandos, «in quantum actibus hominum fuerunt commixti» [1].

III. *Omnia opera sive bona sive mala hominum erunt materia judicii universalis.* Sacra Scriptura saepe hoc testatur. *Et cuncta, quae fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum sive malum sit* [2].

Ratio idem suadet. Cuncta enim opera hominis sunt objectum praemii vel poenae. Ut autem sciatur, an praemio vel poena digna sint, oportet ea examinare ac judicare [3].

Aliquando disputatum est, an peccata per poenitentiam deleta aperiantur in judicio. *Magister Sententiarum* exsistimat «non irrationabiliter putari posse peccata hic per poenitentiam tecta et deleta, illic etiam tegi aliis, alia vero cunctis propalari» [4].

Sed *S. Thomas* [5] et alii communius docent omnia peccata etiam per poenitentiam deleta manifestatum iri in judicio. Haec tamen publicatio non causabit in sanctis poenitentibus verecundiam sed potius magnam gloriam propter poenitentiam, quam fecerunt. «Dicuntur autem peccata esse deleta, quia Deus non videt ea ad puniendum» [6].

IV. Sententia judicis erit duplex: una *particularis*, qua unicuique praemium vel poena juxta merita vel peccata adsignatur; altera *generalis*, quae hoc modo proferetur: **Justis**: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* [7]. **Reprobis**: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus...* [8].

Quamvis de modo procedendi in judicio et proferendi sententiam nihil certo sciatur, «tamen probabilius aestimatur, quod totum illud judicium et quoad discussionem, et quoad accusationem malorum, et quoad commendationem bonorum, et quoad sententiam de utrisque mentaliter perficietur. Si enim vocaliter singulorum facta narrarentur, inaestimabilis magnitudo temporis ad hoc exigeretur, sicut etiam Augustinus dicit (*De civ. Dei*, lib. 20, c. 14; ML **41,** 680)... Unde probabile est, quod illa, quae dicuntur Matthaei 25, non vocaliter sed mentaliter intelligenda sint perficienda» [9].

Ad hoc dicit *Durandus:* «Licet discretio meritorum et demeritorum fiat tantum mentaliter... tamen sententia proferetur vocaliter» [10]. Opinionem Durandi sequitur *Sotus* [11].

Capreolus ait ad rem: «Sciendum est, quod in judicio illo erit duplex sententia. Quaedam particularis cujuslibet, qua adjudicabitur tali et tantae poenae, vel tali et tanto praemio, et ista fiet mentalis sicut et

---

1 *Suppl.*, q. 89, a. 8.
2 *Eccl.*, 12, 14.
3 Cfr. **Lessius,** *De perfect. div.*, lib. 13, c. 22, n. 136 sqq.
4 *IV Sent.*; dist. 43, § 4.
5 *Suppl.*, q. 87, a. 2.
6 **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 87, a. 2 ad 3.
7 *Matth.*, 25, 34.
8 *Matth.*, 25, 41.
9 **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 88, a. 2. Idem docet **Albertus M.,** *In IV Sententiarum*, dist. 47, a. 1.
10 *In IV Sent.*, dist. 47, q. 1, n. 9.
11 *In IV Sent.*, dist. 47, q. 2, a. 4, concl. 2.

discussio meritorum. Alia vero erit sententia generalis, una pro beatis, et alia pro damnatis; et de ista probabile est, quod fiat vocaliter, quia non requirit temporis prolixitatem, sicut prima requireret» [1].

V. *Sententia statim executioni mandabitur*, juxta illud Matthaei: *Ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam* [2].

VI. *Nescimus ubi celebrandum sit judicium.* Sacra Scriptura dicit: *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis... Consurgant et ascendant omnes gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu»* [3].

Plures theologi hunc textum ad litteram intelligentes dixerunt judicium celebratum iri in valle Josaphat ad plagam orientalem templi Salomonis ad pedem montis Oliveti prope Jerusalem. Ita *S. Thomas, Suarez, Mazzella, Jungmann,* et alii [4].

Sed boni expositores merito suspicantur vallem, quae hodie vocatur Josaphat, olim non ita appellatam fuisse, cum Josephus, qui suburbia Jerusalem clare descripsit, nihil de hac valle dixerit. Deinde animadvertunt vocabulum *Josaphat* hebraice significare: *Dominus judicat.* Unde vallis Josaphat designat *locum, ubi Dominus est judex.* Potest esse quilibet locus.

Locus determinatus fortasse continere non poterit omnes quotquot vixerunt et vivent homines a principio mundi usque ad finem, nisi velis per miraculum plura corpora gloriosa collocare in uno loco [5].

Apparitionem Christi in judicio explicat Origenes his verbis: «Non in aliquo quidem loco apparebit Filius Dei, cum venerit in gloria sua, in altero autem non apparebit... Sicut enim fulgur egrediens ab oriente, et propterea quod omnia implet, apparet usque ad occidentem, sic cum venerit Christus in gloria sua, propterea que ubique futurus est, et ipse in conspectu omnium erit ubique, et omnes ubique erunt in conspectu ipsius, et sic constituentur ante sedem gloriae ejus» [6].

VII. *Nemo scit, quando futurum sit judicium universale.* Christus Dominus diserte ait ad rem: *De die autem illa et hora nemo scit,* neque *angeli caelorum, nisi solus Pater* [7].

Faxit Deus, ut cum venerit judicare vivos et mortuos, omnes nos paratos inveniat.

---

[1] *In IV Sent.*, dist. 47, q. un., a. 3, § 4. Idem docent **Sylvius,** *In Suppl.*, q. 88, a. 2; et **Suarez,** *De mysteriis vitae Christi*, disp. 57, sect. 10, n. 4.

[2] *Matth.*, 25, 46.

[3] *Joel*, 3, 2-12.

[4] **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 88, a. 4; **Suarez,** *De mysteriis vitae Christi*, disp. 53, sect. 3, n. 2 sq.; **Mazzella,** *De Deo creante*, n. 1416; **Jungmann,** *De novissimis*, p. 267.

[5] Cfr. **S. Thomas,** *Suppl.*, q. 83, a. 2-3.

[6] *Series commentariorum in Matthaeum*, n. 70; MG **13,** 712. Cfr. **Knabenbauer,** *Comment. in Matth.*, 25, 33-34.

[7] *Matth.*, 24, 36.

LAUS DEO VIRGINIQUE MATRI

INDEX

TRACTATUS DE SACRAMENTIS

Sectio I.—De Sacramentis in Communi.

QUAESTIO I

DE ESSENTIA ET PARTIBUS SACRAMENTORUM

			PAG.
ART.	I.	Notiones praeviae traduntur	5
ART.	II.	De sacramenti nomine et acceptionibus	6
ART.	III.	Quomodo definiendum sit sacramentum	7
ART.	IV.	De signo quod reponitur ut genus definitionis sacramenti	8
		§ 1. Utrum Sacramentum formaliter sumptum constituatur essentialiter in solo genere signi	9
		§ 2. Utrum sacramenta sint signa ad placitum	10
		§ 3. Utrum sacramenta sint signa sensibilia	11
		§ 4. Utrum sacramenta sint signa practica	12
ART.	V.	De re sacra, quae est differentia in definitione sacramenti	13
		§ 1. Quid significet nomen rei sacrae sanctificantis homines	13
		§ 2. Utrum Sacramentum sit signum unius rei tantum	14
ART.	VI.	Utrum sacramenta veteris et novae legis conveniant univoce in ratione sacramenti	15

QUAESTIO II

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTORUM

ART.	I.	Utrum omnia sacramenta constent rebus et verbis	16
ART.	II.	Utrum sacramenta novae legis perficiantur rebus tanquam materia et verbis tanquam forma ut partibus essentialibus	19
ART.	III.	Utrum materia sacramentorum fuerit a Deo determinata	22
ART.	IV.	Utrum et quomodo Christus determinaverit formam seu verba sacramentorum novae legis	25
ART.	V.	Utrum verba in formis sacramentorum novae legis sint concionatoria tantum, vel potius effectiva	26
ART.	VI.	Utrum materia et forma sacramentorum mutari queant	28

QUAESTIO III

DE NECESSITATE ET EXSISTENTIA SACRAMENTORUM

ART.	I.	Utrum sacramenta sint necessaria ad humanam salutem	32
ART.	II.	Utrum in statu innocentiae fuerint sacramenta	34
ART.	III.	An et quae fuerint sacramenta in lege naturae	35
ART.	IV.	Utrum et quae fuerint sacramenta in statu legis scriptae	38
ART.	V.	An et quot sint sacramenta in lege gratiae	40

QUAESTIO IV

DE EFFICACIA SACRAMENTORUM

			PAG.
ART.	I.	An sacramenta novae legis vere et proprie causent gratiam..	45
ART.	II.	An sacramenta novae legis producant gratiam ex opere operato.	48
ART.	III.	Utrum sacramenta novae legis sint causae instrumentales physicae gratiae.....	49
ART.	IV.	Quo sensu dicantur in sacramentis sacramentum tantum, res et sacramentum, et res tantum.....	58
ART.	V.	Quandonam sacramenta novae legis producant gratiam.....	59
ART.	VI.	Quam gratiam causent sacramenta novae legis.....	60
ART.	VII.	Utrum sacramenta, ficte suscepta, remoto obice, reviviscant.	66

QUAESTIO V

DE CHARACTERE SACRAMENTORUM

ART.	I.	An et in quibus sacramentis imprimatur character.....	69
ART.	II.	In quo consistat character sacramentorum.....	71
ART.	III.	Quodnam sit subjectum, in quo immediate recipitur character sacramentalis.....	74
ART.	IV.	An et quomodo character recipiatur indelebiliter in anima...	75

QUAESTIO VI

DE AUCTORE SACRAMENTORUM NOVAE LEGIS

ART.	I.	An et quomodo Christus instituerit sacramenta novae legis...	77
ART.	II.	Utrum Christus immediate instituerit omnia novae legis sacramenta.....	81

QUAESTIO VII

DE MINISTRO SACRAMENTORUM

ART.	I.	Quis sit minister ordinarius sacramentorum.....	82
ART.	II.	An et quae intentio requiratur in ministro ad valide conficienda sacramenta.....	85
ART.	III.	Utrum ad valorem sacramentorum requiratur fides in ministro.	90
ART.	IV.	Utrum ad valorem sacramentorum requiratur probitas vitae in ministro.....	92
ART.	V.	Utrum minister in peccato mortali exsistens possit licite conficere vel administrare sacramenta.....	92
ART.	VI.	An minister sacramentorum consecratus peragens alia sacra peccet mortaliter.....	95
ART.	VII.	Utrum sacerdos teneatur sacramenta dignis ministrare.....	96
ART.	VIII.	Utrum sacerdos possit indignis ministrare sacramenta.....	98

QUAESTIO VIII

DE SUBJECTO SACRAMENTORUM

ART.	I.	Quis et quomodo possit valide suscipere sacramenta.....	100
ART.	II.	Quid requiratur in subjecto, ut fructuose sacramenta recipiat.	103
ART.	III.	A quo ministro possint fideles sacramenta licite petere.....	105
APPENDIX.		De sacramentalibus.....	107

Sectio II.—De Baptismo.

QUAESTIO IX

DE EXSISTENTIA ET PARTIBUS BAPTISMI

			PAG.
ART.	I.	Notiones generales traduntur	111
ART.	II.	Utrum baptismus sit verum sacramentum	112
ART.	III.	Utrum baptismus fuerit a Christo Domino institutum	113
ART.	IV.	Quae sit materia sacramenti baptismi	115
ART.	V.	Quae sit forma sacramenti baptismi	120

QUAESTIO X

DE MINISTRO BAPTISMI

ART.	I.	Quis sit minister baptismi solemnis	124
ART.	II.	In casu necessitatis quis valeat baptizare	126
ART.	III.	Quid de patrinis in baptismo	127

QUAESTIO XI

DE SUBJECTO BAPTISMI

ART.	I.	Utrum et quibus dispositionibus adulti baptizandi sint	129
ART.	II.	Utrum infantes baptizandi sint	130
ART.	III.	An baptismus iterari possit	134

QUAESTIO XII

DE EFFECTIBUS BAPTISMI

ART	I	Utrum infantibus et adultis infundantur in baptismo habitus gratiae, virtutum et donorum	135
ART	II	Utrum per baptismum remittantur omnia peccata	136
ART	III	Utrum per baptismum remittantur omnes poenae pro peccatis coram Deo luendae	138

QUAESTIO XIII

DE NECESSITATE BAPTISMI

ART.	I.	Utrum baptismus sit ad salutem necessarius	139
ART.	II.	Utrum baptismus suppleri possit tam in parvulis quam in adultis per martyrium	143
ART.	III.	Utrum baptismus flaminis seu perfecta caritas suppleat baptismum aquae quoad remissionem culpae et collationem gratiae	146

Sectio III.—De Confirmatione.

QUAESTIO XIV

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS SECUNDUM SE

ART.	I.	Utrum confirmatio sit verum sacramentum	149
ART.	II.	De materia confirmationis	152
ART.	III.	Quae sit forma sacramenti confirmationis	157
ART.	IV.	Qui sint effectus sacramenti confirmationis	159
ART.	V.	Quis sit minister confirmationis	162
ART.	VI.	De subjecto confirmationis	166

Sectio IV.—De Sacra Eucharistia.

QUAESTIO XV

DE VERA AC REALI PRAESENTIA CHRISTI IN EUCHARISTIA

			PAG.
ART.	I.	Figurae ac nomina Eucharistiae	171
ART.	II.	Errores circa veritatem realis praesentiae Christi in Eucharistia.	173
ART.	III.	Utrum ex S. Scriptura constet vera, realis ac substantialis praesentia Christi in Eucharistia	175
ART.	IV.	Utrum ex traditione constet realis praesentia Christi in Eucharistia	183
ART.	V.	De transsubstantiatione	189

QUAESTIO XVI

DE MODO QUO CHRISTUS EST IN EUCHARISTIA

ART.	I.	An et quomodo Corpus Christi uniatur speciebus sacramentalibus in Eucharistia	198
ART.	II.	An praesentia Christi in Eucharistia sit localis	200
ART.	III.	Utrum Corpus Christi moveatur in sacramento Eucharistiae	204
ART.	IV.	Utrum totus Christus sit sub utraque specie sacramentali et sub singulis specierum partibus	206
ART.	V.	Quid ponatur in sacramento Eucharistiae vi verborum consecrationis	208
ART.	VI.	Quid ponatur in corpore et sanguine Christi per concomitantiam	211
ART.	VII.	An aliquid agat patiaturve Christus in Eucharistia	215
ART.	VIII.	Quando desinat Christus esse in Eucharistia	218

QUAESTIO XVII

DE ACCIDENTIBUS EUCHARISTICIS

ART.	UNICUS.	Utrum realiter et qua realitate accidentia permaneant in Eucharistia	219

QUAESTIO XVIII

DE EUCHARISTIA UT EST SACRAMENTUM

ART.	I.	Utrum Eucharistia sit verum sacramentum ab aliis sacramentis distinctum	230
ART.	II.	In quo consistat essentia sacramenti Eucharistiae	232
ART.	III.	Utrum sacramentum eucharistiae sit unum	234

QUAESTIO XIX

DE MATERIA SACRAMENTI EUCHARISTIAE

ART.	UNICUS.	Quae sit materia remota, ex qua conficitur sacramentum eucharistiae	237

QUAESTIO XX

DE FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIAE

PAG.

ART. I. Utrum Christus in ultima coena usus fuerit verbis ad peragendam consecrationem panis et vini 240
ART. II. Quae verba essentialiter constituant formam eucharistiae 241
ART. III. An verba consecrationis proferantur a sacerdote recitative vel significative 244

QUAESTIO XXI

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI EUCHARISTIAE

ART. UNICUS. Qui sint effectus sacramenti eucharistiae 245

QUAESTIO XXII

DE NECESSITATE SACRAMENTI EUCHARISTIAE

ART. I. Utrum eucharistia sit necessaria necessitate medii ad salutem. 250
ART. II. Utrum sacramentum eucharistiae sit necessarium necessitate medii ad diu perseverandum 253
ART. III. Utrum adsit praeceptum positivum sumendi eucharistiam 254
ART. IV. Utrum adsit praeceptum divinum sumendi eucharistiam sub utraque specie 256
ART. V. Utrum laudabiliter ordinatum fuerit ab Ecclesia, ut sacra communio dispensaretur laicis sub una tantum specie 258

QUAESTIO XXIII

DE MINISTRO EUCHARISTIAE

ART. I. Utrum solus sacerdos sit minister confectionis sacrae eucharistiae 259
ART. II. Quis sit minister dispensationis eucharistiae 260

QUAESTIO XXIV

DE SUBJECTO EUCHARISTIAE

ART. I. Quis sit subjectum capax recipiendi sacramentaliter eucharistiam 261
ART. II. Qui possint fructuose sumere eucharistiam 262

QUAESTIO XXV

DE EUCHARISTIA UT EST SACRIFICIUM

ART. I. Quaedam praenotantur de sacrificio in genere 264
ART. II. Quid sit sacrificium novae legis 267
ART. III. Utrum missa sit verum sacrificium 267
ART. IV. In quo consistat essentia sacrificii missae 272
ART. V. Quis sit sacerdos offerens sacrificium missae 277
ART. VI. De habitudine sacrificii missae ad sacrificium crucis, ad sacrificium ultimae coenae, et ad sacramentum eucharistiae 279
ART. VII. Qui sint effectus sacrificii missae 280
ART. VIII. Quomodo sacrificium missae producat suos effectus 282
ART. IX. Utrum valor sacrificii missae sit infinitus 285
ART. X. Pro quibus offeratur sacrificium missae 286

Sectio V.—De Sacramento Poenitentiae.

QUAESTIO XXVI

DE EXSISTENTIA SACRAMENTI POENITENTIAE

			PAG.
ART.	I.	Notiones praeviae	289
ART.	II.	Errores circa exsistentiam sacramenti poenitentiae	289
ART.	III.	Utrum Christus instituerit verum sacramentum poenitentiae	290
ART.	IV.	Utrum aliquando invaluerit consuetudo in Ecclesia negandi veniam gravioribus peccatis	296

QUAESTIO XXVII

DE MATERIA SACRAMENTI POENITENTIAE

ART.	I.	De materia remota sacramenti poenitentiae	300
ART.	II.	Quae sit materia proxima sacramenti poenitentiae	302

QUAESTIO XXVIII

DE CONTRITIONE

ART.	I.	Quid et quotuplex sit contritio	304
ART.	II.	De contritione perfecta	306
ART.	III.	De attritione	308
ART.	IV.	Utrum aliquando possit dari sacramentum poenitentiae validum simul et informe seu infructuosum	312

QUAESTIO XXIX

DE CONFESSIONE

ART.	I.	Quid sit confessio sacramentalis	313
ART.	II.	Utrum confessio auricularis sit jure divino necessaria ad peccatorum post baptismum commissorum veniam obtinendam	314
ART.	III.	Qualis debeat esse confessio auricularis	321

QUAESTIO XXX

DE SATISFACTIONE SACRAMENTALI

ART.	UNICUS.	Quid sit satisfactio sacramentalis	323

QUAESTIO XXXI

DE FORMA, ABSOLUTIONE, ET MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE

ART.	I.	Quae sit forma sacramenti poenitentiae	328
ART.	II.	Quae sit absolutio et quomodo danda	331
ART.	III.	Quis sit minister sacramenti poenitentiae	332

QUAESTIO XXXII

DE NECESSITATE ET ITERABILITATE SACRAMENTI POENITENTIAE

PAG.

ART. I. An et quomodo sacramentum poenitentiae sit necessarium ad salutem 335
ART. II. An et quoties iterari possit sacramentum poenitentiae 336

QUAESTIO XXXIII

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI POENITENTIAE

ART. I. An peccata mortalia remittantur quoad culpam per sacramentum poenitentiae 338
ART. II. Utrum per poenitentiam remitti possit unum peccatum mortale sine alio 339
ART. III. Utrum poenae debitae peccatis mortalibus eorumque reliquiae remittantur per poenitentiam 340
ART. IV. An et quomodo peccata venialia remittantur per sacramentum poenitentiae et extra sacramentum 342
ART. V. Utrum et quo gradu virtutes infusae per peccatum amissae recuperentur per poenitentiam 346
ART. VI. Utrum merita per peccatum mortificata, per poenitentiam reviviscant 347

QUAESTIO XXXIV

DE REDITU PECCATORUM PER POENITENTIAM DIMISSORUM

ART. UNICUS. Utrum peccata per poenitentiam semel dimissa redeant per sequens peccatum 349

QUAESTIO XXXV

DE INDULGENTIIS

ART. I. Quid sit indulgentia 351
ART. II. Quotuplex sit indulgentia 353
ART. III. Utrum in Ecclesia exsistat thesaurus communis, continens satisfactiones Christi et sanctorum 355
ART. IV. Utrum Ecclesia habeat potestatem concedendi indulgentias ... 357
ART. V. Utrum aliqua pia et proportionata causa requiratur ad indulgentiarum concessionem 360
ART. VI. Quae conditiones requirantur ad lucrandas indulgentias 363
ART. VII. Utrum et quomodo indulgentiae applicari possint defunctis ... 364

Sectio VI.

QUAESTIO XXXVI

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS

ART. I. Utrum extrema unctio sit verum novae legis sacramentum ... 367
ART. II. De extremae unctionis partibus 370
ART. III. De effectibus sacramenti extremae unctionis 374
ART. IV. Quis sit minister sacramenti extremae unctionis 376
ART. V. De subjecto extremae unctionis 378

Sectio VII.—De Sacramento Ordinis.

QUAESTIO XXXVII

DE OMNIBUS QUAE SPECTANT AD SACRAMENTUM ORDINIS

		PAG.
ART. I.	Notiones generales traduntur	383
ART. II.	Utrum ordo sit verum Ecclesiae sacramentum	384
ART. III.	Quot sint in Ecclesia ordines	386
ART. IV.	Utrum omnes et singuli ordines sint sacramentum	388
	§ 1. De episcopatu	388
	§ 2. De presbyteratu	392
	§ 3. De diaconatu	393
	§ 4. De subdiaconatu et quatuor ordinibus minoribus	395
ART. V.	Quae sit materia et forma sacramenti ordinis	397
ART. VI.	De ministro sacramenti ordinis	402
ART. VII.	De subjectio ordinis	408
ART. VIII.	De effectibus sacramenti ordinis	409

Sectio VIII.—De Sacramento Matrimonii.

QUAESTIO XXXVIII

DE MATRIMONIO UT EST IN OFFICIUM NATURAE

ART. UNICUS. De his, quae pertinent ad matrimonium, ut est in officium naturae 413

QUAESTIO XXXIX

DE EXSISTENTIA SACRAMENTI MATRIMONII

ART. I.	Errores circa exsistentiam sacramenti matrimonii	418
ART. II.	Utrum matrimonium sit vere et proprie novae legis sacramentum	419

QUAESTIO XL

DE ESSENTIA SACRAMENTI MATRIMONII

ART. I.	Utrum sacramentum matrimonii sit essentialiter ipse contractus matrimonialis	423
ART. II.	Quaestiones de variis contractibus matrimonialibus	425
ART. III.	Quo actu perficiatur sacramentum matrimonii	427
ART. IV.	Quae sit materia et forma sacramenti matrimonii	429

QUAESTIO XLI

DE MINISTRO ET SUBJECTO SACRAMENTI MATRIMONII

ART. I.	Quis sit minister sacramenti matrimonii	430
ART. II.	Quis sit subjectum sacramenti matrimonii	431

QUAESTIO XLII

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI MATRIMONII

PAG.

ART. I. An et quam gratiam producat sacramentum matrimonii..... 432
ART. II. Unitas matrimonii explicatur..... 433
ART. III. An et quomodo matrimonium sit indissolubile..... 441
§ 1. Utrum omne matrimonium sit intrinsece indissolubile..... 441
§ 2. Utrum matrimonia legitima non christianorum possint extrinsece dissolvi..... 446
§ 3. An et quando possint matrimonia fidelium extrinsece dissolvi..... 452

QUAESTIO XLIII

DE POTESTATE ECCLESIAE IN MATRIMONIUM

ART. I. Utrum Ecclesia jus habeat statuendi impedimenta dirimentia matrimonium..... 455
ART. II. Utrum Ecclesia statuere possit impedimenta dirimentia pro haereticis..... 457
ART. III. Quid possint principes saeculares circa matrimonia..... 458

TRACTATUS DE NOVISSIMIS SEU DE ESCHATOLOGIA

QUAESTIO XLIV

DE MORTE HOMINIS

ART. I. Quid sit mors hominis..... 461
ART. II. Utrum omnes homines sint in fine morituri..... 465

QUAESTIO XLV

DE JUDICIO PARTICULARI

ART. I. Utrum animae humanae statim post separationem a corporibus judicentur..... 468
ART. II. Quis sit judex in judicio particulari..... 470
ART. III. Utrum sententia a Christo in judicio particulari data illico exsequatur..... 471
ART. IV. Variae quaestiunculae circa judicium particulare..... 472

QUAESTIO XLVI

DE INFERNO

ART. I. Utrum exsistat infernus..... 474
ART. II. De aeternitate poenarum inferni..... 475
ART. III. De natura poenarum inferni..... 478
ART. IV. Utrum in inferno sit verus ignis..... 480
ART. V. Quomodo ignis materialis torqueat animam rationalem..... 481
ART. VI. Utrum omnes damnatorum poenae sint in inferno aequales... 482

QUAESTIO XLVII

DE PURGATORIO

PAG.

ART. I. Utrum exsistat purgatorium 484
ART. II. Quid patiantur animae in purgatorio 486
ART. III. A quibus maculis mundentur animae in purgatorio 489
ART. IV. Utrum animae purgatorii suffragiis vivorum juvari possint ... 490

QUAESTIO XLVIII

DE PARADISO

ART. I. Utrum exsistat paradisus seu caelum 493
ART. II. Utrum Deus in caelo sit beatitudo animae 494
ART. III. An beatitudo formalis hominis consistat in aliqua operatione. 496
ART. IV. In qua operatione animae consistat beatitudo formalis 497
ART. V. De proprietatibus beatitudinis 498
ART. VI. De beatitudine accidentali, seu de dotibus animae ac corporis, necnon de aureolis 501
§ 1. De dotibus animae 501
§ 2. De dotibus corporis glorificati 502
§ 3. De beatorum aureolis 502

QUAESTIO XLIX

DE FINE MUNDI

ART. I. An et quae signa praecedent consummationem mundi 503
ART. II. An et quomodo venturus sit finis mundi 505

QUAESTIO L

DE RESURRECTIONE MORTUORUM

ART. I. Utrum futura sit resurrectio mortuorum 508
ART. II. Utrum omnes homines resurrecturi sint cum iisdem corporibus, quae in mundo habuerunt 510
ART. III. Unde repetenda sit identitas numerica corporum, quae per mortem ceciderunt, et quae in resurrectione adsumuntur ... 511
ART. IV. Quid dicendum de millenarismo seu chiliasmo 513

QUAESTIO LI

DE JUDICIO UNIVERSALI

ART. I. Utrum futurum sit judicium universale 515
ART. II. Quaenam sint scitu necessaria in Theologia circa judicium universale 517

BIBLIOTECA CENTRALA

15102

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BT75.Z81937 C001 V004
THEOLOGIA DOGMATICO-SCHOLASTICA AD MENTE
3 0311 00026 1417

17105

WITHDRAWN

BT
75
.Z8
AUTHOR
1937
TITLE
V.4

17105
Zubizarreta y Unamunsaga, V.
THEOLOGIA DOGMATICO-SCHOLASTICA AD MENTEM

DATE DUE
BORROWER'S NAME

111 - P. Sontard. Byzantine

112, 4 - Ep. to Barnabas

3 0311 000